agm. 895-5.

Domus S.S-Adelhaidis et Caietani.

<366101806800016

<366101806800016

Bayer. Staatsbibliothek

Prop. 895.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE DEO INCARNATO

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

AUDITORIBUS SUIS

EXPOSUIT

P. HERMANN. SCHOLLINER,
BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,
SS. Theol. Doctor & Dogmatico - Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburg- &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus.

TOMUS V.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Approbatio Cenſoris.

Tractatus hic Theologicus *de Deo Incarnato*, non ſolum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, ſed varias difficultates perſpicua claritate, doctrinæque ſoliditate accurate pertractat, publico conſpectu, uſu & plauſu dignus. Auguſtæ Vindel. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Approbatio
Sacræ Facultatis Theologicæ.

Ea, qua reliquos hactenus Tractatus Theologicos Doctrinæ perspicuitate, ac Eruditionis copia dilucidavit Clariss. Author, præsentes quoque *Prælectiones Theologicas de Incarnatione*, & ita quidem elucubravit, ut easdem, cum non nisi veram Ecclesiæ Doctrinam contineant, dignissimas censeam, quæ quantocyus in lucem publicam prodire possint, ac debeant.

Dabam Salisburgi die 1. *Maji Anno* 1768.

P. RUPERTUS GUTRATH,

Benedictinus San-Petrens. SS. Theologiæ Doctor, Ejusdemque in Scripturistico-Dogmaticis & Polemicis Prof. Ordinarius, Celsiss. ac Reverendiss. Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. &c. &c. Consiliar. Ecclesiast Almæ Universitatis Proncancellarius & Vice-Rector.

LECTO-

Lectori Salutem!

De grandi illa Originis labe, quam primi Parentis lapſu incurrimus, omnique Jure ad promiſſam æternam Felicitatem excidimus, Parte poſteriore Tomi præcedentis differui: ſupereſt, ut nunc admirabilem illum Modum exhibeam, quo Deus, generis humani miſertus, huic Malo ſumma Bonitate mederi voluit, & ſolus potuit; quod utique non aliud eſt, quam a Sæculis abſconditum, noviſſimis autem Temporibus manifeſtatum INCARNATIONIS Myſterium: cujus ſumma in eo repoſita eſt, quod VERBUM, h. e. ſecunda in Trinitate Perſona, verus Dei Filius, humanam Naturam, totam & integram e B. V. MARIA in Unionem ſuæ Perſonæ aſſumſerit: ſive, quod in una Filii Perſona, geminæ Naturæ, divina & humana, inconfuſæ & inpermixtæ ſubſiſtant; ita ut Deus & Homo unus ſit CHRISTUS,

qui in assumta humana & passibili Carne pro primi Hominis, omniumque posterorum Peccatis divinæ Justitiæ ad omnem Rigorem satisfecit, & amissum Jus ad Vitam æternam postliminio nobis restituit. Sic nempe Deus (Pater) dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret; sic Filius nos dilexit, ut cum mortui essemus, Vitam nos habere, & abundantius habere voluerit.

Ineffabile istud Mysterium, variis tamen Elogiis efferri a SS. Patribus solet. Et quidem *in se ipso* spectatum, appellatur *Unio*, seu duarum Naturarum *Adunitio*, *Mixtio*, *Mixtura*, *Attemperatio* geminæ in CHRISTO Naturæ; non quidem Sensu EUTYCHIS, quasi duplex ejus Natura per quamdam confusionem in unam fuisset conflata, sed quod utraque Natura in unica Persona subsistat unita, non tamen confusa.

Ex Parte Patris mittentis Filium, dicitur *Missio*, *Dilectio*, *Visitatio*. Ex parte Filii, qui istud Redemtionis Opus in se sponte suscepit, appellatur *Exitus* a Patre, *Descensus* e cœlo, *Abbreviatio*,

Exina-

LECTORI SALUTEM.

Exinanitio, *Adventus* in Mundum, primus videlicet, *Acceptio* Formæ Servi, *Assumtio* Humanitatis, non quidem totius suppositi, sed solius Naturæ, exclusa Personalitate: *Incarnatio*, *Corporatio*, *Inhumanatio*, *Epiphania*, seu Apparitio & Manifestatio Dei in Carne.

Vulgatissimum apud Græcos est οἰκονομίας Vocabulum, quod, cum de se benignam quamdam accomodationem in alterius Utilitatem denotet, Græci adhibuerunt ad significandam Filii Dilectionem, qua propter nos Homo fieri, suaque Passione Patri nos reconciliare voluit.

Quando Græci de sola Divinitate loquuntur, illam partem *Theologiam*: dum vero de Christi Humanitate differunt, *Oeconomiam* appellare solent, quæ a Latinis non raro *Dispensatio* vocatur.

Si denique consideretur quoad Effectus & Beneficia, per Incarnationem nobis exhibita, dicitur *Redemtio*, Habitatio, nempe in nobis, *Conversatio* nobiscum; hinc etiam Christus appella-

tur EMANUEL, h. e. *nobiscum Deus.* Denique *Anacephaleosis*, seu *Recapitulatio*, *Instauratio* Rerum omnium, Prophetiarum *Consummatio* & complementum, & ita porro.

Ut autem assueta Methodo pertractatio ista absolvatur, Cap. I. de Incarnationis possibilitate, Convenientia, & Notitia. II. De illius Existentia. III. De Causis ejusdem. IV. De unica Christi Persona. V. De duabus Christi Naturis. VI. De duarum Naturarum hypostatica Unione, ejus Proprietatibus & Consectariis. VII. De Christi Satisfactione & Merito. VIII. De Variis ejusdem Titulis, Officiis, Donis, ac Virtutibus. IX. De Cultu eidem in Sanctis cum ipso regnantibus, Cruci, SS. Reliquiis, & Imaginibus exhibendo, deque Sanctorum Intercessione & Invocatione, agere constitui, quod Deus bene vertat!

CON-

CONSPECTUS.

Numerus designat Paginam.

CAPUT I.

De Possibilitate, Convenientia, Necessitate & Notitia Incarnationis.

§. I.

De Possibilitate Incarnationis.

Resolutio I. Incarnatio possibilis est. - pag. 2
Resolutio II. Sola Ratione naturali hoc Mysterium *positive* demonstrari non potest. - 8

§. II.

De Convenientia Incarnationis.

Resolutio I. Deo, & quidem inter tres Personas præcipue Filio, congruebat Incarnatio. - - - - - - 12
Resolutio II. Homini, Totique Mundo maxime congruebat Incarnatio. - - 13

Resolutio III. Modus in Hominis Redemtione adhibitus, ex omni parte aptissimus videtur. - - - - - - 15
Resolutio IV. Incarnatio convenientissimo Tempore peracta fuit. - - - - Ibid.

§. III.

De Necessitate Incarnationis.

Resolutio I. Incarnatio non fuit necessaria ex Hypothesi Hominis lapsi. - - 18
Resolutio II. Suppositio etiam Decreto Hominem redimendi, si Deus ab exigenda rigorosa Satisfactione abstinere voluisset, quod poterat, Incarnatio necessaria non fuisset. - - - - - 20
Resolutio III. Suppositio Dei Decreto Hominem non redimendi, nisi exacta ab eodem condigna pro Peccato Satisfactione, Incarnatio necessaria fuit. - - - 23

§. IV.

De Notitia Incarnationis.

Resolutio I. Omnibus Angelis beatis a principio suæ Beatitudinis Mysterium Incarnationis quoad Substantiam, non autem quoad Circumstantias particulares revelatum fuit. - - - - - - 34
Resolutio II. Angeli reprobi nec futurum, nec peractum Incarnationis Mysterium *certo*

CONSPECTUS.

to cognoverunt : quamvis Christum præsentem cognoscere potuissent , nisi Deus eos impediviſſet. - - - 36
Resolutio III. Adamus hoc Mysterium non quidem ante , sed post Lapsum ex revelatione cognovit. - - - - 37
Resolutio IV. Sancti veteris Testamenti Homines & totus Populus Judaicus Fidem habuit in Christum venturum , diverso tamen modo. - - - - - 39
Resolutio V. Exceptis Judæis in specialem Populum a Deo electis , nulla alia Gens explicitam Messiæ Notitiam habuit , etsi nonnullos inter Gentes eam in particulari habuisse , probabile sit. - - 40

CAPUT II.

De Exsistentia Incarnationis.

§. I.

Recensentur diversi Errores , circa Incarnationem exorti. - - - 42

§. II.

An Adventus Messiæ e Vaticinio Jacobi demonstrari valeat ?

Vaticinium Jacobi benedicentis. - - 52
Resolutio. E Vaticinio Jacobi demonstratur , Messiam dudum adveniſſe , illumque a Judæis incassum exspectari. - - - 54

§. III.

CONSPECTUS.

§. III.

Id ipsum inquiritur de Vaticinio Danielis.

Exponitur Prophetia. - - - 68
Quædam observanda præmittuntur. - - 70
Resolutio I. E Danielis Vaticinio demonstratur, Messiam jam advenisse. - - 71
Resolutio II. Initium LXX. Hebdomadarum desumendum est ab anno VII. Artaxerxis longimani. - - - 78

§. IV.

De Aggæi & Malachiæ Vaticiniis, variisque Signis, Messiam Christum demonstrantibus.

Referuntur Vaticinia. - - - 98
Resolutio I. Ex utroque Vaticinio demonstratur, Christum adveniisse. - - 100
Resolutio II. Varia Signa, Messiam denotantia, probant Messiam adveniisse. - - 102
Resolutio III. Hæc Signa, & Prophetarum Oracula, in Christi Persona adimpleta fuerunt. - - - 107

§. V.

Adventus Messiæ in Persona Christi, adversus Gentiles demonstratur. - 109

CA-

COSNPECTUS.

CAPUT III.

De Cauſis Incarnationis.

§. I.

De Cauſa finali, ſeu Motivo Incarnationis.

Reſolutio. Chriſtus, Adamo non peccante, vi modernæ Providentiæ non fuiſſet incarnandus. - - - - - 119

§. II.

De Cauſa meritoria Incarnationis.

Reſolutio I. Humana Chriſti Natura nullo modo meruit ſuam cum divina Unionem hypoſtaticam, quamvis de condigno meruerit quædam ejus conſectaria. - - - 125
Reſolutio II. Sancti V. T. Patres, Incarnationem neque quoad Subſtantiam, neque quoad Circumſtantias *de condigno*, ſed has *de congruo* meruerunt. - - - 128
Reſolutio III. B. V. Maria meruit quidem eum Sanctitatis Gradum, quo poſito electa eſt in Matrem Dei: ipſam tamen Dignitatem Matris Dei nec de *condigno*, nec de *congruo ſtricte*, ſed *late* ſumto meruit. - Ibid.

CA-

CONSPECTUS.

CAPUT IV.

De una Christi Persona.

§. I.

De Unitate Personæ in Christo.

Resolutio I. Unica est in Christo Persona. - - - - - - 132
Resolutio II. B. V. Maria vere est, & dici debet *Deipara*, non solum Christipara. - - - - - 139

§. II.

An Nestorius Errores, quorum fuit insimulatus, vere docuerit?

Resolutio. Nestorius vere docuit Errores, quæ in ipso Ecclesia damnavit. - - 143

§. III.

An Nestorius legitime & canonice fuerit condemnatus?

Resolutio affirmativa. - - - 146

§. IV.

An Christus fuerit, vel dici possit Filius Dei adoptivus, aut Servus?

Resolutio I. Christus nec est, nec etiam cum addito,

addito, *ut eſt Homo*, dici debet Filius Dei adoptivus. - - - - 153
Reſolutio II. Chriſtus *ſtricte* loquendo, non eſt Servus Patris, aut Creatura: *late* tamen Servus appellari poteſt ratione Naturæ humanæ dependentis a Deo. - - 156

CAPUT V.

De duabus in Chriſto Naturis.

§. I.

De Divina & humana Chriſti Natura.

Reſolutio. Gemina in Chriſto credenda eſt Natura, divina & humana, inconfuſa & inpermixta. - - - - - 159

§. II.

De Doctrina S. Cyrilli Alexandrini.

Reſolutio. Doctrina S. Cyrilli Catholica fuit, nec in oppoſitum Nestorio Errorem declinavit. - - - - - 165

§. III.

De divina Chriſti Natura.

Reſolutio I. Chriſtus non erat purus Homo, e virili Joſephi conſortio genitus. - 171

Reſo-

CONSPECTUS.

Resolutio II. Christus verus Deus est, Verbum Patris, eique consubstantialis. - 177

§. IV.

De humana Christi Natura.

Resolutio. Christus verus Homo fuit, non solum quoad apparentiam - - 186

§. V.

De vera Carne Christi e Maria Virgine assumta.

Resolutio I. Christi Corpus e MARIA acceptum, non e Cœlo fuit delatum. - - 193

Resolutio II. MARIA, Virgo fuit ante, & in Partu. - - - - 197

Resolutio III. MARIA etiam post Partum Virgo permansit, nec a JOSEPHO, aut alio, carnaliter cognita fuit. - - - - 200

§. VI.

De Corpore Christi passibili.

Resolutio. CHRISTI Corpus humanæ Naturæ Infirmitatibus, & quidem ex ipsa Naturæ assumtæ conditione, diverso tamen a nobis modo fuit subjectum. - - 205

§. VII.

CONSPECTUS.

§. VII.

De Anima & Mente humana a Christo assumta.

Resolutio. CHRISTUS Animam humanam habuit, & Mentem propriam. = = 211

§. VIII.

De duplici Operatione & Voluntate Christi.

Præmittuntur variæ Obſervationes = 215

Reſolutio. Gemina in CHRISTO admittenda eſt Operatio & Voluntas. = = = 218

§. IX.

De Facto Honorii in Cauſa Monothelitarum.

Reſolutio I. HONORII Epiſtolæ ad SERGIUM datæ, etſi genuinæ ſint; Monothelitarum tamen Errorem non continent; ideoque & Pontifex ab Hæreſi prorſus immunis exſtitit, = = = = = = 225

CONSPECTUS.

Resolutio II. Honorius a Synodo VI. vere quidem, non tamen ut Hæreticus formalis, sed ut Hæreseos Fautor, damnatus fuit. 247

CAPUT VI.

De duarum Naturarum hypostatica Unione, ejus Proprietatibus & Consectariis.

§. I.

Quid & quotuplex sit hypostatica Unio, & quæ partes a Verbo assumtæ fuerint.

Resolutio I. Quamvis Verbum eodem Temporis Instanti Corpus assumserit & Animam; Prioritate tamen Naturæ, vel quasi, prius assumsit Animam, & hac mediante Corpus. - - - - - - 261

Resolutio II. Verbum hypostatice assumsit Animam & Corpus, omnesque Partes ad Corporis Integritatem requisitas. - 263

Resolutio III. Unio hypostatica suo Sensu est *naturalis*, *substantialis*, omniumque Unionum *maxima*. - - - - - 265

Resolutio IV. Unio hypostatica, *perpetua*, & *indissolubilis* est. - - - - 266

Reso-

CONSPECTUS.

Resolutio V. In Triduo Mortis Christi quando Anima a Corpore erat separata ; Divinitas Corpori & Animæ unita mansit : tunc autem Christus verus Homo non fuit. - 269

Resolutio VI. Sanguis Christi in Passione effusus, toto Triduo mansit Verbo hypostatice unitus , & Christus resurgens illum totum reassumsit ; ut adeo Christi Corpus ne nunc quidem sine Sanguine sit. 271

§. II.

De Consectariis Unionis hypostaticæ.

Quæritur I. An recte dicatur : *Christus est duæ Naturæ* ?

Respondetur affirmative. - - - 278

Quæritur II. An recte dicatur : Christus est *ex* duabus , & *in* duabus Naturis ?

Respondetur affirmative. - - - 279

Quæritur III. An Christus possit dici ex tribus Substantiis ?

Respondetur sub distinctione. - - Ibid.

CONSPECTUS.

Quæritur IV. Rectene dicatur Christus *compositus ex duabus Naturis?*

Respondetur cum Distinctione. - - 279

Quæritur V. An Persona Verbi possit dici composita?

Respondetur in certo Sensu. - - 280

§. III.

De Communicatione Idiomatum.

Præmittuntur Notiones. - - - 282

Resolutio I. In Christo vi Unionis hypostaticæ admittenda est Idiomatum communicatio *in concreto*, seu respectu Personæ. - - - - - Ibid.

Resolutio II. In Christo admitti nequit Idiomatum communicatio *in abstracto*, vi cujus Naturæ divinæ Proprietates de humana, & Proprietates Naturæ humanæ de divina *in abstracto* prædicari possent; Hinc falsum est, Naturæ humanæ per Unionem hypostaticam communicatam esse *Ubiquitatem*, seu *Omnipræsentiam*, Omnipotentiam &c. 283

Sta-

CONSPECTUS.

Statuuntur REGULÆ pro recte intelligenda Idiomatum Communicatione. - - 296

Quæritur I. Quid de hac Propositione: *unus de Trinitate passus est*, censendum sit? 299

Quæritur II. Quid dicendum de Clausula *Trisagio* adjecta: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis?* - - - - 300

CAPUT VII.

De Satisfactione & Merito Christi.

§. I.

De vera & propria Christi Satisfactione.

Resolutio. Christus *vere* & *proprie* pro nobis satisfecit. - - - - - 304

§. II.

De Perfectione Satisfactionis Christi.

Resolutio I. Christi Satisfactio *ex se* fuit æquivalens,

valens, seu, condigna, & non ex sola Dei acceptantis Liberalitate. - - 320

Resolutio II. Satisfactio Christi non solum *æquivalens*, sed *superabundans* erat. - 326

Resolutio III. Satisfactio Christi fuit ex vera JUSTITIA. - - - - 328

Resolutio IV. Satisfactio Christi ad omnem rigorem & Apices Justitiæ exacta fuit. 331

§. III.

De Merito Christi.

Resolutio I. Christus mereri potuit, & a primo Conceptionis Instanti usque ad ultimum Halitum vere fuit promeritus. - 339

Resolutio II. Christus meruit per solas Actiones, humanæ Naturæ proprias. - 342

Resolutio III. Christus sibi meruit Gloriam Corporis, Nominis sui exaltationem; Gentium conversionem, Ecclesiæ splendorem ac Diffusionem: non autem primam Gratiam actualem, nec habitualem, nec Visionem beatificam. - - - Ibid.

Reso-

CONSPECTUS.

Resolutio IV. Christus nobis meruit Salutem, & omnia Gratiæ Dona, quæ Justificationem nostram antecedunt, comitantur, vel subsequuntur. - - - - 344

§. IV.

De Fructu & Merito Mortis Christi.

Recensentur Errores & Opiniones. - 346

Resolutio I. Christus pro solis Hominibus, non pro Astris, aut Dæmonibus mortuus est, nec pro his unquam morietur. - 348

Resolutio II. Christus descendens ad Inferos, non Animas Damnatorum inde liberavit, sed Justorum, qui in Gratia & Charitate obierant, & tamdiu carebant Visione beatifica, donec Cœli Porta, Adami Peccato concluſa, per Christum ascendentem foret reseranda. - - - - - 349

Resolutio III. Christus non pro solis Prædestinatis, sed pro *omnibus* omnino Hominibus, quantum ad sufficientiam, mortuus est. - - - - - - 351

Resolutio IV. Christus ratione *Voluntatis divinæ antecedentis* pro omnibus æqualiter, pro ratione autem Voluntatis *consequentis* & *humanæ* efficaciter mortuus est pro solis Prædestinatis, quibus Passionis suæ Meritum finaliter applicari voluit. - - 354

CAPUT VIII.

De quibusdam Christi Titulis, Officiis, Donis, & Virtutibus.

§. I.

De Christi Prædestinatione.

Resolutio I. Christus vere dicitur *Prædestinatus*; ita ut Verbum, prout subsistens in Natura humana, habeat rationem *Subjecti*; Filiatio autem divinam rationem Termini. - - - - - 358

Resolutio II. Christus etiam dici potest *Prædestinatus* ad Visionem beatificam. - 361

§. II.

CONSPECTUS.

§. II.

De Officio Mediatoris.

Resolutio I. Christus proprie *Mediator* fuit Deum inter & Hominem, tam quoad Substantiam, quam Operationem. - 362

Resolutio II. Christus ante Incarnationem proprie Mediator non fuit, neque 2. talis est secundum solam Naturam divinam: neque 3. secundum solam Naturam humanam; neque 4. secundum utramque; sed 5. qua Homo Deus, seu, ut Homo conjunctus Verbo, Mediatoris Partes explevit. - 363

§. III.

De Munere Sacerdotis & Pontificis.

Resolutio I. Christus erat verus Sacerdos, non quidem secundum Ordinem *Aaron*, sed Melchisedech. - - - - - 367

Resolutio II. Christus est Sacerdos, non ut Verbum, sed ut Homo, Verbo hypostatice unitus. - - - - 368

CONSPECTUS.

§. IV.

De Dignitate Capitis.

Resolutio. Christus Homo est Caput Ecclesiæ, omnium Hominum & Angelorum, sed non eodem modo. - - - - 369

§. V.

De Donis Christi ad Intellectum pertinentibus.

Recensentur Errores. - - - 373

Resolutio I. Christus habuit Scientiam creatam, tam infusam, quam acquisitam. Ibid.

Resolutio II. Anima Christi a primo Conceptionis Instanti fruebatur Visione beatifica, non tamen comprehensiva. - 377

§. VI.

De Gratia & Virtutibus Christi.

Resolutio I. In Christo erat 1. Gratiæ Plenitudo : 2. præter Gratiam Unionis, 3. etiam habitualis, ejusdem cum nostra conditionis:

ditionis: 4. Gratia quoque actualis, & 5. Dona Spiritus S. ac 6. Gratiæ gratis datæ. - - - - - - 380

Resolutio II. In Christo erant omnes Virtutes, tam theologicæ, quam morales, infusæ & acquisitæ, quæ nec ullam habent Imperfectionem admixtam, nec cum ejus Dignitate ac felicitate pugnabant. - - 383

§. VII.

De Sanctitate, Libertate, & Impeccabilitate Christi.

Recensentur varii modi ad Christi Impeccantiam cum Libertate conciliandam, a Theologis excogitati. - - - - 384

Resolutio I. Christus habuit veram Sanctitatem, tam substantialem, quam accidentalem. - - - - - - 389

Resolutio II. Christus nec unquam Peccatum commisit, nec committere potuit, & propter Unionem hypostaticam ab intrinseco impeccabilis fuit. - - - Ibid.

Resolutio III. Christus in Actibus a Charitate *elicitis*, non erat liber, Libertate *Arbitrii*, sed Voluntatis. - - - 390

CONSPECTUS.

Resolutio IV. Quamquam Christus 1. *Strictum* acceperit moriendi Mandatum, illudque ob Impotentiam peccandi transgredi non potuerit, sicque necessario, Necessitate consequente, mortuus fuerit; 2. liber tamen erat ad Mortem subeundam, cum Libertate antecedente, & in causa, 3. tum Libertate *Voluntatis* a coactione, non autem *Arbitrii*: 4. hacque Libertate sibi & nobis promeritus est. - - - 392

CAPUT IX.

De Cultu Christo & Sanctis cum eo regnantibus, Cruci, SS. Reliquiis, Imaginibus exhibendo, Sanctorum Invocatione & Intercessione.

§. I.

De Adoratione, Christo, ejusque Humanitati debita.

Resolutio. Humana Christi Natura, Verbo hypostatice unita, *eadem absoluta Adoratione* Latriæ colenda est, qua ipsum Verbum divinum: nec alio minore Cultu, seu *Hyperduliæ*, coli potest. - - - 406

§. II.

CONSPECTUS.

§. II.

De Cultu Sanctorum.

Præmittitur Notio Cultus, & catalogus Errorum. - - - - - 413

Resolutio I. Sancti Angeli, ac Cœlites reliqui cum Christo regnantes, licite & pie coluntur. - - - - - 416

Resolutio II. In honorem Sanctorum pie ac religiose instituta sunt Festa, & hæc consuetudo antiquissima est. - - - 431

Resolutio III. In honorem Sanctorum Ecclesiæ & Altaria licite eriguntur, & Sacrificia offeruntur. - - - - 433

Resolutio IV. Vota (si Nomen generalius accipiatur) licite Sanctis fiunt, & quidem ex perpetuo Usu. - - - 437

§. III.

De Sanctorum Intercessione.

Resolutio. Beati Angeli, Sanctique Cœlites non

non ſolum pro Eccleſia militante generatim, ſed pro pluribus illius Membris in particulari, apud Deum intercedunt. 440

§. IV.

De Sanctorum Invocatione.

Reſolutio. Sancti cum Chriſto regnantes pie & utiliter invocantur. - - - 451

§. V.

De Cultu Sanctæ Cruci exhibendo.

Texitur Catalogus Errorum. - - 466

Reſolutio I. Lignum Crucis, in quo CHRISTUS pependit, ab HELENA vere inventum fuit. - - - - - - 468

Reſolutio II. Crux CHRISTI magno ſemper apud Chriſtianos in Pretio & Veneratione exſtitit. - - - - - 470

Reſolutio III. Imagines ad veræ Crucis formam expreſſæ, omni tempore Chriſtianis in Uſu & Veneratione fuerunt. - 474

Reſo-

CONSPECTUS.

Resolutio IV. Signum Crucis, Manuum agitatione efformari solitum, Usus est antiquissimi, pii, & utilissimi. - - 477

§. VI.

De Cultu SS. Reliquiarum.

Resolutio. Cultus, qui sacris Reliquiis defertur, antiquissimus, pius, & utilis est. 481

§. VII.

De Cultu SS. Imaginum.

Præmittitur Notio *Imaginis*, Historia compendiosa Errorum, & Dogma a Disciplina secernitur. - - - - - 489

Resolutio I. Christi & Sanctorum Imagines in Ecclesiis recte collocantur. - 492

Resolutio II. Sacræ Imagines sine Idololatria coluntur. - - - - - 497

§. VIII.

CONSPECTUS.

§. VIII.

An Cultus hactenus assertus, positivus, aut relativus sit?

Resolutio I. Veram Crucem, Reliquias, & Imagines Sanctorum, sive cum sive sine Prototypis apprehensas, venerari non licet cultu *absoluto*, & distincto ab illo, qui ipsis Prototypis exhibetur. - - 515

Resolutio II. Cultus, qui Dominicæ Cruci, SS. Reliquiis, & Imaginibus defertur, non nisi *relativus* est, seu, ad Prototypa unice dirigitur. - - - - - 517

CAPUT

CAPUT I.

De Possibilitate, Convenientia, Necessitate & Notitia Incarnationis.

Prius quam ad ipsum Dogma & Mysterii Existentiam contra Adversarios demonstrandam progrediar, Quæstiones nonnullas, ut ajunt, prolegomenales præmittere lubet, & quidem

§. I.

De Possibilitate Incarnationis.

Duo in Limine inquiri solent: I. an possibile fuerit, ut Dei Filius Naturam humanam in consortium divinæ assumeret, quod præter gentiles atque Judæos negant Sociniani, Christum merum Hominem fuisse asserentes. II. An hoc Mysterium naturali ratione *positive*, vel negative demonstrari valeat? 1

2 RESOLUTIO I. Possibilis est Incarnatio.

PROB. I. ex S. Scriptura, Luc. I. ubi Gabriel Angelus MARIÆ, non dubitanti quidem, sed præ admiratione interroganti de hoc mysterio, *quomodo fiet istud?* respondit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ex quo infertur: Illud omne Deo est possibile, quod non involvit manifestam Repugnantiam, secus non foret *omnipotens*: atqui Incarnationis Mysterium manifestam repugnantiam non involvit, ut patebit ex solutione Argumentorum, quæ a Socinianis opponuntur: *Ergo* &c.

3 PROB. II. Illud certo possibile est, quod jam peractum est; atqui hoc Mysterium jam peractum est in Persona CHRISTI, ut probabitur suo Loco. *Ergo.* Atque ex his sequitur, possibilitatem Incarnationis *negative* posse demonstrari, quia solvi possunt Ratiunculæ mox proferendæ.

4 OBJIC. I. Si Deus Verbum fuisset Caro factum, tunc Deus aliquando non extitisset: sed hoc est absurdum. *Ergo.* Sequela *prob.* Quod fit in tempore, illud antea non exstitit; atqui Deus fieret Caro in Tempore: ergo antea non exstitisset.

RESP.

Resp. Nego *maj. Prob. Dist.* Quod fit in tempore, transeundo de non esse ad esse. *Conc.* Quod fit, aliud in sui communionem assumendo. *Neg.* Verbum Caro factum, non amisit quod erat, sed assumsit, quod non erat.

Objic. II. Quod fit aliud, definit esse 5
quod prius erat; atqui Deus in Incarnatione fieret aliud, nempe Homo. Ergo definit esse Deus, quod est impossibile.

Resp. *Dist.* Quod fit aliud, per sui in illud conversionem. *Conc.* Per novæ Rei assumtionem. *Neg.*

Objic. III. Saltem accessione humanita- 6
tis Deus fuisset mutatus: atqui mutari Deum, impossibile est. *Ergo.*

Resp. Accessione humanitatis fuisset mutatus Deus, si fuisset recepta per modum formæ perficientis. *Conc.* Si Deus ab illa recepta nullo modo perficiatur, sed ipsam Rem accessoriam perficiat. *Neg.* Itaque mutatio fuit solum ex parte Naturæ humanæ, quæ spoliata fuit subsistentia propria: non autem ex parte Naturæ Divinæ, quæ suam subsistentiam retinuit.

Objic. IV. Intrinseca novæ Formæ Re- 7
ceptio, dicit mutationem; nam per istam humanitatem intrinsece receptam, nova

exſurgit denominatio : atqui nova denominatio intrinſeca non fit ſine mutatione. *Ergo.*

Resp. *Diſt.* Quando intrinſeca denominatio oritur ex novæ Formæ Receptione, ut , cum quis ex ignorante fit doctus, conc. ſi oritur ſolum ex novæ Naturæ aſſumptione , quæ tamen nullam perfectionem tribuit. *Neg.*

8 Objic. V. Juxta ſymbolum S. Athanasii dictum, *ſicut Anima rationalis & Caro unus eſt homo: ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus.* Atqui in conjunctione Animæ cum corpore, utrumque perficitur & mutatur : ergo etiam in conjunctione divinæ & humanæ Naturæ utraque perficitur & mutatur.

Resp. Nego *conſ.* Ut enim omnis paritas claudicat , ita etiam hæc. Author Symboli id unum voluit, quod in Chriſto non ſint duæ Perſonæ, vel Suppoſita. Ceterum diſparitas eſt , quia corpus & Anima per ſe ſunt partes ad unum totum conſtituendum ordinatæ, quæ in ſui unione ſe invicem complent & perficiunt. Natura autem Divina & humana non petunt *per ſe* uniri , & dum humana aſſumitur , ipſa quidem Natura divina , non hæc viciſſim , ab illa completur & perficitur.

Objic.

OBJIC. VI. Quod subsistit *per se*, non 9
potest alteri communicari. Atqui Verbum Divinum tanquam Persona, per se subsistit. Ergo non potest alteri communicari; Subsistentia enim est ultimum Substantiæ complementum.

RESP. *Dist. maj.* Non potest alteri communicari, ut Personæ. *Conc.* Ut Naturæ. *Neg.* Nam Subsistentia est ultimum substantiæ complementum, reddens eam incommunicabilem alteri tanquam Supposito. Verbum non Personæ, sed humanæ Naturæ subsistentia sua spoliatæ se communicavit, sicque ex duabus Naturis unum efficit Suppositum, quod jam alteri est incommunicabile.

OBJIC. VII. Natura humana non potest 10
privari sua Subsistentia: ergo non potuit assumi a Verbo, ad constituendum unum suppositum. *Ant. prob.* Subsistentia est ultima Naturæ humanæ perfectio: atqui Deus Naturam humanam perfectam assumpsisset. *Ergo.*

Ant. prob. 2. Persona est *Naturæ rationalis individua Substantia*; atqui non potest dari Natura humana, quæ non sit individua Substantia: ergo non potuit assumi sine personalitate.

Ant. prob. 3. Subſiſtentia nihil eſt aliud, quam ille Modus, quo Subſtantia *per ſe* ſubſiſtit: atqui Natura humana *per ſe* ſubſiſtit: ergo non caret ſua Subſiſtentia.

Resp. Nego *ant.* Ad primam *prob. diſt.* Aliqua Subſiſtentia eſt ultima Naturæ Perfectio. *Conc.* Determinata ſolum & propria ejusdem. *Neg.* Senſus eſt. Non datur Natura, quæ non habeat Subſiſtentiam, vel *propriam*, vel aliam perfectiorem, quæ prioris carentiam ſuppleat. Deus quidem aſſumſit Naturam humanam integram, *in eſſe Naturæ*, non autem, *in eſſe Perſonæ*, ſeu Suppoſiti, ſed perſonalitatem ſupplevit abunde, per Subſiſtentiam divinam.

Ad *prob.* 2. *Diſt.* Perſona, prout jam dicit totum aliquod ſuppoſitum, eſt &c. *Conc.* Ipſa Subſiſtentia ſeu perſonalitas eſt Naturæ rationalis individua Subſtantia. *Neg.*

Ad *prob.* 3. *Diſt. maj.* Si το *per ſe ſubſiſtere*, ſumatur pro *non inhærere* alteri, ut accidenti proprium eſt. *Conc.* Si ſumatur pro Natura completa ultimo determinata & incommunicabili. *Neg.* Priori ſenſu Natura humana *per ſe* ſubſiſtit, quia eſt *ſubſtantia*, non *accidens*: non item poſteriore, quia caret ſubſiſtentia propria, & ſubſiſtit in Verbo.

Objic.

OBJIC. VIII. Inter infinite diſtantia non 11
poteſt dari Unio : atqui Natura Divina & humana infinite invicem diſtant : *ergo.*

RESP. *Diſt. maj.* Si nulla ſit inter ſic diſtantia proportio. *Conc.* Si ſit. *Neg.* Quamvis vero in ratione *Entis* nulla ſit proportio, inter Naturam divinam & humanam, & hac ratione infinite diſtent, eſt tamen quædam proportio *Habitudinis*, ut vocatur, in eo conſiſtens, quod Natura humana a Verbo aſſumi & terminari poſſit.

OBJIC. IX. Sequeretur, eandem Perſo- 12
nam eſſe ſimul infinitam, immenſam, omnipotentem, ubique præſentem : ſecus non foret cum toto Verbo conjuncta ; & non eſſe infinitam &c. Atqui hæc ſunt contradictoria. *Ergo.*

RESP. *Diſt.* Sequeretur, idem Suppoſitum eſſe finitum & infinitum, ſecundum Divinam Naturam in una Perſona ſubſiſtentem. *Conc.* Secundum eandem Naturam aut perſonalitatem. *Neg.* Verum eſt, Chriſtum eſſe finitum, circumſcriptum, infirmum, ſecundum Naturam humanam, infinitum vero, immenſum, ſecundum Divinam ; quia ita naturæ fuerunt unitæ, ut quælibet ſuas proprietates ſervaverit. Jam autem contradictio non eſt, niſi ſit affirmatio & negatio *ejusdem de eodem ſecundum idem* : quod hic non contingit.

13 RESOLUTIO II. Sola ratione naturali hoc myſterium *poſitive* demonſtrari non poteſt.

PROB. I. ex S. Scriptura Math. XVI. 17. ubi Petro Chriſti divinitatem confitenti ab eodem dictum eſt: *caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Paulus etiam Eph. III. 8. Incarnationem appellat *inveſtigabiles divitias Chriſti & diſpenſationem myſterii abſconditi a ſæculis in Deo.*

14 PROB. II. Quod Angeli Reprobi naturali ratione inveſtigare non potuerunt, id merito cenſetur, *poſitive* demonſtrari non poſſe; cum enim illi in prima ſui conditione fuerint creati cum perfecta Scientia rerum naturalium, hac autem, ut communis fert opinio, poſt lapſum non fuerint privati, ſequitur, id multo minus ab humano Intellectu in pœnam peccati ignorantiæ tenebris obnubilato inveſtigari poſſe, quod Angelus naturaliter cognoſcere non potuit. Atqui Angeli non potuerunt naturaliter cognoſcere Incarnationis Myſterium, quod patet ex Paulo 1. Cor. II. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit*: ubi per *Principes Sæculi hujus* SS. Patres paſſim intelligunt Dæmones, qui in S. Scriptura frequenter appellantur Principes Mundi, Tenebrarum harum. *Ergo* &c.

PROB.

PROB. III. Patres paſſim docent, inveſtigabile eſſe hoc myſterium, & a nullo 15
Intellectu creato etiam angelico comprehendi, ſed ſola Revelatione cognoſci poſſe: alias Dæmones certe cognoviſſent, & *nunquam Dominum Gloriæ crucifixiſſent.*

PROB. IV. Ratione. Demonſtratio *poſitiva* fit vel *a priori* per cauſas, vel *a poſteriori* per Effectus: atqui neutro modo 16
Incarnatio demonſtrari poteſt. *Ergo. Min. prob.* Non a priori; nam nullam aliam ſui habet cauſam præter liberam Dei Voluntatem, Chriſtum incarnari volentis: quid autem Deus voluerit, vel non? cum ſit Quæſtio Facti liberi, nulla ratione pure naturali: ſed ex Authoritate revelantis deprehendi poteſt. Non a poſteriori per Effectus; illi enim vel naturales ſunt, vel ſupernaturales; atqui non poteſt demonſtrari per Effectus *naturales*; hi enim non alii erant, quam perpeſſiones, atque Infirmitates, cum natura humana aſſumptæ, quæ Chriſtum potius nudum Hominem, quam Verum Deum naturali Rationi exhibent. Non per effectus *ſupernaturales*; iſti enim fuerunt Miracula varia atque innumera a Chriſto patrata: atqui hæc præciſe ſumpta, non ſunt Signa demonſtrativa divinitatis perſonalis; quia exinde præciſe non conſtat, an illa Chriſtus patraverit Virtute ſibi propria, an Virtute communicata; quemadmodum Apoſtoli alii-

aliique talia patrarunt & majora : quin tamen ex eo inferri potuerit : ipsos esse Deos incarnatos.

17 Objic. I. Quod demonstratur non impossibile, illud *positive* demonstratur esse possibile. Atqui Incarnationem non esse impossibilem, potest demonstrari ex dictis. Ergo *positive* demonstrari potest esse possibilem.

Resp. *Dist. maj.* Sumendo impossibile *negative*, seu, solvendo quæ possunt opponi. *Neg. maj.* Sumendo illud *positive*, seu, affirmative, ostendendo positive nullam involvi Repugnantiam. *Conc. maj. Dist. min.* Incarnatio demonstratur non impossibilis, *negative. Conc.* Affirmative & positive. *Neg. min.*

18 Objic. II. Inter esse possibile & impossibile, non est medium: ergo etiam inter demonstrari non impossibile, & demonstrari possibile, non est medium: atqui demonstrari non potest, Incarnationem esse impossibilem: ergo demonstrari potest, esse possibilem.

Resp. Nego *cons.* Nam impossibile seu non possibile, & possibile, sunt vera contradictoria affirmando & negando idem de eodem Ente, inter quæ non datur medium. Econtra demonstrari non impossibile

ſibile & demonſtrari poſſibile, non ſunt contradictoria, quia utrumque eſt affirmativum, unum explicite, alterum implicite, propter duas negationes, quæ efficiunt unam affirmationem.

Objic. III. Chriſtus patrando Miracula, 19
evidenter demonſtrabat, ſe eſſe Deum & Hominem. Ergo quia Judæi ac Gentiles tunc viventes naturali lumine ſcire poterant, illa Opera & vera eſſe Miracula, ut Reſuſcitatio mortuorum: & Deum in confirmationem falſi, ea patrare non poſſe: neceſſario inferre debebant, illum eſſe verum Deum, qui in confirmationem ſuæ Divinitatis a ſe aſſertæ ea patravit. Hac ratione Chriſtus ipſe ſuos convincere volebat Adverſarios Joan. X. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.*

Resp. *Diſt. ant.* Chriſtus per Miracula naturaliter demonſtrabat, ſe eſſe Deum, prout illa erant conjuncta cum ſua Aſſeveratione ſeu Teſtimonio, illa patrari in ſignum Divinitatis. *Conc.* Per Miracula nude & in ſe ſpectata. *Neg.* Jam vero Teſtimonium Chriſti jam eſt aliquid extrinſecum: Demonſtratio autem *poſitiva* debet peti ex intrinſecis; cum enim Miracula etiam ab alio patrari poſſunt Ope divina: hinc ea per ſe non ſunt ſigna Divini-

vinitatis in patrante, nisi Miracula efficiens eadem usurpet in confirmationem Divinitatis personalis a se assertæ. Ubi evidentia pendet ex Testimonio dicentis, miraculis confirmato, & fidem Auditorum conciliante.

§. II.

De convenientia Incarnationis.

Quæritur, utrum Deo, Homini, Personæ ac Tempori conveniens fuerit Incarnatio, ejusque modus?

20 Resolutio I. Deo, & quidem inter tres Personas Filio præcipue congruebat Incarnatio.

Prob. I. Pars. Id maxime congruit Deo summo Bono, quod est sui communicativum, quo ejusdem Perfectiones manifestentur ad extra: atqui hoc luculentissime fit per Incarnationem; sic enim elucet I. infinita Dei Bonitas, Misericordia, Charitas, Hominem perditum redimentis: II. Justitia, ut Peccati gravitas ostenderetur, pro quo condigne nulla Creatura, sed solus Deus-Homo satisfacere posset. III. Sapientia, quæ admirabilem hunc modum hominem Deo reconciliandi excogitavit. IV. Potentia, hunc ipsum modum, qui nostrum captum superat, exsequens.

Prob.

PROB. II. Pars. Quamquam earum rerum, 21
quæ a sola & libera Dei Voluntate pendent, ratio convincens dari nequeat, varias tamen congruentias cum PP. assignare licet. I. Conveniens erat, ut ille nasceretur in tempore, qui Filius est Patris ex utero ante Luciferum genitus. II. Cum omnia per Verbum facta sint, conveniebat, ut & opus Redemptionis etiam per Verbum fieret. III. Cum Homo per Sapientiam conditus, per Insipientiam propriam perierit, conveniebat maxime, ut, qui est Sapientia Patris, eum repararet. IV. Cum Verbum sit Imago Patris, & Homo ad Imaginem Dei conditus eandem peccato deformaverit, ad Verbum pertinere videbatur, ut eundem reformaret. V. Cum per Incarnationem restituendum fuerat amissum Jus Hæreditatis ad Regnum cœleste, congruebat id fieri per Filium, qui est Hæres naturalis, ut nos quoque Filii Dei, Christi Fratres, & Cohæredes efficeremur.

RESOLUTIO II. Homini, totique Mundo 22
maxime congruebat Incarnatio.

PROB. I. Ex innumeris Bonis, quæ ex Incarnatione in Genus humanum redundarunt, ut est Gratia sanctificans, qua divinæ efficimur consortes Naturæ & Filii Dei adoptivi: Doctrina cœlestis & Exemplum Virtutum omnium, præcipue Humi-

litatis,

litatis, qua confunderetur Superbia Dæmonis & Hominis: liberatio a Servitute Diaboli: humanæ Naturæ ſuper Angelicam exaltatio ob unionem cum Verbo: Regni cœleſtis clauſi reſeratio, facilisque ad Patrem per Filium Mediatorem & Advocatum acceſſus, aliaque innumera, quæ Orbi univerſo Decus ac ornamentum attulere; cum per Chriſtum *omnia*; *quæ in cælo & in terra*, *fuerint inſtaurata*; ut Loquitur Paulus Epheſ. I. 10.

23 Prob II. Convenientius fuiſſe Hominem quam Angelos redimi, quia 1. ſolum Pars quædam Angelorum; econtra Hominum univerſum Genus lapſum fuerat. 2. Quia Angeli ſponte citra tentationem peccaverant, Adam vero ſeductus ab Eva; Eva a Serpente inducta ceciderat. 3. Quia quisque Angelorum propria & perſonali Voluntate peccaverat: contra ſolus Adam perſonaliter, Poſteri per ipſum quadam imputatione peccaverant. 4. Quia Angelorum Voluntas non ita fluxa & labilis, & eorum natura minus infirma, quam Hominum fuit. 5. Quia cum Diabolus Invidia Hominem ad peccandum induxerat, congruum videbatur, ut Deus opus ſuum reſtitueret; ne Diabolo contra Deum & Hominem gloriandi ullus locus ſupereſſet. Sed ut verum fateamur, ſolius & liberrimæ Miſericordiæ fuit, ut Angelis in ſua damnatione relictis Deus in mundum veni-

veniret, unam Ovem quæ perierat, quæreret, & toto effuso sanguinis pretio redimeret.

Resolutio III. Modus in Hominis Redemptione adhibitus, ex omni parte aptissimus videtur. 24

Prob. I. Homo per Superbiam peccaverat: ergo redimendus erat per Humilitatem stupendam, ipsiusque Dei exinanitionem, formam Servi assumentis pro eo, qui voluit esse sicut Dii, seductus a Dæmone, qui cupiebat similis esse Altissimo. II. Cum Homo fuerit superatus a Diabolo, ejusque effectus Mancipium; congruum videbatur, ut Deus in humana Natura Diabolum justa certaminis lege vinceret, Hominemque ab ejus servitute liberaret. III. Ut nasceretur ex Muliere Virgine, qui Mundum per Mulierem tunc adhuc Virginem perditum repararet, IV. nec Sexum ullum respiceret, qui utrumque redimere venerat. V. Conveniebat Pontificem ex Hominibus assumi, qui posset compati Infirmitatibus nostris, quas ipse suo in corpore fuerat expertus. VI. Ut, qui in Ligno vincebat, in Ligno quoque vinceretur Dæmon, sicque chirographum peccati in Ligno deleretur.

Resolutio IV. Incarnatio convenientissimo tempore peracta fuit. 25

Prob.

Prob. Non debuerat Homo lapsus statim redimi 1. quia ad summum, quale opus est Redemptio, non statim devenitur. 2. Quia cum Homo peccaverit per Superbiam, affectando inordinate Excellentiam indebitam, conveniens fuerat, ut longiori tempore sentiret ærumnas ac Miserias e Peccato ortas, ipsamque Peccati gravitatem: sicque expertus vim morbi & duritiem Servitutis Diaboli, vehementiori Affectu suspiraret ad Medicum, Redemptorem, eumque advenientem majore Veneratione susciperet. 3. Cedit hoc ad Dignitatem Messiæ, ut diu & a multis, imo ab omnibus Gentibus desideraretur.

26 Neque tamen decebat, Incarnationem differri ad Finem Mundi; quia sic Fructus ejus in pauciſſimos redundasset, quod non congruit Divinæ Bonitati, communicativæ sui. Igitur convenientissime in Plenitudine Temporis peractum fuit Redemptionis opus, quando Homo & Onus Peccati sensserat & post densissimas Status Legis Naturæ Tenebras, per Legis Mosaicæ scintillas jamjam ad veram Lucem in Lege Gratiæ recipiendam præparatus, ab eo denique perfecte illuminandus erat, qui nos reducere venerat ad *Patrem Luminum*, **Lumen inaccessibile inhabitantem.**

§. III.

§. III.

De Necessitate Incarnationis.

Supposita distinctione Necessitatis *simpli-* 27.
citer talis, & *secundum quid*: item *absolutæ*, & *conditionatæ*, certum est contra WICLEFUM, Incarnationem non fuisse simpliciter & absolute necessariam, præscindendo ab Hypothesi creandi Mundi, & Peccati humani; cum enim Deus ad extra sit liber, Incarnatio autem sit Opus ad extra, sequitur, Deum ab eadem decernenda ita abstinere potuisse, quemadmodum potuisset Mundum nullum condere. Atvero in Hypothesi Mundi creandi, contendunt RAYMUNDUS LULLUS, & MALEBRANCHIUS, non potuisse Deum ab Incarnatione decernenda abstinere, ex eo maxime; quod Deus necessario propter suam Sapientiam debuerit Mundum condere OPTIMUM, qualis sine Incarnatione non fuisset, de quo vid. Tom. I. harum Prælection. Cap. VI. §. II. Alii dicunt, Deum in hypothesi Hominis lapsi, non potuisse non redimere Hominem, nec alia, quam Incarnationis Via. Alii iterum existimant, necessariam fuisse Incarnationem, in hypothesi, quod Deus Hominem liberare a lapsu voluerit. Communior denique est sententia, in hac solum Providentia necessariam esse Incarnationem, qua Deus Rigorosam pro peccato satisfactionem decre-

vit exigere, quam pura Creatura præstare non potuisset. His obsservatis statuitur

28 Resolutio I. Incarnatio non fuit necessaria ex hypothesi Hominis lapsi.

Prob. Potuit Deus Hominem non redimere, & in massa perditionis relinquere : Ergo supposito Lapsu non fuit necessaria Incarnatio. *Ant. prob.* Redemtio fuit Opus solius Misericordiæ: Deus ergo ab ea abstinere potuit. *Ant. prob.* 2. Magis necessaria est Hominis, quam Angeli lapsi Redemtio : atqui Deus potuit non redimere Angelum. Ergo etiam potuit non redimere Hominem. *Ant. prob.* 3. Culpa, & Liberatio ab eadem, non habent necessariam connexionem. *Ergo. Ant. prob.* 4. Redemtio est Opus Dei ad extra: atqui Deus ad extra est liberrimus. *Ergo.*

29 Objic. I. S. Athanasius, & quidem alii SS. Patres dicunt, indecorum fuisse, si Deus Hominem lapsum non reparasset. Atqui nihil indecorum Deus admittere potest. Ergo debuit Hominem reparare.

Resp. *Dist. maj.* Dicunt, fuisse indecorum, *negative. Conc. Privative.* Nego. Illud dicitur *privative* indecorum, quando aliquid fit contra Decentiam debitam. Negative autem, quando aliquid omittitur, quod quidem certa ratione foret conveniens,

niens, non tamen debitum. Jam dixi, conveniens Deo & Homini fuiſſe, ut Deus incarnatus hominem repararet; quia tamen hoc eſt Opus ad extra, & ſolius Miſericordiæ; hinc Deus nullo Jure fuit obligatus Hominem reparare, ex Rationibus jam allegatis.

Objic. II. S. Anselmus toto opere, cui titulus: *cur Deus Homo*, duo docet: 1. Deum non potuiſſe Hominis primi lapſum permittere, niſi etiam ejus Redemptionem mox decreviſſet. 2. Non potuiſſe Hominem aliter, niſi plena Satisfactione; adeoque per Deum incarnatum redimi. Utrumque deducit ex hoc Principio l. 1. c. 10. „ Sicut in Deo quantumlibet parvum in- „ conveniens ſequitur impoſſibilitas, ita „ quantumlibet parvam rationem, ſi ma- „ jori non vincitur, comitatur neceſſitas. „ Ergo: 30

Resp. Aut exponi debet S. Anselmus, quod loquatur de Neceſſitate *conſequente* ad decretum Dei, exigentis Satisfactionem condignam: aut de neceſſitate *ſecundum quid*, ſeu, ſolius congruentiæ; non autem de *antecedente*, & *abſoluta*: aut ſi aliter ſenſit: hoc in capite deferendus erit; cum unius Doctoris, quamvis ſancti, Authoritas, contra communem aliorum, Veritatem non evincat.

31 RESOLUTIO II. Suppoſito etiam Decreto Hominem redimendi, ſi Deus ab exigenda rigoroſa Satisfactione abſtinere voluiſſet, quod potuiſſet, tunc Incarnatio non fuiſſet neceſſaria.

PROB. I. Conſtans eſt SS. Patrum aſſertio, Deo plures alios modos poſſibiles fuiſſe, quibus lapſum Genus hominum reparare potuiſſet; ut inter alios præprimis contra PETRUM Abaelardum evincit S. BERNARDUS, atque ex ejusdem Sapientia & Omnipotentia facile deducitur. 2. Deo non minus competit Jus adgratiandi, quam humano Judici, aut cuilibet Perſonæ læſæ: atqui Homo Injuriam ſibi illatam gratis condonare, Pœnam & condignam Satisfactionem remittere poteſt. Ergo etiam Deus potuit. 3. Peccati punitio & condignæ Satisfactionis poſtulatio, eſt Opus ad extra, in quo Deus eſt liber. Ergo potuit abſtinere. 4. Poteſt Deus minorem Peccato infligere Pœnam, quam de ſe eidem deberetur: ergo etiam prorſus condonare. 5. Condonare gratis Pœnam, & non exigere condignam Satisfactionem, nullam involvit contradictionem: atqui Deo id omne poſſibile eſt, quod non dicit contradictionem. *Ergo.*

32 OBJIC. I. Plures SS. Patres clare docent, Hominem niſi per Incarnationem & Satisfactionem, redimi non potuiſſe. Ergo

suppositio decreto Redemptionis, Incarnatio fuit necessaria.

Resp. *Dist. ant.* Docent hoc Patres, supposito Decreto divino de exigenda condigna satisfactione. *Conc.* Abstrahendo ab illo, & in alia hypothesi, seu, Providentia. *Neg.* Hinc dum S. Athanasius dicit, non potuisse Deum integra & illæsa sua Veritate & Justitia hominem sine legitima satisfactione redimere, intelligendus de hac Providentia, in qua Deus jam Legem tulerat de exigenda Satisfactione legitima. Et hac suppositа Lege utique Deus contra Veritatem & Justitiam, seu, contra suam legem ageret. Non autem loquitur *absolute*.

Objic. II. Deus nihil potest agere contra suam Justitiam, quæ ipsius est naturalis & essentialis Perfectio. Atqui remittere Peccatum impunitum, est contra Justitiam, cum hujus sit officium, Peccata punire. *Ergo.* 33

Resp. *Dist. maj.* Nihil potest agere contra suam Justitiam, *positive*, ita ut Injustitiam committeret, & alterius Jus violaret. *Conç. Negative*, non utendo suo Jure, & eidem misericorditer derogando. *Neg.* Sic Princeps etiam supremus non potest agere contra Justitiam, *positive* puniendo Innocentem; potest tamen *negative*, non punien-

puniendo Nocentem, & utendo Jure ad-gratiandi. *Diſt.* etiam additum. Juſtitia eſt Deo eſſentialis & naturalis, Juſtitia in actu primo. *Conc.* In actu ſecundo, ſeu, quoad exercitium, eſt Deo eſſentialis. *Neg.* Certe juſtus fuiſſet Deus in actu primo, etſi vel Mundum non condidiſſet, vel Peccatum non permiſiſſet: quo tamen caſu Juſtitiam in actu ſecundo non exercuiſſet. Dein Miſericordia non minus eſt Deo eſſentialis quam Juſtitia. Atqui potuiſſet Deus non miſereri Hominis, ſicut non eſt miſertus Angeli. Ergo etiam potuiſſet non exigere Satisfactionem legibus Juſtitiæ commenſuratam, aut potuiſſet minorem exigere.

34 Objic. III. Juſtitia debet unicuique tribuere, quod ei debetur. Atqui Peccato debetur Pœna proportionata. Ergo Juſtitia Divina debet Pœnam Peccato rependere. Ergo non poteſt ſine Satisfactione condonari.

Resp. *Diſt. maj.* Niſi ille, cui debetur, Jus ſponte remittat. *Conc.* Secus. Nego. Peccator debet luendo Pœnas ſatisfactionem præſtare Deo, qui tamen ex Miſericordia Jus ſuum remittere poteſt.

35 Objic. IV. Si Deus Operibus vere meritoriis non redderet Præmium, eſſet injuſtus. Ergo etiam ſi Peccatis non redit

dit Pœnam, injuſtus foret ; quia utrumque exigit Juſtitia diſtributiva.

Resp. *Diſt. ant.* Suppoſita promiſſione Præmii. *Conc.* Secus. *Neg.* Niſi enim Deus noſtris Operibus ex Gratia & cum ceteris conditionibus factis, liberaliter voluiſſet Mercedem promittere, nulla eisdem de ſe deberetur : Poſtquam autem promiſit, & quemdam quaſi Contractum cum Homine iniit, infidelis & injuſtus foret, non ſervando Promiſſum. Nego etiam *conſeq.* Diſparitas eſt ; quia Meritum acquirit Jus Perſonæ merenti, ſuppoſita nimirum promiſſione : Peccatum autem acquirit Jus puniendi Deo, utpote Perſonæ læſæ, qui ſuo Jure cedere poteſt, absque eo, ut ulli faciat Injuriam ; quam faceret tamen, non dando Mercedem promiſſam merenti. Peccator habet ſolum Jus paſſivum, ſeu, obligationem ſuſtinendi Pœnas debitas, ſi offenſus eas exigere velit.

Resolutio III. Suppoſito Dei Decreto 36 Hominem non redimendi, niſi exacta ab eodem condigna pro Peccato Satisfactione, neceſſaria fuit Incarnatio.

Prob. I. Contra Socinianos, qui docent, Deum non ſolum *poſſe*, Peccatum remittere absque ulla Satisfactione, in quo & Catholicos non nullos ſibi conſentien-

ſentientes habent, ſed etiam *de facto* ita *voluiſſe*; ut Deus cum Homine in Gratiam redeat, ſtatim ac Fide in illum elicita reſipuerit, absque Satisfactione præſtita: pœnas vero ad ſolos pertinere Impœnitentes. Probatur, inquam, Deum de facto nolle remittere Peccatum absque Satisfactione. Id enim inprimis conſtat ex SS. Litteris, quæ ſummum Dei Odium erga Peccata, ſummam erga Peccatores Iram, Pœnas graviſſimas, non ſolum Minis intentatas, ſed actu inflictas, omnibus vere Paginis referunt. Ita punivit Adamum, & in eo totum Genus humanum lapſum, non ſolum ejectione e Paradiſo, innumeris vitæ Ærumnis, Morbis, Doloribus, Morte denique ipſa, ac non ſolum naturalis, ſed etiam æternæ Beatitudinis, ad quam fuerat creatus, Privatione. Integrum Orbem caſtigavit Diluvio: Sodomam, Hebræos, Gentes varias Igne & Ferro, Fame, Peſte, Bello, Exilio, Morte temporali ob commiſſa Scelera frequentiſſime punivit, quamquam multi eorum a Peccato jam reſipuiſſent.

37 PROB. II. Ex omnium Gentium conſenſu & naturali Conſcientiæ Teſtimonio ſcimus, Deum juſtiſſimum ac ſeverum Peccati Vindicem. Unde enim acres Conſcientiæ Stimuli, qui Furiarum inſtar Animam peccati ream non raro usque ad Deſperationem exagitant, ut ubique fere fulgu-

fulgurantem ſupra ſe Vindicis Enſem ſibi imminere arbitretur? niſi ex naturali perſuaſione, Peccatum non fore impunitum?

PROB. III. In Veteri lege ab ipſo Deo 38
imperata erant Sacrificia propitiatoria pro Peccatis, quæ utique inſinuant, Deum Satisfactionem exigere, iisdemque placari voluiſſe, non quidem, ut erant in ſe admodum infirma & egena Elementa, ſed ut erant Figura, veri illius Sacrificii cruenti in Cruce peragendi, e cujus unius Satisfactione Redemptio ſperari poterat.

PROB. IV. PAULUS tota Epiſtola ad Hebr. 39
docet, neceſſariam fuiſſe Mortem Chriſti; quia Deus decreverat, ſine Sanguinis effuſione non fieri Remiſſionem: hinc oportuiſſe pati Chriſtum: qui & factus fuit obediens Patri usque ad Mortem Crucis. Fuerat ergo conſtans Voluntas Dei, puniendi Peccatum; quia ſecus ſine cauſa ſanguis Filii fuiſſet profuſus.

PROB. II. Pars, ſuppoſita condignæ Sa- 40
tisfactionis Exactione, Incarnationem fuiſſe neceſſariam. Pura Creatura, ſeu, quæ Deo hypoſtatice unita non eſt, condignam pro Peccato Satisfactionem Deo præſtare non poteſt: ergo ſi Deus voluit eam exigere, nec niſi ea præſtita, culpam & Pœnam remittere, Deum oportuit Homi-

nem fieri; qui ſolus potuit eam præſtare. *Ant. prob.* Satisfactio, quæ in genere eſt Injuriæ compenſatio & læſi Honoris Reſtitutio, ut perfecta ſit & condigna, debet voluntarie Honorem reddere læſo æquivalentem, & quidem ex propriis & indebitis, in ordine ad compenſandam Injuriam: atqui talem Satisfactionem pura creatura præſtare non poteſt. *Ergo. Maj.* eſt recepta apud omnes. *Min. prob.* I. Pura Creatura quantiscunque Gratiæ auxiliis inſtructa (ſine his enim nequidem mereri, multo minus æquivalentem Injuriæ Satisfactionem præſtare poteſt, cum Opera ſolum forent naturalia) nihil poteſt dare *ex propriis*; cum omnia, quæ habet, Dei ſunt, & cum Deus omnia opera noſtra operetur in nobis, ut dicit Iſaias XXVI. 12. & Paulus 1. Cor. IV. 7. *Quid habes, quod non acceſiſti?* nimirum per conceſſam & continuo conſervatam operandi Facultatem, cum *non ſimus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi a nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit*, ut ait Paulus 2. Corinth. III. 5.

41 *Min. prob.* II. Creatura nihil ex *indebitis* dare poteſt; ſi enim creaturæ nihil proprium eſt, tunc omne quod habet, jam ante ſatisfactionem illi debet, a quo accepit, & per quem operatur; atqui ex dictis creatura pura nihil habet proprii, ſed omnia ſunt Dei, qui earum habet ſupremum

premum Dominium. Ergo omnia Deo debet, & quidem multiplici Titulo, Gra*titu*dinis, Religionis, Juſtitiæ: ergo creatura non habet indebita, ex quibus ſatisfacere poſſet.

Min. prob. III. Pura Creatura non poteſt reddere *æquivalens*, quod ad condignam Satisfactionem requiritur; nam ut Satisfactio ſit æquivalens, debet eſſe tanti valoris, Pretii & æſtimationis, quantæ gravitatis eſt Injuria Perſonæ læſæ illata, & jam reparanda: atqui Satisfactio puræ Creaturæ nunquam eſt tanti valoris, quantæ gravitatis eſt Injuria per Peccatum Deo irrogata. Ergo non poteſt eſſe æquivalens: *Min. prob.* Satisfactionis Valor & Pretium deſumitur ex Perſona ſatisfaciente, Injuriæ autem gravitas ex dignitate Perſonæ læſæ; ut enim eſt in Proverbio, Honor eſt in honorante: Injuria in injuriato, ſeu læſo. Atqui pura Creatura nunquam poteſt eſſe tantæ dignitatis, quantæ eſt Deus, Peccato offenſus. Ergo Satisfactio puræ Creaturæ nunquam poteſt eſſe tanti valoris, quantæ gravitatis eſt Injuria, Deo illata. *Min.* ulterius confirmatur. Injuria Peccati mortalis, aut infinitæ eſt gravitatis, utpote in Bonum infinitum commiſſa, ut bene multi Theologi ſentiunt; aut ſaltem ſuperioris eſt Ordinis; ut ergo Satisfactio Creaturæ ſit æquivalens, deberet eſſe aut infiniti pre- 42

tii & valoris ; aut saltem ejusdem cum Deo Ordinis. Atqui nec infinita esse potest in ratione valoris & pretii, nec ejusdem cum Deo Ordinis. Ergo nulla ratione potest esse æquivalens. Atque ex his clare deducitur, solum Deum, Hominem factum, æquivalentem ex *propriis* & *indebitis*, adeoque condignam Patri pro nostris Peccatis exhibere potuisse Satisfactionem ; id, quod & SS. Patres uno Ore testantur, quorum vel pauca Momenta adferam, ex ultima Antiquitate petita.

43 S. Justinus M. in Epist. ad *Diognetum*, aut quisquis alius, certo Justino dignus, N. 9. pag. m. 251. in hæc Verba scribit: „ Ceterum usque ad superius Tempus si- „ vit nos (Deus) pro libito incertis mo- „ tibus agitari, dum a Voluptatibus & „ cupiditatibus transversi raperemur: non „ quidem quod ullo modo peccatis no- „ stris gauderet, sed ea tolerans: Neque „ illud quo injustitia exercebatur tempus „ approbans, sed mentem Justitiæ creans: „ ut cum eo tempore convicti essemus „ e propriis Operibus, Vita esse indigni, „ nunc Dei Benignitas nos ea dignaretur: „ *Et quum manifestum fecissemus, non posse* „ *ex eo, quod in nobis situm est, in Regnum* „ *Dei ingredi, per Potentiam Dei nobis id* „ *posse daretur.* Quum autem ad cumu- „ lum malitia nostra perveniisset, & plene „ manifestum factum foret, mercedem

„ pecca-

„ peccati esse supplicium, & mors ex-
„ spectaretur: adveniissetque tempus a Deo
„ præstitutum ad suam deinceps Benigni-
„ tatem ac Potentiam declarandam, &
„ quomodo præ immenso quo homines
„ prosequebatur Amore, nos Odio non
„ habuerit, neque rejecerit, neque im-
„ probitatis nostræ memorem se ostende-
„ rit, sed patienter eam tulerit ac susti-
„ nuerit: ipse peccata nostra suscepit,
„ proprium ipse Filium pretium Redemtio-
„ nis pro nobis dedit, Sanctum pro iis
„ qui legem transgressi erant: nihil mi-
„ nus quam malum pro malis. . . . *Quid*
„ *enim aliud peccata nostra potuit tegere quam*
„ *ejus Justitia? In quo alio nos iniqui &*
„ *impii justificari possumus, quam in solo*
„ *Dei Filio?* . . . Quum igitur superiori
„ tempore hujus nos rei convicisset, *non*
„ *posse nostram naturam Vitam consequi*,
„ nunc autem Servatorem ostendisset,
„ qui servare posset ea etiam, *quæ serva-*
„ *ri non poterant*; utrinque nos Benigni-
„ tati suæ fidem habere voluit, ipsum
„ existimare Altorem, Parentem, Magi-
„ strum &c. „ S. Irenæus contra Hære-
ses III. 18. n. 7. nov. Edit. pag. m. 211.
„ Si Homo non vicisset inimicum homi-
„ nis, non juste victus esset inimicus.
„ Rursus autem nisi Deus donasset Salu-
„ tem, non firmiter eam haberemus. Et
„ nisi homo conjunctus fuisset Deo, non
„ potuisset particeps fieri incorruptibilita-

„ tis.

„ tis. Oportuerat enim Mediatorem Dei „ & hominum, per ſuam ad utrosque do„ meſticitatem, in amicitiam & concor„ diam utrosque reducere, & facere, ut „ Deus aſſumeret hominem, & homo ſe„ dederet Deo. „ S. BASILIUS Magnus ad Verba Pſalmi XLVIII. 8. *Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis Animæ ſuæ*, ita commentatur: „ Ne igitur „ fratrem quæras qui redimat, ſed eum, „ qui naturam tuam ſuperat: neque me„ rum hominem, ſed hominem Deum Je„ ſum Chriſtum, qui & SOLUS poteſt da„ re propitiationem pro omnibus. „ S. PAULINUS Epiſt. 4. ad Severum: „ Ideo „ dictum puto; *Frater non redimit, redi„ met homo*? quia quos frater non redi„ merat, hoc eſt, Propheta, ſeu Legis„ lator, qui homo tantum erat, hos Ho„ mo redemit, qui & Deus erat. . . . „ Hujus enim modi homo SOLUS præva„ lere potuit adverſus Sententiam mor„ tis. „ Unum ſuperaddo S. FULGENTIUM Ruſpenſem Epiſcopum de Incarnat. & Gratia cap. 4. pag. 278. Edit. Romanæ noviſſ. „ Nullatenus namque humana natu„ ra ad auferendum peccatum mundi ſuf„ ficiens atque idonea fieret, niſi in Unio„ nem Verbi Dei, non naturali confuſio„ ne, ſed ſolum perſonali unitate tran„ ſiret. „

OBJIC.

OBJIC. I. contra I. Part. Deus reſipiſcen- 44
tibus veniam & Pœnarum condonationem ſæpius in S. Scriptura promiſit: ergo Satisfactio etiam defacto eſt ſolum conditionata.

RESP. *Diſt. ant.* Promiſit intuitu Satisfactionis a Chriſto præſtandæ, & jam præviſæ. *Conc.* Absque illo intuitu. *Neg.* Imo vero Deus Peccatum, etiam quoad culpam & Pœnam æternam ex præviſis Chriſti Meritis remiſſum, graviſſimis pœnis temporalibus caſtigavit; ut conſtat in DAVIDE & aliis.

OBJIC. II. contra II. Part. Homo habet 45
actionum ſuarum liberam adminiſtrationem & dominium: ut patet ex Geneſ. IV. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ergo poteſt Deo ſatisfacere ex propriis.

RESP. *Diſt. ant.* Habet Homo Dominium, *ſubordinatum* & dependens a Deo. *Conc.* Supremum & independens. *Neg.* Homo quoad actus ſupernaturales, ſine quibus nequidem fingi poteſt Satisfactio, in tantum dependet a Deo, ut ſine ejus Gratia immerito conceſſa, nullum efficere valeat opus meritorium & ſatisfactorium; hinc ſtricte non eſt Opus Hominis proprium, niſi elicitive.

OBJIC. III. Quamquam Respublica ha- 46
beat Dominium altum in Dona Civium, po-

poteſt tamen civis ſatisfacere Reipublicæ ex *propriis*. Ergo etiam Deus Homini.

Resp. Nego *conſeq.* Diſparitas eſt, quia Respublica non habet Dominium ſingulare in ſingula Dona Civium, ſed ſolum *generale* & quidem tantum in caſu neceſſitatis publicæ: Econtra Deus & *ſemper*, & in *quemlibet* Hominis Actum habet Dominium ſpeciale; atque ita quodlibet Hominis Opus a Deo dependet, *in quo vivimus, movemur & ſumus.*

47 Objic. IV. Peccatum eſt tantum *finitum.* Ergo ſatisfactio pro eodem, Creaturæ Vires non ſuperat. *Ant. prob.* Non datur infinitum, majus altero: atqui Peccatum unum, eſt altero gravius: ergo nullum eſt infinitum.

Resp. An Peccatum ſit finitum, aut infinitum, litigare nolo; eſt tamen ſemper Ordinis ſuperioris; hinc quodlibet Opus creaturæ non eſt *æquivalens* Injuriæ illatæ. Nam Honor deſumitur a dignitate Perſonæ honorantis; Injuria autem a dignitate Perſonæ læſæ. Cum ergo Creatura, Deum quomodocunque honorans, ſemper ſit Ordinis inferioris; hinc nullum ejus Opus erit æquivalens Injuriæ, Deo in ſuperiori ordine conſtituto illatæ.

48 Objic. V. Qui reddit, quod abſtulit, legitime ſatisfacit: atqui Peccator per veram contritionem & Actum Charitatis, red-

reddit Deo ; quod peccando abſtulerat, nempe Rationem ultimi Finis. *Ergo.*

Resp. *Diſt. maj.* Quando agitur de Reſtitutione. *Conc.* Quando agitur de ſatisfactione & Injuriæ reparatione. *Neg.* Reſtitutio tantum reſpicit æqualitatem rerum: Satisfactio autem requirit compenſationem, Injuriæ illatæ æqualem, quam Creatura in ordine inferiore conſtituta nunquam præſtare poteſt.

Objic. VI. Peccatum ideo dicitur infi- 49
nitum, quia Deus offenſus, eſt infinitus: ergo etiam Actus Amoris a Creatura elicitus, dici poterit infinitus ; quia Deus, ab eodem amatus, eſt infinitus.

Resp. Omiſſo *anteced. Diſt. conſeq.* Actus charitatis dici poteſt infinitus, *extrinſece* tantum, quia terminatur in objecto infinito, eſt tamen ſemper ordinis inferioris. *Conc.* In eodem cum Deo ordine. *Neg.* Valor Actus Amoris non deſumitur ex Objecto, ſed conſideratur *ſubjective*: Contra gravitas Injuriæ deſumitur ab objecto læſo.

Objic. VII. Actus Amoris tanti eſt va- 50
loris, quanti demeriti eſt Peccatum mortale ; ut enim hoc meretur Pœnam æternam, ita ille meretur Præmium æternum: ergo per Actum Amoris pro Peccato ad æqualitatem ſatisfieri poteſt.

Resp. *Dist. ant.* Tanti est valoris, in ratione *Meriti*, idque ex gratuita Dei Promissione. *Conc.* In ratione *Satisfactionis*, & ex natura operis, præscindendo a gratuita Dei promissione. *Neg. ant.* Valor *Meriti* non desumitur præcise ex æqualitate Operis & Mercedis; quodlibet enim opus Hominis meritorium, finitum est, Merces autem infinita; sed præcipue ex gratuita Dei promissione, qui Merita nostra ultra condignum remunerari vult. Contra Valor *Satisfactionis* desumitur a Dignitate Personæ offensæ, & Injuriæ illatæ gravitate. Cum ergo Injuriæ de se deberetur Pœna æterna & infinita; etiam Satisfactio deberet esse infinita, aut saltem Ordinis superioris.

§. IV.

De Notitia Incarnationis.

Incarnatio spectari potest sive ut futura, sive ut peracta. An ejus habuerint Notitiam Angeli beati & reprobi, Adamus, Patriarchæ, Judæi, Gentes? breviter inquiritur.

51 Resolutio I. Omnibus Angelis beatis a principio suæ Beatitudinis, in generali, seu, quoad substantiam, revelatum fuit Incarnationis Mysterium, non tamen quoad particulares circumstantias. Ita S. Thomas

1. p. q. 57. a. 5. in corp. Rationem addit, quia est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ad Heb. 1. quod quidem fit per Incarnationis Mysterium. Dein GABRIEL Angelus tam Danieli quam B. V. MARIÆ Incarnationem & adventum Messiæ sat clare annuntiavit, ergo & ejus Notitiam habuit: nec est verosimile, quod illi soli, & non etiam aliis, saltem superiorum ordinum Angelis, quoad substantiam revelare voluerit Deus hoc mysterium.

Porro, quod etiam cognoverint illud 52
peractum, colligitur ex eo, quod Angelus CHRISTUM natum annunciaverit Pastoribus, & Multitudo cœlestis Militiæ illum in Cunis adoraverit, eique in Deserto esurienti post tentationem Satanæ ministraverint Angeli.

Quod vero illud etiam peractum non 53
statim cognoverint, quoad omnes circumstantias particulares, patet ex Paulo Eph. III. 8. ubi ait: *Mihi omnium minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit; ut innotescat Principatibus & Potestatibus*

in cœleſtibus multiformis Sapientia Dei. Ex quo inferunt SS. Patres, præcipue CHRYSOSTOMUS, Angelis etiam beatis non niſi per prædicationem Apoſtolorum particulares Incarnationis etiam peractæ circumſtantias innotuiſſe.

54 RESOLUTIO II. Angeli reprobi nec futurum, nec peractum, certo cognoverunt hoc myſterium: quamquam Chriſtum præſentem cognoſcere potuiſſent, niſi Deus eos impediiſſet.

PROB. I. Pars. Adverſarii ſupponunt, Chriſtum fuiſſe Angelis omnibus propoſitum in Via adorandum, & reprobos in eo peccaſſe, quod illum in Natura humana aſſumenda adorare noluerint: quam hypotheſin, utpote nulla Authoritate ſuffultam, confutavi Tom. II. P. I. N. 217. ſeq. Dein, futurum agnoſcere non potuerunt, niſi ex revelatione divina, quam illis tamen factam fuiſſe non conſtat: quin nec peractum certo cognoverunt; nam dubitaſſe Dæmonem, an Chriſtus eſſet purus Homo, vel Filius Dei, patet ex Tentatione in Deſerto, ubi dicebat: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant: - - - mitte te deorſum* &c. Et ex Paulo 1. Cor. II. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt . . . quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixiſſent*: quod de Dæmonibus paſſim exponunt

nunt SS. Patres, & consentit S. THOMAS *I. p. q. 64. a. 1. ad 4.* & AUGUSTINUS apud eundem citatus, idque pluribus probavi in Dissertat. de *Disciplina Arcani* N. 17. seq.

PROB. II. Pars. Clara erant Prophetarum 55
Oracula, nec Dæmonibus incognita, de Messia; & ex Miraculis a Christo patratis, facile potuissent inferre ejus Divinitatem, nisi Deus eos impediisset, denegando lucem ad hoc Mysterium necessariam. Hinc S. IGNATIUS M. epist. ad Eph. scribit, Ideo Christum de desponsata nasci voluisse, ut Partus ejus celaretur Diabolo, dum putat eum non de Virgine, sed de uxore generatum. Dum vero Dæmones ex Energumenis dixerunt Christo: *scio quis sis, sanctus Dei.* Marci I. 24. id de Suspicione, non certa Scientia, intelligi debet.

RESOLUTIO III. Adamus hoc Mysterium 56
cognovit, non quidem ante, sed post lapsum.

PROB. I. Pars. Negative. Sine Revelatione futurum Mysterium scire non potuit Adamus: atqui factam fuisse ei ante lapsum revelationem, probari non potest. Ergo. *Min. prob.* Si posset probari, tunc ex eo, quia evigilans e Sopore post formatam e sua costa Evam exclamavit Gen. II. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, &*

Caro de carne mea. . . . quam ob rem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quam conjunctionem de CHRISTO & Eccleſia exponit PAULUS Eph. V. 32. ubi poſt allegata Adami verba addit: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, ex quo inferunt Adverſarii, Adamum prophetice prædixiſſe Incarnationem; atqui Prophetæ norunt, quæ prænuntiant. *Ergo.* Sed ex hoc non probatur intentum. Nam imprimis certum non eſt, quod Prophetæ omnem Senſum ſuorum Vaticiniorum perſpexerint; quis enim certo affirmabit, BALAAM ſuum Vaticinium, *orietur ſtella ex Jacob*, Num. XXIV. 17. & Caipham illud: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Joan. XI. 50. aut omnes Prophetas ſua Vaticinia perfecte intellexiſſe? Dein cum Vaticinia non raro habeant duplicem Senſum, etiam literalem; dici poteſt, quod forte ADAM in hoc ſuo Vaticinio intellexerit unum quidem, de ſanctitate & indiſſolubilitate Matrimonii, non etiam alterum de Unione divinæ & humanæ Naturæ, atque myſtica conjunctione Chriſti cum Eccleſia. Etiamſi enim PAULUS ſic exponat, non ſequitur, etiam Adamum tunc ita intellexiſſe.

57. PROB. II. Pars. Adamo poſt lapſum promiſit Deus Redemptorem his verbis Geneſ.

nes. III. 15. *Inimicitias ponam inter te* (Serpentem) *& Mulierem, & Semen tuum, & Semen illius, & ipsa* (seu ut alii legunt) *ipsum* (Semen seu *ipse*, filius feminis) *conteret caput tuum*; quod de CHRISTO intelligere debuerunt; quia cum de Fide sit, contra TATIANUM, Adam & Evam salutem fuisse consecutos; certumque sit, neminem sine Fide in Christum justificari posse, sequitur, eos post lapsum Incarnationem cognovisse & Redemptorem speravisse, ejusque Notitiam Posteris suis tradidisse.

RESOLUTIO IV. Sancti veteris Testamenti Homines, & totus Populus Judaicus Fidem habuit in CHRISTUM venturum, sed diverso modo. 58

PROB. I. Pars. Nam de Patriarchis, quibus sat clare promissus fuerat CHRISTUS, vix est dubium. Sic ABRAHAMO Genes. XXVI. 4. promisit Deus: *In Semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* JACOB. Gen. XLIX. 10. prædixit: *Non auferetur sceptrum de Juda* &c. *donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* JOB. XIX. 25. *Scio, quod redemptor meus vivit . . . & videbo Deum Salvatorem meum* &c. MOYSES Exod. IV. 13. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Ratio est, quia sine Fide in Christum nemo poterat salvari.

59 Prob. II. Pars. Populus Judaicus veram Fidem habuit, a Majoribus traditam; atqui hæc se debet etiam extendere ad Christum, qui, ut ait Paulus: *finis legis est omni credenti Judæo primum & græco.* Quod autem hanc Fidem diversimode habuerint, Majores nimirum explicitam, Minores autem *implicitam*, in Fide Majorum probat S. Thomas in 3. Dist. 25. q. 2. a. 2. qq. 2. ad 1.

60 Resolutio V. Exceptis Judæis, in specialem Populum a Deo electis, nulla alia Gens explicitam Messiæ Notitiam habuit: quamquam non nullos inter Gentes in particulari eam habuisse, probabile sit.

Prob. I. Pars. In S. Scriptura Populus Israeliticus post ejus factam semel Electionem nobis ubique proponitur tanquam singularis, ad quem solum Promissiones factæ fuerunt, & in quo solo vera Fides perpetuo conservata fuit. Econtra Populi alii dicuntur fuisse *sine Christo, sine Deo in hoc mundo.* Eph. II. 12. Quod autem etiam in his Gentibus quidam fuerint hac Fide imbuti, non dubitat S. Augustinus L. 18. de civit. Dei cap. 47. & exinde suaderi potest, quia Christus dicitur in S. Litteris *Desideratus cunctis gentibus: Expectatio gentium: In ipsum gentes sperabant:* quod saltem de aliquibus indeterminatis Hominibus inter Gentes intelligi debet, quamquam de nullo determinato. Posset hoc

firma-

firmari ex Carminibus Sybillarum vatidicis, nisi illorum fides vacillaret : cum Critici peritiores existimant, illa Carmina sub Sybillarum nomine a quibusdam Christianis, primorum Temporum, Dolo bono, sed Zelo non secundum Scientiam, fuisse conficta.

CAPUT II.

De Exsistentia Incarnationis.

Cum Mysterium istud præcipuum sit Religionis christianæ Dogma, ejusque veluti Basis, nec in alio, quam Jesu Christo Deo-Homine Salus esse possit; hinc mirandum non est, quod tanto Furore illud subvertere, aut concutere Principes Tenebrarum fuerint conati. Christus crucifixus non Judæis modo scandalum, & Gentibus stultitia est, sed Hæretici quoque in Lapidem hunc angularem offenderunt; nempe ut Simeonis Vaticinium impleretur Luc. II. 34. *Positus est hic in Ruinam & Resurrectionem multorum, & in Signum cui contradicetur.* Diversos itaque circa Incarnationis Mysterium exortos Errores §. I. recensebo. §. II. Adversus Judæos e Vaticinio Jacobi Patriarchæ Filiis suis benedicentis. §. III. E Vaticinio Danielis. §. IV. E Prophetiis Aggæi & Malachiæ, variisque Signis demonstrandum erit, promissum in Lege Messiam

dudum adveniſſe, illumque JESUM, a Judæis in Crucem actum verum Deum, Hominemque fuiſſe, aliumque Redemtorem incaſſum ab iis exſpectari. §. V. Hoc ipſum contra Gentiles evincendum eſt.

§. I.

Recenſentur diverſi circa Incarnationem exorti Errores.

62 Quid de Incarnatione Fides Catholica doceat, compendio enarrat Symbolum, quod vulgo S. ATHANASIO tribuitur. „ Neceſſarium eſt ad æternam Salutem, ut „ Incarnationem quoque D. N. J. Chriſti „ fideliter credat. Eſt ergo Fides recta, „ ut credamus & confiteamur, quia Do„ minus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fi„ lius, Deus & Homo eſt. Deus eſt ex „ Subſtantia Patris ante omnia Sæcula ge„ nitus: Homo eſt ex Subſtantia Matris „ in Sæculo natus. Perfectus Deus, per„ fectus Homo, ex Anima rationali & „ humana Carne ſubſiſtens. Æqualis Pa„ tri ſecundum Divinitatem, minor Pa„ tre ſecundum Humanitatem. Qui licet „ Deus ſit & Homo, non duo tamen „ ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non „ converſione Divinitatis in Carnem, ſed „ aſſumtione Humanitatis in Deum. Unus

„ om-

„ omnino non confuſione Subſtantiæ, ſed
„ Unitate Perſonæ. Nam ſicut Anima ra-
„ tionalis & Caro unus eſt Homo, ita
„ Deus & Homo unus eſt Chriſtus. „

Catholicæ huic Profeſſioni refragantur 63
I. illi, qui divinam Chriſti Naturam negarunt, eumque merum Hominem affirmarunt. Ad hanc claſſem pertinent

1. JUDÆI, qui tot Vaticiniis Prophetarum edocti, tot Signis & Teſtimoniis ab ipſomet Chriſto convicti, propter hanc ipſam Divinitatis aſſertionem lapidibus non ſemel eum obruere tentarunt, ac denique in crucem egerunt.

2. E Pſeudo-Chriſtianis, *impius ille Si-* 64
mon Magus *nugabatur, alium eſſe quidem Jeſum, & alium Chriſtum. Jeſum quidem eſſe eum, qui ex ſancta Maria natus, Chriſtum vero eum, qui apud Jordanem e cælo deſcendit*, ut ſcribit OECUMENIUS in I. Joan. cap. 2. De SETHIANIS & OPHITIS fæculi II. Hæreticis idem affirmat THEODORETUS hæret. Fabul. I. 14. „ Jeſum alium di-
„ cunt eſſe a Chriſto: & Jeſum quidem
„ ex Virgine natum, Chriſtum autem de
„ Cœlo in ipſum deſcendiſſe. „

3. Eodem primo Chriſti Sæculo divi- 65
nam Salvatoris noſtri Naturam inficiati ſunt CERINTHUS & EBION, Chriſtum nudum Hominem communi aliorum more e Ma-

Maria & Joſepho prognatum fuiſſe dicentes, quibus Evangelium & Epiſtolas ſuas oppoſuit S. JOANNES Apoſtolus, & Chriſti Divinitatem præ aliis Evangeliſtis clarius expreſſit.

66 4. Eundem Errorem ſecundo ſæculo & ſequentibus inſtaurarunt CARPOCRAS Alexandrinus, nefandæ Gnoſticorum Sectæ Author, THEODOTUS quidam Coriarius, a VICTORE I. R. P. eapropter ab Eccleſiæ communione ſegregatus: alius quidam THEODOTUS Argentarius, ARTEMON, SABELLIUS, PAULUS Samoſatenus, MARCELLUS, PHOTINUS, de quibus ſcribit THEODORETUS Dialog. 2. *Hominem duntaxat prædicant Chriſtum, æternam vero Divinitatem ejus negant.*

67 5. Prætereo hic veteres ARIANOS, Filii Divinitatem impugnantes, eumque inter Creaturas primo loco conſtituentes, de quibus nonnulla dixi Tom. I. pag. 242. N. 54. & ſolum commemoro recentiores ARII Sectatores, Socinianos intelligo, qui Chriſtum ante Virginem non fuiſſe, & ea duntaxat ratione Primogenitum omnis Creaturæ a S. Paulo appellari volunt, quod ut dignitate, ſic Tempore omnium novarum Creaturarum prima ſit: Neque tamen purum Hominem fuiſſe aſſerunt, ſed divina filiatione ab Ortu inſignitum, *quatenus divini Spiritus vi ſine Viri ope in Vir-*

Virginis utero conceptus & formatus fuit, ideoque & proprius & unigenitus Dei Filius; cum nemo alius hac ratione, & ab ipso primo Ortu Dei filius unquam exstiterit, ut loquitur Socinus in Christianæ Religionis Institutione apud Gotti Verit. Relig. Christ. Tom. VII. P. V. pag. m. 218.

II. Altera Classis illos complectitur Hæ- 68
reticos, qui veram Hominis Naturam Christo abjudicarunt, & universim Docetæ, ac Phantasiastæ appellantur.

1. Horum nonnulli jam ipso Apostolorum ævo spargebant, Christum non in vera carne assumta, sed secundum apparentiam fuisse passum, quos indigitat S. Joannes I. Epist. IV. 1. seq. *Multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum. . . Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est.* De his pariter scribit S. Ignatius M. Epist. ad Romanos N. 10. „ Si vero, ut quidam „ Athei, hoc est Infideles, ajunt, ipsum „ secundum apparentiam esse passum; ipsi „ secundum apparentiam existentes: ego „ quid vinctus sum? Et cur opto cum „ Bestiis depugnare? Frustra itaque mo- „ rior. Profecto Mendacia de Domino „ non confingo. „ Et Epist. ad Smyrnæos N. 4. „ Si Opinione sola hæc a Domino „ nostro sunt peracta; & ego Opinione „ solum vinctus sum. N. 7. Ab Eucha-

„ ristia

„ riſtia & Oratione abſtinent (Docetæ); „ eoquod non confiteantur Euchariſtiam „ carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chri„ ſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, „ quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit. „ Haud aliter TERTULLIANUS de Præſcript. cap. 33. „ In epiſtola eos maxime Anti„ chriſtos vocat (Joannes), qui Chri„ ſtum negarent in carne veniſſe, & qui „ non putarent Jeſum eſſe Filium Dei: „ illud Marcion, hoc Ebion vindicavit. „ Et iſtorum quidem Anteſignanus erat SIMON Magus, quem poſtea ſecuti ſunt MENANDER, SATURNINUS, MARCION, BASILIDES, BARDESANES, CERDO, MANES, & HERACLEONITÆ, univerſim aſſerentes, Chriſtum non eſſe natum ex Maria, veram carnem non habuiſſe, minime fuiſſe paſſum, ſed ejus loco SIMONEM Cyrenæum paſſionem ſuſtinuiſſe, cum Chriſtus eſſe putaretur.

69 2. Verum quidem corpus, non tamen ex Virgine, ſed e Sideribus & aëre efformatum Chriſto tribuebat APELLES, de quo Author Appendicis ad librum TERTULLIANI de Præſcriptione cap. 51. ita ſcribit: „ Chriſtum neque in phantasmate dicit „ fuiſſe, ſicut Marcion, neque in Sub„ ſtantia veri corporis, ut Evangelium „ docet, ſed in eo, quod a Superioribus „ partibus deſcenderet, ipſo deſcenſu ſi„ deream ſibi carnem & aëream contexuiſ„ ſe:

„ ſe: Hunc in Reſurrectione ſingulis qui-
„ busque Elementis, quæ in deſcenſu
„ ſuo mutuata fuiſſent, in Aſcenſu red-
„ didiſſe, & ſic diſperſis quibusque cor-
„ poris ſui partibus, in cœlo Spiritum
tantum reddidiſſe. „ Huc quoque refe-
rendi ſunt CERINTHUS, EBION, CARPO-
CRAS, qui veram quidem carnem Chriſto
tribuebant, ſed e Virili Semine JOSEPHI
ceterorum Hominum more a MARIA ge-
nitam.

3. Spirituale quoddam Corpus, quod 70
per Virginem, quaſi Aqua per fiſtulam
aut Canalem, tranſierit, Chriſtum e cœlo
attuliſſe, docuit VALENTINUS, ejusque Se-
ctatores, de quo legatur citatus PSEUDO-
TERTULLIANUS cap. 49. Eundem Errorem
& EUTYCHEN docuiſſe ſcribit THEODORUS
Presbyter de Incarnatione Domini pag. 235.
„ E cœlo delatum fuiſſe Corpus Domini,
„ & tanquam per canalem per Virginem
„ transmeaſſe Deum Verbum, cœlitus eo
„ indutum. „ S. GREGORIUS Nazianze-
nus Orat. 46. ejusdem pravæ doctrinæ
etiam APOLLINAREM inſimulat: „ Affirmat
„ (APOLLINARIS) eum, Chriſtum, ante-
„ quam deſcendiſſet, Filium Hominis eſ-
„ ſe, ac deſcendentem Carnem ſuam ſe-
„ cum advexiſſe, eam nempe, quam in
„ Cœlis habuerat, anteſecularem ſcilicet
„ eſſentiæque ſuæ inſitam. „

71 III. Ad tertiam Claſſem referendi ſunt, qui Chriſtum Hominem confeſſi, vera tamen Anima, Mente prædita, eum ſpoliarunt, & Animæ vices Ipſum Verbum ſuſtinuiſſe docuerunt, quod de Arianis & Eunomianis teſtatur THEODORETUS hæret. Fabul. IV. 1. „ Chriſtum corpus inanime „ aſſumſiſſe dicebat (Arius), Animæque „ partes impleviſſe Deitatem. „ Et Epiſt. 104. de utroque, „ Deum Verbum ajunt „ carnem duntaxat aſſumſiſſe, Animæque „ vices Ipſummet in corpore ſuppleviſſe. „ De APOLLINARI Clerico Laodiceno ejusque ſequacibus ita ſcribit SOCRATES H. E. II. 46. „ Primo quidem dicebant, Hominem „ a Deo Verbo in diſpenſatione Incarna- „ tionis ſine Anima aſſumtum eſſe. Dein- „ de vero quaſi pœnitentia ducti & er- „ rorem correcturi, addiderunt, Animam „ quidem aſſumſiſſe, eam vero Mentem „ non habere, ſed eſſe Deum Verbum „ loco Mentis in aſſumto Homine. „

72 IV. Quartam claſſem conſtituunt MONOTHELITÆ, qui licet Animam Mente, aliisque Falcultatibus prædítam in Chriſto confiterentur; quia tamen non niſi unam Perſonam agnoſcebant, ita & unicam Voluntatem & Operationem a Verbo, quod humana Natura ceu Inſtrumento uteretur, provenientem admittebant, hocque Exemplo errorem ſuum illuſtrabant: „ Quem- „ admodum corpus noſtrum regitur, &

„ ornatur & disponitur ab Intellectuali &
„ rationali Anima nostra ; ita & in Do-
„ mino nostro tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in „ omnibus mota , Deimobilis erat „ ut scripsit SERGIUS in Epist. ad Honorium. Hujus autem Erroris Author , Parensque dicitur SERGIUS Patriarcha Constantinopolitanus , quem adjuvit CYRUS Alexandrinus , promovit HERACLII Imp. *Ecthesis* , propagarunt PYRRHUS , PAULUS , PETRUS , in Sede CP. Successores. *Ecthesis* Nomine intelligitur Decretum Imperatoris , quo cavebatur , ne quis unam aut duas in Christo Operationes confiteretur.

V. Duas in Christo Naturas , divinam 73
atque humanam , non confusam aut permixtam , vel absorptam catholica profitetur Ecclesia , cui Dogmati adversatur *quinta* Hæreticorum Classis , Naturas confundentium , ita ut post utriusque Unionem aut divina in humanam conversa , aut hæc a divina Natura absorpta , aut ex utraque una Tertia conflata fuerit , de quo inter Authores de Hæresibus agentes non adeo convenit. Erroris istius Origo refertur ad EUTYCHEN Archimandritam CP. & DIOSCORUM Patriarcham Alexandrinum , quibus in Concilio Chalcedonensi proscriptis , oppositi emersérunt Errores.

74 1. Quidam enim illorum, THEOPASCHITÆ dicti, ipſam divinam Naturam paſſam, mortuam, ſepultamque fuiſſe docebant, quorum Author communiter aſſeritur PETRUS Gnaphæus, Antiochenus Præſul, poſtquam notiſſimo illi *Triſagio*, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, addidit clauſulam, *qui paſſus eſt pro nobis.*

75 2. Alii ex adverſo ne ipſum quidem Chriſti Corpus Paſſioni aut Corruptioni fuiſſe obnoxium, propugnabant, propterea etiam APHTARTODOCETÆ, ſeu Incorruptionis aſſertores, *Incorrupticolæ*, appellantur. Iſtiusmodi Eutychis Sectatoribus varia alia, ut ACEPHALORUM, SEVERIANORUM, GAJANORUM, JULIANISTARUM, univerſim autem MONOPHYSITARUM Nomina attributa fuerunt, de quibus conſuli poterit NICEPHORUS CALLISTUS Hiſt. Eccl. XVIII. 45. & 46. pag. m. 942. ſeq. Dicebantur quoque SYNUSIASTÆ, quod duas Subſtantias in unam confuderint, de quibus vid. SUICERI Theſaur. Eccleſ. Tom. II. pag. 1183.

76 3. Ad iſtam Claſſem referri etiam poſſunt Lutherani illi, qui Naturæ divinæ Proprietates per Idiomatum communicationem Naturæ Chriſti humanæ in tantum attributas fuiſſe docent, ut omnipotens, immenſa, omnipræſens &c. fuerit effecta;

&

& ideo UBIQUETARII, seu ubiquistæ nominantur, de quibus suo loco.

VI. Ut duas Christi *Naturas* in unam 77
conflavit EUTYCHES, ita unam ejus Personam in duas scidit NESTORIUS Patriarcha CP. cujus Erroris Summa in eo reposita fuit, quod 1. inter utramque Christi Naturam non esset substantialis & naturalis, sed *moralis* solum Unio; & Verbum in Christo Homine velut in Templo habitaret, Voluntate cum eo consentiret, eoque velut Instrumento uteretur, & suæ dignitatis participem redderet. 2. Quod duæ essent in Christo Personæ & Filii, Filius Dei naturalis, & adoptivus, qui Verbum in se habitans circumferebat. 3. Ideoque dici non possit, Deum esse natum, passum, mortuum, Mariam non *Deiparam* θεοτοκον, sed Christiparam, quæ non Deum genuerit, sed hominem, in quo Deus latebat, eique moraliter fuerat conjunctus. 4. Quod Homo a Deo assumtus, jam per se in propria hypostasi subsisteret, idque præviis bonis Operibus fuerit promeritus, ut ad Unionem moralem cum Verbo assumeretur.

Ab Errore Nestorii haud satis recessisse 78
visi sunt FELIX Toletanus, & ELIPANDUS Urgelitanus in Hispania Episcopi, qui Christum non Filium Dei naturalem, sed adoptivum appellandum esse censuerunt,

damnati primum in Concilio Narbonenſi, deinde Ratisbonenſi, Francofordienſi ſub Carolo M. & Adriano R. P. ac tandem Romano ſub Leone III. circa finem octavi ſeculi. Non deſunt tamen ex Eruditis, qui Felicem & Elipandum ſua loquendi ratione ad humanam ſolum Chriſti Naturam reſpexiſſe, arbitrantur. Et hæc ſummatim de præcipuis circa Incarnationem Verbi Erroribus.

§. II.

An Meſſiæ Adventus e Vaticinio Jacobi demonſtrari valeat ?

79 Cum Judæis modo agendum eſt, & e SS. vet. Teſt. Libris, quos divinitus inſpiratos venerantur, demonſtrandum eſt, promiſſum in Lege, & ab ipſis exſpectatum Meſſiam, dudum adveniſſe, ipſumque fuiſſe Jeſum, verum Deum & Hominem, ab ipſis crucifixum. Cum autem pene innumera in SS. Litteris de Chriſto exſtent Vaticinia, nec Inſtitutum patitur ſingula excutere, præcipua ſaltem ſeligam, & ad frangendam Judæorum Pertinaciam aptiora. Ubi ſtatim occurrit celeberrimum Jacobi Patriarchæ Filiis ſuis benedicentis Vaticinium, quod de Juda Geneſ. XLIX. in hæc Verba refertur. „ Vocavit Jacob „ filios ſuos, & ait eis: Congregamini, „ &

„ & audite filii Jacob, quæ ventura ſint
„ vobis in diebus noviſſimis. . . Juda te
„ laudabunt fratres tui : Manus tuæ in
„ Cervicibus Inimicorum tuorum, adora-
„ bunt te filii Patris tui. Catulus leonis
„ Juda : ad prædam fili mi aſcendiſti : re-
„ quieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi
„ leæna : quis ſuſcitabit eum ? *Non aufe-*
„ *retur Sceptrum de Juda, & Dux de fe-*
„ *more ejus, donec veniat, qui mittendus eſt,*
„ *& ipſe erit exſpectatio Gentium.* Ligans
„ ad vineam pullum ſuum, & ad vitem,
„ o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vi-
„ no Stolam ſuam, & in ſanguine Uvæ
„ pallium ſuum : pulchriores ſunt Oculi
„ ejus vino, & dentes lacte candidio-
„ res. „

Pro hujus autem Oraculi Intelligentia 80
obſervandum I. Nomine *Sceptri*, non re-
giam ſolum dignitatem, ſed quamlibet
ſupremam Populum gubernandi Poteſta-
tem, ſive ſub Regis, Ducis, aut alio
Nomine, denotari. II. Regiminis hujus
Exordia non eſſe deſumenda ab edito ſta-
tim iſto Vaticinio ; Certum eſt enim, nec
totam Gentem judaicam, nec ſingularem
Tribum Juda, ſuprema Poteſtate uſam
fuiſſe toto Tempore Servitutis in Ægypto.
Poſtquam vero per Moyſen ab ea fuit li-
berata, *Theocratiæ* tunc præerant Judices
e variis Tribubus usque ad Tempora
Saulis, quem ſibi Regem inungi poſtu-

labat Populus a SAMUELE: quo tandem a Deo rejecto Regia Dignitas translata fuit in DAVIDEM de Tribu Juda, ut adeo Sensus Vaticinii sit: Quando suprema Reipublicæ Potestas ad Tribum Juda pervenerit, apud illam manebit, quo usque veniat MESSIAS, quo Tempore illa transferenda erit ad Alienigenam. His observatis statuitur

81 RESOLUTIO. E Vaticinio JACOBI demonstrari potest, Messiam dudum advenisse, illumque incassum a Judæis exspectari.

PROB. Si hoc Vaticinio prædicitur, Sceptrum a JUDA non auferendum, nisi eo Tempore quo veniet Messias; tunc Messias *dudum* advenit; atqui hoc ipsum isto Vaticinio prædicitur: ergo Messias dudum advenit. *Maj.* constat; quia nunc certum est, Judæis ubique dispersis nullibi competere Imperium, sed dura eos Servitute premi, quod fatentur Rabbini, impletum esse illud Oseæ III. 4. sedere se sine Rege (proprio) sine Principe, sine Sacrificio, sine Altari, sine Ephod, sine Teraphim. Hinc putida Fabula est de amplissimo cujusdam Æchmalotarchæ e Tribu Juda oriundi Regno in Asia & urbe Bagdam, quam confinxit Robbi BENJAMIN, Tudelensis, & cui contrarium asseruunt, quotquot Regiones illas diversis Temporibus peragrarunt diversæ Religionis Homines. *Min.* autem *prob.* Vaticinium

nium istud intelligi debet de MESSIA sub Nomine *Schiloh*, ut pro Adventus illius *Signo*, Finis judaici Sceptri, eo Tempore ad Alienigenam transferendi : *Ergo. Ant. prob.* quoad I. part. 1. Ille promittitur, qui Tribus & Gentis judaicæ esset præcipuum Decus futurum, & qui foret *Exspectatio Gentium.* Atqui hic non est alius quam MESSIAS, in quo essent benedicendæ omnes Nationes terræ. Gen. XVIII. 18. quem Gentes deprecabuntur Isai. XI. 10. qui esset desideratus cunctis Gentibus Aggæi II. 8. *Ergo.*

Ant. prob. 2. Vocabulum *Schiloh* quatuor 82
præcipue habet Significationes. 1. *Mittendus.* 2. Pacificus. 3. *Semen & filius ejus.* 4. Significat : *donec veniat ille*, cui *repositum est Regnum*, vel *ille*, *qui ei*, id est, Judæ, *promissus est.* Atqui omnes istæ Significationes conveniunt MESSIÆ, ipse enim in scriptura passim vocatur *mittendus.* Sic Moyses Exod. IV. 13. rogat : *obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Et Judæi suspicantes JOANNEM Baptistam esse Messiam, per Legatos interrogabant Math. XI. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium expectemus* ? 2. Vocatur *Princeps pacis.* Isai. IX. 6. Vocatur 3. *Filius*, non tantum JUDÆ præcipuus, sed etiam Dei : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psal. 2. *Ex Utero ante Luciferum genui te.* Psal. 109. *Quarto,* de eo dicitur Daniel. VII. 14. *Potestas*

ejus, Potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur. Ant. prob. 3. Judæis antiquiores hoc Vaticinium de MESSIA uno calculo intellexerunt. *Ergo.*

83 PROB. II. Pars. Nomine *Schevet* significatur *Sceptrum*, seu, *Imperium.* Nam 1. idem Vocabulum occurrit apud Zachariam X. 11. & vertitur a LXX. *Sceptrum Ægypti auferetur.* 2. Adjuncta vox *Legislatoris*, optime congruit Sceptro & Imperio. 3. Ita vertunt AQUILA, & SYMMACHUS & Rabbini præcipui. 4. HERODES, quo Tempore natus est CHRISTUS, & qui Summam Regni tunc tenebat, fuit Alienigena, quod *prob.* 1. JOSEPHUS enim lib. 14. Antiq. testatur fuisse IDUMÆUM genere, filium ANTIPATRIS, quamquam Religione Judæum. 2. Affirmat JUSTINUS Mart. Dialogo cum Tryphone, illius temporis Judæos confessos fuisse, Herodem fuisse Ascalonitam. 3. Consentiunt in hoc Patres, quibus Judæi Fidem historicam denegare non possunt. 4. Moderni quoque hebræi Doctores eum Alienigenam, & Proselytum, seu, Advenam fuisse, fatentur. *Ergo* &c.

84 OBJICIUNT Judæi I. Si Nomine *Schiloh* significatur *mittendus*, tunc intelligi potest vel MOYSES, qui fuerat missus a Deo ad liberandum Populum. Vel NABUCHODONOSOR,

qui

qui missus a Deo fuit ad evertendum Hebræorum Regnum.

Resp. Nego *ant.* Nam priusquam Sceptrum auferretur, debuit esse in Tribu Juda, aut Gente: a Tempore autem Jacob usque ad Moysen, non erat Sceptrum apud Hebræos servientes Ægyptiis. Dein ille *mittendus*, debuit esse *Expectatio gentium*, non solum *Judæorum*, qualis fuit Moyses. Multo minus hoc dici potest de *Nabuchodonosore*, qui Judæos dire affixit: cum tamen in hoc Vaticinio nonnisi prospera Judæis prædicantur.

Objic. II. Nomine *Schiloh* intelligitur 85
urbs, ubi Saul unctus fuit in Regem: ergo debet de eo intelligi, aut de Jeroboam, qui in *Schiloh* Rex creatus fuit super decem Tribus: aut Ahias Silonites Propheta, qui Jeroboamo Regnum prædixit.

Resp. Nec Saul, nec Jeroboam unctus est in *Schiloh*; sed Ille in Ramathaim-Sophim, hic in Sichem. Dein neutrius Tempore Sceptrum fuit ablatum a Judæis, sed potius a Saule de Tribu Benjamin fuit translatum in Davidem de Tribu Juda. Quamvis autem Jeroboam Regnum acceperit super decem Tribus, propterea tamen non desiit Sceptrum de Tribu Juda, quod tunc incipiebat specifice vocari *Regnum* Juda, ad distinctionem *Regni* Israel. Nec etiam Jeroboam, neque Ahias dici

poteſt *Expectatio gentium*, & quamquam Propheta ſit oriundus ex Schiloh, ridiculum tamen eſt, illum vocari nomine Urbis ſimpliciter dicto.

86 Objic. III. *Schiloh* ſignificat *Filium ejus*. Atqui hoc convenit *Davidi*, qui inſignis fuit Judæ filius, & primus Rex de Tribu Juda.

Resp. Cum Sceptrum ante Davidem non fuerit in Tribu Juda, non poteſt dici eo tempore ab ea fuiſſe auferendum. Nec ipſe fuit *Exſpectatio gentium*.

87 Objic. IV. *Schiloh* ſignificat etiam *pacificus*, quod optime congruit Salomoni, qui 1. Paralip. XXII. 9. vocatur *pacificus*. Ergo.

Resp. Etiam eo tempore non fuit ablatum Sceptrum; quod tamen ad implendum hoc Vaticinium requiritur. Chriſtus autem præcipue appellatur *Pacificus*, utpote qui natus eſt toto Orbe in pace compoſito, ad cujus Cunas canebant Angeli: *Gloria in excelſis Deo, & in Terra Pax hominibus*: utpote qui vere pacem fanci-vit Deum inter & Homines antea rebelles, Mundum reconcilians Patri.

88 Objic. V. Vox hebraica *Schevet* ſæpius in ſacra Scriptura accipitur pro *Virga caſtigationis*: ergo non debet ſumi pro *Sceptro*, ut adeo Senſus ſit: *Non recedet*

virga

virga *Tribulationis de Juda*, *donec venerit Messias*; atqui in hunc usque Diem non recessit. Ergo nondum venit Messias: consequenter hoc Vaticinium non pertinet ad Messiam.

Resp. *Conc.* quod vox Schevet quandoque significet *Virgam* Tribulationis: Nego autem, quod semper & hic ita sit intelligenda. Cum enim vox sit ambigua, ejus significatio ex adjunctis & circumstantiis determinari debet. In hoc Vaticinio Judæ promittuntur omnia prospera: conjungitur hæc vox cum voce *Legislatoris*, cui convenit *Sceptrum*: falsum quoque est, quod Populus hebraicus usque ad Tempora Messiæ fuerit constanter afflictus; cum potius usque ad captivitatem Babylonicam Regnum ipsius fuerit florentissimum.

Objic. VI. Particula *Donec*, non solum denotat *cessationem* rei, sed etiam ejus continuationem: ita ut sensus esse queat: non auferetur sceptrum de Juda, quando, vel postquam venerit Messias, sed ille regnabit in Domo Jacob in æternum. *Ergo. Ant. prob.* Gen. VIII. 7. dicitur de corvo ex Arca emisso: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ:* non sequitur siccatis aquis fuisse reversum. Item de Joseph Virginis Sponso dicitur: Math. I. 25. *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primo genitum*; non sequitur, quod postea convenerint. 89

Resp.

Resp. *Diſt.* Aliquando denotat continuationem Rei. *Conc.* In hoc Textu. *Neg.* Quando enim narratur Factum aliquod præſens, το *Donec* uſurpatur pro continuatione, ut in locis allegatis : non autem quando adhibetur ad prædicendum futura ; Tunc enim ponitur pro *ceſſatione* & Signo Finis. Jam autem certum eſt, quod Jacob filiis ſuis benedicens prædixerit, quæ iis erant ventura : dixit enim ad eos loc. cit. *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in Diebus noviſſimis.*

90 Objic. VII. Si *ceſſatio* Regni fuiſſet in hoc Vaticinio poſita pro Signo Adventus Meſſiæ, tunc ille dudum ante Chriſtum debuiſſet veniſſe : atqui hoc falſum eſt : ergo *ceſſatio* Regni non fuit poſita pro Signo Adventus Meſſiæ, ſicque ex hoc Vaticinio nihil contra Judæos evincitur. Sequela *Maj. prob.* Tempore captivitatis Babylonicæ deſiit inter Judæos regium Nomen & Dignitas ; tunc enim miſere gemebant ſervientes Perſis.

Resp. Nego Sequelam *Maj. Prob. diſt.* Deſiit regium Nomen quoad *Nomen* & *Splendorem. Tranſ.* quoad regendi Poteſtatem ſub nomine *Ducis.* Nego. Nam Vaticinium eſt copulativum : *Non auferetur Sceptrum*, & *Dux* de femore &c. Hinc ablato etiam *Sceptro*, manſit tamen *Ducatus.* Dixi, *Tranſ.* Nam in ipſa etiam captivitate ſuum habuit Regem. Capto

enim

enim a NABUCHODONOSOR & occiſo Rege JOACKIM, Rex EVILMERODACH filium ejus JOACHIN, ſeu, JECHONIAM ad ſolium Regium evexit, ut legitur 4. Reg. XXV. 27. *Factum eſt vero in anno vigeſimo ſeptimo transmigrationis Joachim Regis Juda, menſe duodecimo, vigeſimo ſeptimo die menſis, ſublevavit Evilmerodach Rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Joachim Regis Juda de carcere, & locutus eſt ei benigne, & poſuit Thronum ejus ſuper Thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Dici ergo poteſt, quod Regnum fuerit ad tempus *interruptum*, non autem penitus ablatum: & quamquam Tempore captivitatis Respublica Judæorum non fuerit omnino libera, ſed preſſa, habuit tamen ſuos Duces dictos *Æchmalotarchas*, ſeu, Principes captivitatis, ut legitur I. Esdræ VII. 25. *Artaxerxes dicit Esdræ: Tu autem Esdra ſecundum Sapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Judices & Præſides, ut judicent omni Populo.*

OBJIC. VIII. Saltem poſt captivi atem 91
Babyionicam nullus fuit Judæorum Rex de Tribu Juda: *ergo. Ant. prob.* Si fuiſſet aliquis Rex de Tribu Juda, tunc debuiſſet fuiſſe ex deſcendentibus JECHONIÆ, ſeu JOACHIN: atqui ex his nullus regnavit; dicitur enim de illo Jerem. XXII. 10. *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in Diebus ſuis non proſperabitur, nec enim erit*

de

de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda. Ergo.

Resp. Nullus quidem fuit Rex, fuit autem Dux; nam Zorobabel Jechoniæ Nepos vocatur Dux Juda Aggæi I. 14. Etiamſi autem nullus regnaſſet de Semine Jechoniæ, potuiſſet tamen alius è Tribu Juda Ducatum gerere.

92 Objic. IX. Sive per Nomen Juda intelligitur tota Gens Judaica, ſive ſola Tribus Juda, tanta utrinque eſt Difficultas, ut nihil inde adverſus Judæos pro Meſsiæ Adventu evincatur: ergo hoc Vaticinium nullius eſt momenti. *Ant. prob.* quoad 1. Non poteſt intelligi de tota Gente 1. quia ſicut ceteræ Benedictiones pertinent ad ſingularem quamque Tribum juxta verba Gen. XLIX. 28. *Benedixitque ſingulis Benedictionibus prōpriis*: ita & Benedictio Judæ debuit eſſe appropriata ſingulari Tribui, & non toti genti. 2. Benedictiones reliquorum Filiorum non pertinent ad Judam: ergo nec Benedictio Judæ ad ceteros. 3. Antecedentia & conſequentia hujus Vaticinii ſunt propria Judæ: ergo & medius contextus. *Ant. prob.* quoad 2. Neque poteſt intelligi de ſola Tribu Juda. Nam ſi de hac deberet exponi Oraculum, tunc usque ad Chriſti Adventum debuiſſet Sceptrum atque Ducatus fuiſſe penes aliquos, recta linea deſcendentes a

Ju-

Juda: atqui hoc eſt falſum: ergo. *Min. prob.* Assamonæi, ſeu, Machabæi per 126. circiter annos ante Chriſti Adventum Principatum judaicæ Reipublicæ tenuerunt: atqui hi erant e Tribu Levi, quippe de Genere ſacerdotali. *Ergo* &c.

Resp. Nego *ant.* & dico, intelligendam eſſe Prophetiam tam de tota Gente, quam etiam & præcipue de ſingulari Tribu Juda; Chriſti enim tempore univerſa Natio Judaica ſuprema Poteſtate privata fuit, & hæc tranſiit ad Alienigenam. Hinc ad probationem ſecundæ Partis reſpondent nonnulli 1. Assamonæos ſaltem ex linea materna deſcendiſſe e Tribu Juda; cum Sacerdotes ſoliti fuerint e Tribu Juda ducere uxores. Sic Aaron accepit uxorem Elisabeth filiam Aminadab filii Juda. Exod. VI. 23. & Josabeth filia Regis Joram ex Tribu Juda, uxor fuit Jojadæ Pontificis. 4. Reg. XI. 1. cum Elisabeth Zachariæ uxor fuerit de Filiabus Aaron, & tamen cognata B. V. Mariæ, quæ fuit de Tribu Juda: conſequens videtur, viros de Tribu Levi ſæpius accepiſſe uxores e Tribu Juda. Josephus etiam Judæus, hiſtoricus celeberrimus, de ſe ipſo teſtatur, in Vita ſua: „ Mihi genus eſt non ignobile, „ ſed ex Sacerdotibus longa Serie deductum . . . quin & per Matrem mihi genus e Regibus eſt, nam Aſſamonæi liberi, e quibus illa pronata eſt, ſummum in gente noſtra Principatum Regnum-

„ gnum-

„ gnumque diu obtinuerunt. „ Atqui Reges e Tribu JUDA erant. Ut autem Regnum dicatur manere penes unam Familiam, sufficit, ut Successores e linea materna illius Familiæ descendant; sicut hodie Nomen & Jus hæreditarium Successionis in Ditiones Austriacas est penes descendentes e linea materna, quamvis e Patre sint Lotharingico.

93 Respondent alii II. Sceptrum in tantum mansisse penes Tribum JUDA usque ad Adventum CHRISTI, quia summa Potestas fuerat penes magnum Concilium, *Sanhedrin*, seu, *Synedrion* dictum, quod ex præcipuis de Tribu JUDA viris constabat: id quod saltem verum videtur post captivitatem Babylonicam; constat enim ex JOSEPHO lib. II. Antiquit. cap. 5. Quod cum ESDRAS a Rege Persarum Potestatem accepisset redeundi in Patriam, decem quidem Tribus ISRAELIS Jugi patientiores remanserint, sola autem Tribus JUDA & BENJAMIN reversa fuerit cum Sacerdotibus multis & Levitis: cum autem BENJAMITÆ pauci forent Numero, Levitæ autem sacris præcipue Ministeriis essent addicti; hinc dici potest, quod post captivitatem Babylonicam tota Respublica, adeoque etiam *Synedrion*, ex sola potissimum Tribu JUDA constiterit; & sic in Gente & Tribu JUDA Sceptrum usque ad CHRISTUM remanserit.

Alii

Alii reſpondent III. Sceptrum fuiſſe penes Aſſamonæos *adminiſtrative*, non autem *authoritative*, & eo Tempore Statum fuiſſe Ariſtocraticum, Democratia temperatum. Senſus eſt: cum regendi Poteſtas tunc penes Gentem Judaicam, e Tribu Juda conflatam, & maxime penes Principes Tribus exſtiterit; ab iis liberæ Electionis Via Adminiſtratio Reipublicæ translata fuit in ASSAMONÆOS, qui nomine Tribus JUDÆ, & cum conſortio Principum ac Populi imperarent, quod ſatis eſt, ut dicatur, Principatum perduraſſe in illa Tribu: ſicut hodie, quando Poloni libere in Regem eligunt extraneum, vere tamen dici poteſt, Jus Regni apud Polonos reſidere. Quod vero MACHABÆI libere fuerint electi in Principes, conſtat ex JOSEPHO, qui Lib. I. de Bello Jud. cap. I. ſcribit, MATATHIAM a Judæis ob præclara Facinora electum, eis bene volentibus præfuiſſe. Patet id quoque ex I. Machab. IX. 30. ubi Judæi dicunt ad JONATHAM: *Nunc te hodie eligimus eſſe . . . nobis in Principem.* Ita etiam SIMON I. Mach. XIII. 8. communibus Votis electus fuit: *Tu es Dux noſter loco Judæ.* Certum quoque eſt, magnam revera Poteſtatem fuiſſe penes Senatum, ſeu *Synedrion*; cum ANTIOCHUS Litteras ad Judæos dirigens, Senatui eas inſcripſerit, non Duci. 2. Mach. XI. 27. Sed etiam totius Populi conſenſum in publicis negotiis e Tempore in-

94

terveniſſe, ita ut nihil citra Plebiſcita fieret, ex libris Machabæorum patet, ubi Epiſtolæ ultro citroque datæ, nomine Senatus & Populi inſcribuntur, & ex Josepho lib. 28. Origin. cap. 8. ubi affirmat, Formam Reipublicæ tunc fuiſſe Ariſtocraticam, Democratia temperatam.

95 Huic geminæ Expoſitioni obſtare videtur, quod juxta Vaticinium Dux, ſeu, Princeps, debuerit eſſe de *femore* Judæ: atqui Machabæi, Principes gentis, non erant de *femore* Judæ, ſed Levi: ergo.

Resp. *Diſt.* Dux, ſumptus pro Perſona ſingulari & individua, debebat eſſe de femore Judæ: *neg.* Ducatus, ſeu Poteſtas Regiminis cujuscunque, debebat eſſe penes deſcendentes de femore Judæ. *Conc.* Hoc autem contigit, Senſu prius expoſito.

96 Objic. X. Tempore Christi nati regnavit in Judæa Herodes: atqui iſte Judæus fuit, non Alienigena: Ergo Tempore Christi nati nondum fuit ablatum Sceptrum de Juda, conſequenter hoc Vaticinium nihil facit pro Chriſto contra Judæos. *Min. prob.* 1. Nicolaus Damaſcenus, Herodis contemporaneus, quem ſæpe memorat Josephus, teſtatur, Herodem fuiſſe Judæum. Ergo. *Min. prob.* 2. Herodes fuit Idumæus; atqui Idumæi, utpote ab Esau, Jacobi fratre oriundi, erant eadem

dem gens cum Judæis, oriundis ex Jacob. Ergo. *Min. prob.* 3. Strabo lib. 16. geographiæ, Herodem vocat *Indigenam.* Ergo non fuit *Alienigena. Min. prob.* 4. Herodes a pluribus Judæis, qui propterea dicti fuerunt *Herodiani*, habitus fuit pro Messia: atqui Judæi certe Alienigenam non habuissent pro Messia: ergo. *Min. prob.* 5. Ipse Josephus lib. 14. Antiq. cap. 14. narrat, Antipatrum Herodis Patrem, cum in Ægyptum ad cæsarem properasset, facile sibi conciliasse Judæos illic degentes, *quod ex eadem Gente esset.* Ergo &c.

Resp. Nego *min.* Ad I. probat. dico, Nicolaum Damascenum, utpote Herodis Assentatorem & turpem Adulatorem, contra tot aliorum Testimonia nullius esse Fidei. Ad II. *Dist. min.* Erant eadem gens, late sumta. *Conc.* Proprie sumpta. *Neg.* Nam Rebeccæ horum Fratrum Matri dixit Deus Gen. XXV. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo Populi ex Ventre tuo dividentur.* Hinc Idumæi respectu Judæorum habebantur pro Alienigenis, ut Psal. CVII. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.* Sumuntur ergo in hoc Vaticinio Judæi pro speciali linea & gente, a Jacob descendente. Ad III. *Dist.* Vocat Indigenam, nimirum ex eadem Republica Judaica, cujus etiam Sacris erat addictus, oriundum. *Conc.* Tanquam ex Jacob descendentem. *Neg.* Ad

IV. *Dist. min.* Fuit habitus pro MESSIA, a turpibus Adulatoribus, quibus omnia & ipsa etiam Religio venialia sunt. *Conc.* Fuit ex Animi sinceritate pro Messia habitus. *Neg.* Ad V. *Dist. ant.* Quod ex eadem gente esset, late sumpta, sensu exposito. *Conc.* Proprie sumpta. *Neg.* Certe enim JOSEPHUS IDUMÆUM fuisse testatur, & imperfectum Judæum vocat, nempe sola Religione assumpta talem.

§. III.

E Vaticinio Danielis probatur Adventus Messiæ.

97 Propheta DANIEL in captivitate Babylonica positus, cum ex Prophetia JEREMIÆ sciret, Finem instare, ut complerentur Desolationis JERUSALEM septuaginta anni, anno primo DARII filii Assueri Dominum vehementer obsecravit, ut Populi & Civitatis vellet misereri. Missus est ergo ad eum GABRIEL Angelus, sequentia nuntians cap. 9. Danielis. *Ab Exordio precum tuarum egressus est sermo*, seu, Decretum Dei. *Tu ergo animadverte sermonem, & intellige Visionem. Septuaginta Hebdomades abbreviatæ* (seu, definitæ, decretæ, & ad hunc numerum determinatæ sunt) *super Populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur Prævaricatio, &*

finem

finem accipiat Peccatum, & deleatur Iniquitas, & adducatur Justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum, hebraice, Sanctitas Sanctitatum. *Scito ergo & animadverte: ab Exitu Sermonis* (seu, Decreti) *ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem* (nimirum illud tempus, quo incipiet prædicare anno ætatis 30.) *hebdomades septem & sexaginta duæ*, (seu 69.) *erunt, & rursum ædificabitur Platea & Muri in Angustia temporum, & post hebdomades sexaginta duas* (nempe additis etiam prioribus, ut sensus sit: post Hebdomades sexaginta novem, in medio hebdomadæ septuagesimæ) *occidetur Christus, & non erit ejus Populus qui eum negaturus est* (id est, Judaicus Populus, non erit amplius ejus, seu, Dei Populus, quippe rejectus) *& Civitatem & Sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo*, (nempe Romani cum Tito) *& Finis ejus vastitas, & post Finem Belli statuta Desolatio. Confirmabit autem Pactum multis hebdomada una*, (septuagesima) *& in medio hebdomadæ deficiet hostia & Sacrificium* (per mortem Christi, utpote sacrificiis præfiguratam abrogandum, saltem quoad utilitatem) *& erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit Desolatio.* Hæc est famosa illa Prophetia circa quam

98 Obſervandum I. Hebdomadas hic memoratas, non eſſe Dierum, ſed Annorum, ita ut quælibet hebdomas complectatur ſeptem annos; omnes autem ſimul ſumptæ conficiant 490. Annos. Non enim inter totidem Dies contigere ea omnia, quæ ab Angelo fuerunt prænuntiata.

II. Multo minus eſſe Hebdomades, Decenniorum aut Jubilæorum, vel Sæculorum; quia ea omnia jam fuerunt impleta, quæ prædicta ſunt.

III. Annos hic ſumendos eſſe Solares, non lunares; quia non per hos, ſed per illos, Judæi numerare ſolebant.

99 IV. Initium Hebdomadarum ſumendum eſſe ab Exitu Sermonis, ſeu Decreti, dati a Rege Perſarum de ædificanda iterum Jeroſolyma. Quatuor autem ejusmodi Decreta leguntur in S. Scriptura. I. CYRI anno primo Regni ſui, quo facultatem dedit Judæis ædificandi Templum I. Esdræ I. 3. *Secundum* DARII Hyſtaſpis, quo facultas CYRI renovatur 1. Esdræ VI. *Tertium* ARTAXERXIS *longimani*, anno Regni ſeptimo 1. Esdræ VII. *Quartum* ejusdem Regis anno regni 20. 2. Esdræ II. 8. Quamquam vero catholici in eo conſentiant omnes, ex hoc Vaticinio invicte adverſus Judæos demonſtrari Adventum MESSIÆ dudum præteritum, non conveniunt tamen SS. Patres, Interpretes & Theologi, a quo anno inchoandus ſit com-

computus Hebdomadarum, ſuntque duæ celebriores Sententiæ, quarum una ab anno ſeptimo ARTAXERXIS, altera ab anno vigeſimo ejusdem Initium ducit.

RESOLUTIO I. Ex Danielis Vaticinio demonſtratur, Meſſiam dudum adveniſſe.

Prob. Hoc Vaticinium eſt de MESSIA, & quæ ibi prædicuntur, jam diu ſunt impleta; ergo venit MESSIAS, & ad græcas calendas a Judæis exſpectatur. *Prob. ant.* quoad I. part. CHRISTUS ſimpliciter & per Antonomaſiam poſitus, non alium quam MESSIAM deſignat, quod colligitur ex Muliere Samaritana ad Chriſtum dicente Joan. IV. 25. *Scio quia venit Meſſias, qui dicitur Chriſtus*; & omnes caracteres hujus Vaticinii Meſſiæ conveniunt: *ergo.* Nam *primo* vocatur *Dux*, ſeu Princeps, quod Meſſiæ tribuitur ab Iſaia LV. 5. *Ecce Teſtem Populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem gentibus. Secundo.* Appellatur *Sanctus Sanctorum*, quod tribuitur MESSIÆ Pſal. XV. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Tertio.* Per hunc CHRISTUM expiandum dicitur Peccatum: quod utique MESSIÆ competit. *Quarto.* Per ipſum adducenda dicitur Juſtitia ſempiterna: atque MESSIAS in Scriptura dicitur *Juſtus*, imo *Juſtitia*, ſic Iſai. XLV. 8. *Rorate Cæli deſuper & Nubes pluant Juſtum.* Et Jerem. XXIII. 6. *Hoc eſt Nomen quod vocabunt eum, Dominus Juſtus noſter*, hebraice: *Dominus Juſtitia noſtra. Quinto.* Dicitur

novi Fœderis Author futurus, de quo prædixerat JEREMIAS XXXI. 31. *Ecce Dies venient, dicit Dominus: & feriam Domui Iſraël & Domui Juda Fœdus novum. Non ſecundum Pactum meum, quod pepigi cum Patribus eorum. Sexto.* Ceſſare debuerunt Sacrificia veteris Legis, quod de MESSIA prædixit MALACHIAS cap. I. 10. *Non eſt mihi Voluntas in vobis, dicit Dominus: & Munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis usque ad Occaſum, magnum eſt Nomen meum in gentibus. Septimo.* Populus Judaicus, quondam electus Dei Populus, non erit amplius ejus Populus: quod utique certum eſt, cum non ſit Chriſti Populus, carens Sacrificio, Templo, Altari. *Octavo.* CHRISTUS prædicitur occidendus; & revera fuit Jeroſolymæ occiſus, quia dixit ſe eſſe MESSIAM.

101 PROB. ant. quoad 2. Part. In hac Prophetia prædicitur, quod a Tempore Edicti, quo dabitur Judæis Facultas ædificandi Urbem & Templum, usque ad medium Hebdomadis 70. ſeu, intra 486. annos, & poſt Mortem CHRISTI, debeant ſequentia contingere, quæ & actu contigerunt. 1. Ceſſatio Viſionum & Prophetiarum: quæ nullæ jam ſunt inter Judæos, ipſismet fatentibus. 2. Debuit deficere Hoſtia, & Sacrificium; quod defecit, cum Judæi careant Templo, extra quod ipſis ſacrificare non licet, & careant Sacerdotibus.

tibus. 3. Post Mortem CHRISTI Civitas & Templum debuit dissipari. Quod revera contigit per TITUM. 4. Desolatio dicitur duratura, usque ad Consummationem & Finem; Et hanc ad præsentem usque Diem experiuntur Judæi: qui frustra sæpius, & maxime sub JULIANO Apostata, conati sunt instaurare Templum, sed semper prohibiti, erumpentibus quoque e Terra Flammarum Globis, quod AMMIANUS MARCELLINUS, Ethnicus narrat. Denique ipsi Judæi in omnem Terram sunt dispersi, ubique contemti atque exosi, suæque Desolationis Stigmata ubique circumferunt.

PROB. II. Christi & Apostolorum Tem- 102
pore, Judæorum Doctores, & ipse Populus, communiter persuasi erant, adesse finem LXX. Hebdomatum, a Daniele prædictarum. Hinc cum BARCHOCHEBAS centum post Christum annis se MESSIAM venditaret; Judæi eo Duce tumultuati, a Romanis exterminati sunt.

OBJIC. I. Septuaginta Hebdomades in 103
tres Partes dividi possunt, nempe in Hebdomades septem, & sexaginta duas, & unam ultimam: duo etiam distingui possunt CHRISTI, quorum prior sit CYRUS, de quo dicitur Isai. XLV. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*; qui etiam post septem Hebdomadas Judæos e Captivi-

tate liberavit : Alter autem ſit AGRIPPA, Judæorum Rex, qui in ultimo Hieroſolymæ Excidio periit. Ergo Vaticinium Danielis de Meſſia Chriſtianorum non eſt intelligendum.

RESP. Nego *ant.* Cum enim a prima Jeroſolymæ per NABUCHODONOSOREM Everſione, usque ad ſecundam per TITUM, ultra ſexcentos annos effluxerint, Hebdomades autem ſeptuaginta conficiant annos non niſi 490. conſequens eſt, Vaticinium hoc modo exponi non poſſe. Fabula quoque eſt de duobus CHRISTIS; CHRISTUS enim ſimpliciter dictus, ſemper ſignificat MESSIAM. Et quamquam in hac Prophetia bis nominetur CHRISTUS; de uno tamen & eodem MESSIA accipi debet. Falſum quoque eſt, AGRIPPAM fuiſſe unquam Judæorum Regem, aut a Romanis in Urbis Excidio interfectum fuiſſe; cum eidem poſt Cladem ſuperſtiti, ſuos inſcripſerit libros JOSEPHUS.

104 OBJIC. II. Initium hebdomadarum duci poteſt ab anno primo DARII *Medi*, quo DANIEL oravit Dominum, usque ad Excidium Jeroſolymitanum, & duplex diſtingui CHRISTUS, ita ut primus ſit NEHEMIAS, qui anno vigeſimo ARTAXERXIS in Judæam miſſus eſt; & ad quem usque effluxerunt hebdomades ſeptem priores : Poſterior autem Chriſtus ſit regia Dignitas, Judæis

per

per Titum ablata. Ergo exponi non debet de JESU Nazareno.

RESP. Nego *ant*. Jam iterum enim non 490. ſed plus quam 600. Anni numerantur a DARIO usque ad everſionem Jeroſolymæ. Et ab Anno primo DARII *Medi* usque ad ARTAXERXEN, non ſunt ſeptem Hebdomades, ſeu 49. anni, ſed octoginta, & amplius. Abſurdum quoque eſt, Nomine CHRISTI intelligere regiam Dignitatem; cum debeat exponi de certa Perſona.

OBJIC. III. Nomine CHRISTI intelligi poteſt HIRCANUS, Aſſamonæorum ultimus, qui poſt LXX. a CYRO Hebdomadas Regno & Sacerdotio privatus fuit. *Ergo* &c. 105

RESP. Nego *ant*. Nam a CYRO usque ad HIRCANUM effluxerunt plures quam LXX. Hebdomades. Falſum inſuper eſt, quod HIRCANI Tempore ceſſaverint Sacrificia in Templo, quod Tempore MESSIÆ occiſi debuit contingere, juxta Vaticinium.

OBJIC. IV. Hoc Vaticinium referri poteſt ad Tempora ANTIOCHI *Epiphanis* quibus impletum fuit. Nam Angelus DANIELI apparuit anno I. DARII *Medi*, qui fuit vigeſimus primus captivitatis Babylonicæ; quia teſtatur DANIEL, ſe ab Initio Captivitatis luxiſſe per tres Hebdomades (annorum), qui faciunt annos XXI. Hoc autem poſito, complentur Hebdomades 106

LXX.

LXX. in ANTIOCHO *Epiphane*, qui abominationem Desolationis, seu, Idolum in Templo posuit. Ita MARSHAM, Anglus.

RESP. Nego *ant.* Nam præter multa alia absurda, quæ jam discutere non vacat, certum est ex DANIELIS Vaticinio, quod *usque ad consummationem & Finem perseverabit Desolatio.* Atque Abominatio introducta per ANTIOCHUM, non duravit usque ad Finem; cum Templum a Machabæis repurgatum fuerit. Absurdum quoque est, sub Nomine CHRISTI, intelligere ANTIOCHUM, mortalium sceleratissimum; cum tamen dicat Angelus, per CHRISTUM imponendum esse Finem Peccato, & adducendam Justitiam sempiternam. Porro CHRISTUS dicit Math. XXIV. 15. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ prædicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.* Ergo primum futura erat post Christum, non vero antea impleta fuit.

107 OBJIC. V. Christiani ipsi inter se non conveniunt in exponendo hoc Vaticinio, & computando Annorum Numero: nam 1. quidam annos numerant solares, alii lunares. 2. Alii Initium Hebdomadarum ducunt ab Anno 21. captivitatis Babyl. ut HYPOLITUS Portuensis. 3. Alii ab Anno 1. DARII *Medi.* 4. Alii ab anno primo CYRI, qui Judæos e captivitate dimisit. 5.

Alii

Alii ab anno 2. Darii Hystaspis, qui Edictum a Cyro datum confirmavit. 6. Alii ab anno 7. Artaxerxis, quo Edictum dedit Esdræ. 7. Alii ab anno 20. ejusdem, quo Edictum dedit Nehemiæ de ædificanda Urbe. 8. Alii ab anno 2. Darii Nothi. Ergo in tanta Christianorum Dissensione, ex hoc Vaticinio Adventus Messiæ contra Judæos demonstrari non potest.

Resp. Quamquam Authores inter se dissideant de Initio Hebdomadum, certum est tamen, & in hoc conveniunt Catholici, istud Vaticinium intelligi de Messia, & LXX. Hebdomades dudum effluxisse, adeoque Messiam jam advenisse. Hinc Opinionum varietas nihil profuit Judæis. Ut vero difficultas ordine solvatur,

Observandum I. Quasdam harum Opinio- 108
num esse aperte falsas; nam quod neque ab anno 1. captivitatis Babylonicæ, nec a Jerosolymæ Eversione, nec ab anno vigesimo primo captivitatis, nec ab anno primo Darii *Medi* possit initium duci, ex eo probatur, quia a Tempore captivitatis usque ad Cyrum, nullum exiit Edictum de ædificanda Urbe & Templo: quod tamen directe edixit Gabriel: *Ab exitu Sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, erunt Hebdomades LXX. usque ad Christum. Et quia, si ab his Initiis numerantur Hebdomades, semper erunt

plures

plures quam anni 490. quod eſt contra Vaticinium.

109 OBSERVANDUM II. Initium non poteſt ſumi ab Edicto CYRI aut DARII; nam 1. Angelus loquitur de Edicto, quo iterum ædificabitur Jeruſalem, & Plateæ, & Muri in anguſtia Temporum: atqui nec CYRUS, nec DARIUS Edictum edidit de inſtauranda Urbe, ſed ſolum de Templo, idque DARIUS ſolummodo innovavit. 2. Ab utriusque Edicti Tempore usque ad Chriſti Mortem, non ſolum 490. ſed ultra 550. annos effluxerunt: quod eſt contra Vaticinium.

110 OBSERVANDUM III. DARIUS, & ARTAXERXES, quorum in ordine ad hanc Materiam S. Scriptura meminit, non eſt DARIUS *Nothus*, ſed DARIUS Hyſtaſpes: neque ARTAXERXES *Mnemon*, ſeu *Memorioſus*, ſed ARTAXERXES *Longimanus*, filius XERXIS primi. Nam 1. in hoc Scriptores ſacri & profani paſſim conveniunt: 2. nec calculi chronologici aliter patiuntur; Ab Anno enim ſecundo DARII *Nothi*, usque ad CHRISTUM, non currunt 490. ſed ſolum 454. circiter Anni, & multo pauciores ab anno 7. aut 20. ARTAXERXIS *Memorioſi*, ut alia taceam.

111 RESOLUTIO II. Probabiliſſima & communior hodie eſt eorum Hypotheſis, qui Ini-

Initium Hebdomadum LXX. deducunt ab anno VII. aut, XX. ARTAXERXIS *Longimani*. Mihi cum prioribus sentire placet, & suppono 1. CHRISTUM fuisse natum anno Periodi Julianæ 4710. Mundi anno 4000. Olympiadis 193. ann. 4.

Suppono 2. CHRISTUM Prædicationem inchoasse 30. Vitæ & 33. cum dimidio fuisse mortuum, quod est Systema commune. Ab hoc autem Anno Mortis CHRISTI usque ad annum VII. ARTAXERXIS, retro renumerantur anni 486. cum dimidio: sicque in medio Hebdomadæ occisus fuit Christus. Ergo ab hoc anno VII. sumendum est Initium LXX. Hebdomadum. *Prob. ant.* I. Annus VII. ARTAXERXIS fuit Periodi Julianæ Annus 4256. Mundi 3546. Olympiad. 80. an. 3. Atqui hic Annus subtractus ab anno mortis Christi, relinquit 486. cum dimidio, aut 487. Ergo. *Ant. prob.* ARTAXERXES obiit anno VII. Belli Peloponesiaci, quod inchoatum fuit anno Period. Julian. 4283. Mundi 3572. Olympiad. 87. ann. 2. ut demonstrat. PETAVIUS; hinc Mors contigit anno Period. Jul. 4289. Mundi 3579. Olympiadis 88. ann. 4. Regnavit autem ARTAXERXES annis minimum 40. Ideoque Initium Regni cadit in annum Period. Jul. 4250. mundi 3540. Olymp. 79. 1. & annus Regiminis septimus, in annum Period. Julianæ 4256. Mundi 3546. Olymp. 80. an. 3. quod erat probandum.

PROB.

112 PROB. ant. II. Juxta THUCIDIDEN Lib. 1. pag. 91. THEMISTOCLES ad Artaxerxen venit, cum νεωϛ nuper regnare cœpiſſet: hanc autem Fugam EUSEBIUS in chronico refert ad annum Olympiad. 79. 1. Ergo Annus Regiminis ſeptimus, eſt hic ipſe, quem poſui, nempe Mundi 3546.

113 *Ant. prob.* III. JULIUS Africanus relatus a S. HIERONYMO in cap. 9. Danieli ait: Quando Artaxerxes Rex ejusdem Imperii vigeſimum Regni ſui habebat annum, & erat octogeſimæ & tertiæ olympiadis annus quartus. Ergo ſubtractis annis 13. usque ad ſeptimum Regiminis, erit hic annus 3. olympiadis 80. Mundi 3546.

114 PROB. II. Ex ipſo Vaticinio. Ab illo Tempore ducendum eſt Initium, ſeptuaginta Hebdomadum, quo exiit Edictum de ædificanda Urbe Jeruſalem; atqui illud exiit ab anno VII. ARTAXERXIS *Longimani.* Ergo. *Maj.* eſt in terminis Prophetiæ: *Ab Exitu Sermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, Platea, & Muri in anguſtia Temporum. Min. prob.* 1. ARTAXERXES anno VII. dedit ESDRÆ Poteſtatem ædificandi Templum & Jeruſalem; nam dedit Esdræ *omnem petitionem ejus*: 1. Esdræ VII. 6. & dicitur in exemplari Decreti 18. *Juxta voluntatem Dei veſtri facite.* Atqui Petitio

Esdræ,

Ann.
Mund

339

341

34
34

3

A
A
A

Ad Tom. V. pag. 80.

T	Ann. Mundi.	Olymp.	ante Æram Christ.	Ann. Hebd.
Nabuch ejus	3398	43. 3.	602.	
Idem H dat	3416.	48. 1.	584.	
Cyrus.				
Darius	3445	55. 2.	555.	
Cyrus.	3466	60. 3.	534.	
& lic				
Regnat	3468	61. 1.	532.	
	3475	62. 4.	525.	
Cambyſ				
Qui Te	- -	- -	- -	
nis V				
	3482	64. 3.	518.	
Smerdes fraud				
Regnat	3581	89. 2.	419.	35.
Artaxerx				
	- -	- -	- -	- -
Annum	3600	94. 1.	400.	54.
	- -	- -	- -	- -
Annum	3607	95. 4.	393.	61.
	- -	- -	- -	- -
	3620	99. 1.	380.	74.
			Æræ Ch.	
Christ	4000	194. 1.	1.	454.
Crucifig	4032	202. 1.	33.	487.
	4033	202. 2.	34.	488.
Jeruſalei	4073	212. 2.	74.	

Esdræ, & Voluntas Dei erat, non ſolum ædificandi Templum, ſed etiam civitatem & Muros ejus. *Ergo* &c.

Min. prob. II. Anno 20. ARTAXERXIS, 115
nuntiatum fuit NEHEMIÆ: *Murus ejus* (Jeruſalem) *diſſipatus eſt, & Portæ ejus combuſtæ ſunt igni.* II. Esdræ I. 3. Atqui hoc non intelligitur de prima everſione per NABUCHODONOSOR, ſed de Muris & Portis, ab Esdra anno VII. refectis, & a SANABALLAT, aliisque Judæorum Hoſtibus Samaritis denuo deſtructis; primam enim Deſtructionem dudum noverat NEHEMIAS, nec novo indigebat Nuntio. Ergo jam ESDRAS cœperat ædificare.

Min. prob. III. Si ſolum fuiſſet ædifica- 116
tum Templum ab Esdra ſub CYRO & DARIO, & non etiam Domus & Muri urbis ab an. VII. ARTAXERXIS; tunc nec Habitationem habuiſſent tot Millia Judæorum, qui jam tunc e captivitate Jeroſolymam redierant: aut ſi ſolas habuiſſent Domos, non etiam Mœnia & Portas munitas; tunc nullo unquam Tempore ſecuri fuiſſent ab invaſione & incurſibus Hoſtium; nec poterant quiete offerre Sacrificia in Templo. *Ergo.*

Min. prob. IV. ESDRAS I. cap. IX. 8. ſeq. 117
ad Judæos, qui Matrimonia cum Alienigenis contraxerant, ait: *Et nunc quaſi pa-*

rum & ad momentum facta eſt deprecatio noſtra, ut demitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis PAXILLUS (LXX. vertunt, FIRMAMENTUM) *in loco ſancto ejus* (in Jeruſalem) . . *In Servitute noſtra dereliquit nos Deus noſter, cum inclinavit ſuper nos miſericordiam coram Rege Perſarum, ut daret nobis vitam, & ſublimaret Domum Dei noſtri*, id eſt, Templum, *& exſtrueret Solitudines ejus*, id eſt, Domus, *& daret nobis* SEPEM *in Juda & Jeruſalem*, id eſt, Mœnia Civitatis. Ergo jam ESDRAS cœpit ædificare Urbem & Mœnia, quamvis poſtea ab Hoſtibus iterum lacerata. *Ergo.*

118 OBJIC. I. contra hanc hypotheſin. LXX. Hebdomades numerari debent ab Exitu Edicti, concedentis Facultatem, ædificandi non ſolum Templum, ſed etiam civitatem & Muros Jeruſalem: atqui Facultas illa data fuit anno vigeſimo ARTAXERXIS, ut conſtat II. Esdræ II. Ergo.

RESP. *Conc. maj.* Nego *min.* Non enim iſtud Decretum fuit novum, ſed ſolum magis explicans Facultatem generalem, anno 7. ARTAXERXIS datam. Quia enim Judæi in Reſtauratione Murorum fuerant ab Hoſtibus ſuis impediti; hinc NEHEMIAS petiit a Rege Facultatem *expreſſam*, inſtaurandi Mœnia, quam etiam obtinuit.

119 OBJIC. II. NEHEMIAS lib. II. Esdræ cap. II. conqueritur: *Civitas Domus Sepulchro-*

rum

rum Patris mei deserta est, & *Portæ ejus combustæ sunt Igni*. Hinc anno 20. petiit a Rege Facultatem ædificandi eam. Ergo per Edictum anno VII. datum, non fuit factum Initium restaurandæ Urbis.

Resp. Nehemias loquitur non de prima Devastatione Urbis, facta per Nabuchodonosor, sed de Hostibus suis vicinis, Samaritis, qui Judæos post Edictum Anno VII. impetratum, Urbem reficere incipientes, interturbarunt, & Opera incœpta destruxerunt; quare necessum fuerat, ut Nehemias novum impetraret Edictum, quo *expressa* concederetur Facultas, reficiendi Portas & Mœnia.

Objic. IV. contra utramque hypothesin 120
Septuaginta Hebdomades compleri debent in Secundo Adventu Christi, seu, in Fine Mundi. Ergo. *Ant. prob.* Christus Math. 24. agens de Vaticinio Danielis: *Cum videritis Abominationem, desolationis, quæ dicta est, a Daniele Propheta, stantem in loco sancto*, loquitur de secundo Adventu, & de Tempore Antichristi: ergo tunc primum complebuntur septuaginta Hebdomades: non autem in Morte Christi.

Resp. Christus loco citato utrumque Adventum conjungit, & loquitur partim de Urbis devastatione, facienda per Romanos: partim de Fine & Excidio Mundi, atque extremo Judicio. Devastatio au-

tem Templi, & Urbis Excidium, revera contigit ſub TITO, ſeptuaginta circiter Annis poſt CHRISTI Nativitatem.

121 OBJIC. V. contra utramque Hypotheſin. Sive ab Anno VII. ſive a XX. ARTAXERXIS ducatur Initium LXX. Hebdomadum, nuſpiam verificatur, quod HIEROSOLYMA Triennio poſt CHRISTI Mortem devaſtata fuerit: quod tamen ſecundum Vaticinium GABRIELIS in Fine Hebdomadis ſeptuageſimæ accidere debuit.

RESP. *Diſt.* Excidium HIEROSOLYMÆ contingere debuit, *præciſe* in Fine Hebdomadis. *Nego.* Circa, vel paullo poſt Finem. *Conc.* Non enim prædixerat Angelus, quod *ſtatim* poſt Finem LXX. Hebdomadum deſtruendum ſit Templum. Illud autem deſtructum fuiſſe, & hactenus deſolatum jacere, ne Judæi quidem inficiari audent.

122 OBJIC. VI. Initium LXX. Hebdomádum duplex ſtatuendum eſt. I. A Tempore, quo GABRIEL loquitur DANIELI. II. Ab Edicto CYRI, quo conceſſit Facultatem ædificandi Civitatem. Ergo non ab anno VII. ARTAXERXIS. *Ant. prob.* quoad Partem I. Prædicit Angelus Hebdomades LXX. eſſe *abbreviatas*, h. e. non integras. Quia ergo *Sermo* GABRIELIS *egreſſus* eſt ante Edictum CYRI, & ab illo usque ad CHRISTI Mortem elapſi fuerunt anni 489.

inde

inde faciendum eſt Initium numerandi Hebdomadas.

Ant. prob. quoad Partem II. Angelus 123
prædixit: *Ab Exitu Sermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem usque ad Chriſtum Ducem, Hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ erunt*, h. e. LXIX. Atqui iſtud Decretum de ædificanda Urbe Jeruſalem, emanavit anno I. Cyri. Ergo inde ſumendum eſt Initium alterum Hebdomadum abbreviatarum. *Min. prob.* I. Per ISAIAM Prophetam ducentis fere ante CYRUM annis prædixerat Deus Iſai. XLIV. 28. *Qui dico Cyro: Paſtor meus es, & omnem Voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: ædificaberis; & Templo: fundaberis.* Et cap. XLV. 13. *Ego ſuſcitavi eum ad Juſtitiam, & omnes Vias ejus dirigam: Ipſe* (Cyrus) *ædificabit Civitatem meam, & Captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Deus Exercituum.* Cum ergo Deus prædixerit, Jeruſalem per CYRUM, hoc eſt, Decretum ab eo dandum ædificandam fore, dubitare Catholici nequeunt, ejusmodi Decretum vere a Cyro edictum fuiſſe, a quo proin Initium Hebdom. LXIX. ſumendum eſt.

Min. prob. II. Poſt edictum hoc Cyri 124
Decretum, Judæi e captivitate reduces, reipſa cœperunt ædificare Civitatem, quod ſine licentia ejusdem utique non auſi fuiſſent.

ſent. *Ant. prob.* Teſtes a viſu, ideoque omni exceptione majores, qui cum Judæis reverſis trans Euphraten in eadem Regione habitabant, affirmant in epiſtola ad ARTAXERXEN: (quem alii CAMBYSEN, alii SMERDEN Maguni, ſeu OROPASTOREM eſſe volunt) Regem Perſarum data hoc affirmant, referentes I. Esdræ IV. 12.

„ Notum ſit Regi, quia Judæi, qui aſcen-
„ derunt a Te ad nos, venerunt in Je-
„ ruſalem, civitatem rebellem & peſſi-
„ mam, quam ædificant exſtruentes Mu-
„ ros ejus, & parietes componentes.
„ Nunc igitur notum ſit Regi, quia ſi
„ Civitas illa ædificata fuerit, & muri
„ ejus inſtaurati; Tributum & Vectigal,
„ & annuos redditus non dabunt, & us-
„ que ad Reges hæc noxa perveniet.
„ Nos autem . . . idcirco miſimus &
„ nuntiavimus Regi, ut recenſeas in
„ libris Hiſtoriarum Patrum tuorum, &
„ invenies ſcriptum in commentariis, &
„ ſcies, quoniam Urbs illa, Urbs rebellis
„ eſt, & nocens Regibus & Provinciis,
„ & Bella concitantur in ea ex diebus an-
„ tiquis: quamobrem & civitas ipſa de-
„ ſtructa eſt. Nuntiamus nos Regi, quo-
„ niam ſi Civitas illa ædificata fuerit, &
„ muri ipſius inſtaurati, poſſeſſionem trans
„ fluvium non habebis. „ Hac autem
Epiſtola apud Regem, Judæis non adeo adulatum, id effecerunt, ut ulteriorem Urbis ædificationem interdiceret, ut patet

ex Verbis Reſcripti regii l. c. *Prohibeatis Viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec ſi forte a me juſſum fuerit.* Niſi Viri iſti Samaritæ, Judæorum Hoſtes acerrimi, probe ſciviſſent, Judæos a Cyro Rege accepiſſe facultatem reſtaurandi Urbem; tunc in iſta novi Operis nuntiatione, haud dubie pro exaggeranda Accuſatione memoraſſent, Judæos ſine prævia Regis licentia hoc Opus moliri. Ergo probe ſciebant, hanc Facultatem illis a CYRO factam fuiſſe, cujus a novo Rege Revocationem, quam ſperabant, impetrarunt.

Min. prob. III. Edictum CYRI, inſpiran- 125
te Deo, emanavit, ut compleretur Vaticinium Jeremiæ; ſic enim legitur I. Esdræ I. 1. *In anno primo Cyri Regis Perſarum,* UT COMPLERETUR VERBUM DOMINI EX ORE JEREMIÆ, *ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum; & traduxit vocem in omni Regno ſuo etiam per ſcripturam* &c. Atqui per JEREMIAM prædixerat Deus, non ſolum Templum, ſed & Urbem inſtaurandam fore. Ergo ad utriusque ædificationem Edictum CYRI referendum, & ab hoc Edicto, Hebdomadum abbreviatarum Initium ſumendum eſt. *Min. prob.* Jerem. XXX. 18. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam converſionem Tabernaculorum Jacob, & Tectis ejus miſerebor, & ædificabitur Civitas in excelſo ſuo,* h. e. civitas ſuperior in Monte Sion,

& Templum juxta Ordinem ſuum fundabitur.

126 *Min. prob.* IV. Ex ipſo Cyri Edicto colligitur, licentiam non pro ſolo Templo, ſed & Urbe inſtauranda datam fuiſſe. *Ergo. Ant. prob.* Hic erat Tenor Edicti, quod refertur I. Esdræ VI. 3. *Anno primo Cyri Regis. Cyrus Rex decrevit, ut domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Jeruſalem, in loco ubi immolent Hoſtias: & ut ponant Fundamenta ſupportantia Altitudinem Cubitorum ſexaginta, & latitudinem Cubitorum ſexaginta.* Si in hoc Edicto de ſolo Templo ædificando ſermo eſſet, tunc præter Altitudinem & Latitudinem, exprimenda quoque fuiſſet *Longitudo*, quæ tamen prætermittitur. Ergo priora Edicti Verba: *Rex decrevit, ut domus Dei ædificaretur*, aperte quidem ad ædificium Templi: poſteriora autem: *Et ponant Fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum* 60. *& latitudinem cubitorum* 60. ad inſtauranda Urbis Mœnia, quæ in Gyrum, ſeu, Circulum Aucta, ad primum Lineæ curvæ Punctum redeunt, nec ulla Longitudinis mentione indigent, referenda ſunt. Hæc eſt Hypotheſis R. P. Calini S. J. in Hiſtoria Biblica chronologica V. T. Lib. VIII. cap. II.

127 Resp. ad N. 122. Nego *ant.* Ad Partis I. Probat. dico I. Nomine *Sermonis* non intel-

intelligi *Sermonem* Angeli cum Daniele, ſed *Decretum*, *Edictum* regium, tribuens facultatem, inſtaurandi Templum, Urbem & Mœnia, quod non dedit CYRUS, ut infra oſtendam, ſed ARTAXERXES, ut probavi. II. Etiamſi in Vulgata legatur, LXX. Hebdomades *abbreviatæ* ſunt &c. Hebræi tamen legunt, *deciſæ*: Alius, *probatæ*, alius, *decretæ* ſunt, ut videre eſt in Hexaplis ORIGENIS a MONTEFALCONIO collectis Tom. II. ad cit. locum III. Retenta etiam Lectione Vulgatæ, Hebdomades *abbreviatæ* dici poſſunt, quia usque ad Mortem Chriſti in medio ultimæ Septimanæ occiſi, non integræ LXX. hebdomades, ſeu 490. Anni, ſed 487. efluxerunt.

RESP. ad N. 123. & Probationem II. 128 Antecedentis, nego *min.* Ad Prob. I. dico I. Prophetiam ISAIÆ a multis Interpretibus aptius referri ad CHRISTUM, Meſſiam, verum *Paſtorem*, fundatorem Eccleſiæ, qui e captivitate Dæmonis, non alio, quam Sanguinis ſui Pretio gratis nos liberavit. Certe enim de Chriſto intelligenda ſunt verba Iſai. XLIV. 8. *Rorate Cœli deſuper. & Nubes pluant Juſtum, aperiatur Terra, & germinet Salvatorem.* Sed & quædam Exemplaria LXX. Interpretum, non legunt Κυρω, ſed Κυριω. ſeu, *Domino meo Chriſto.* II. *Civitatis* Nomine intelligi poteſt, non Urbis materialis exſtructio, ſed

ipſius Populi Hebræi in novum *Statum civilem* reductio, quatenus dimiſſis e captivitate & Servitute Judæis Cyrus permiſit, eos ſuis Legibus vivere, & Civitatem *moralem*, hoc eſt, *Societatem* liberam a priori Servitutis Jugo immunem, conſtituere. Si enim adeo ſtricte adhærendum foret litteræ, ſequeretur, prius fuiſſe ædificatam Civitatem, quam ſolutam Captivitatem; ait enim Textus: *Ipſe ædificabit Civitatem meam*, deinde: *& Captivitatem meam dimittet.* III. Quodſi Iſaiæ verba etiam de civitate materiali intelligenda ſunt, adhuc exponi poſſunt hoc Senſu, quod Cyrus una cum facultate ædificandi Templum, tacitam ex conſequentia licentiam dederit, Tuguria quædam, aut Tentoria, vel Tabernacula tumultuario Opere circa Templum excitandi, quæ per diem laborantibus, pro Receptaculis de Nocte ſervirent, & ſpeciem quamdam Civitatis exhiberent.

129 Resp. ad N. 124. & Probationem II. Minoris. Nego *ant.* & ejus Probationem. Teſtes enim illi I. nec omni Exceptione majores ſunt, nec II. vera retulerunt.

I. Non ſunt omni exceptione majores; Erant enim (1. *Hoſtes Judæ & Benjamin.* I. Esdræ IV. 1. (2. Doloſe agebant, ſubornantes Miniſtros Regis, qui Provinciæ præerant: *Conduxerunt adverſus eos* (Judæos) *Conſiliatores, ut deſtruerent Conſilium*

filium eorum omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, & usque ad Regnum Darii Regis Perſarum. Ibidem 5. (3. Hanc tamen Judæis Fabam cudere non auſi regnante *Cyro*, quem illis maxime favere noverant, moras ſtudioſe trahebant ad Tempora Succeſſoris, CAMBYSIS, aut SMERDIS Magi, quem Scriptura ſacra ARTAXERXEN, alii OROPASTOREM appellant, Judæis minime addictum.

II. Nec vera nuntiarunt; (1. Scribit enim Esdras loc. cit. 1. *Audierunt Hoſtes Juda & Benjamin, quia Filii Captivitatis ædificarent* TEMPLUM *Domino Deo Iſraël.* De ſolo TEMPLO ædificando audierant, & URBIS ac MURORUM Reſtaurationem mentiuntur; quia Judæorum Principes iſtos SAMARITAS ad Operis communionem admittere nolebant. (2. De ſola Templi ædificatione illis haud permittenda, Reſponſum dedit ZOROBABEL: *Non eſt nobis & vobis ut ædificemus Domum Domino Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum.* L. c. 3. Nihil ergo de Urbe & Mœniis ſtatuerat CYRUS, nec attentabant Judæi; hinc falſa fuit Samaritarum criminatio. (3. Poſtquam his dolis ARTAXERXES circumventus Interdictum ſuum interpoſuiſſet, *tunc intermiſſum eſt Opus Domus Domini* (non Urbis, utpote nunquam inchoatum) *in Jeruſalem, &*

non

non fiebat usque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum. Loc cit. 24. Si unacum Templo Urbs quoque a Judæis inſtaurata fuiſſet ; haud dubie & hujus intermiſſionem Esdras commemoraſſet.

Nemini autem mirum videri debet, Samaritas auſos fuiſſe aperto mendacio Regem circumvenire. Raro enim Veritati aditus ad regium Thronum patet, præſertim e Locis diſſitis, quando Miniſtri Principem regunt, & Muneribus *conducti* conſpirant ad innocuos Pauperes opprimendos, aut Veritatem ſupprimendam, quod in iſto Caſu contigit.

130 Resp. ad N. 125. & Probationem Tertiam *Minoris.* Nego *min.* Equidem per Jeremiam, Loco in Objectione allegato, prædixerat Deus, Templum & Urbem iterum fore inſtaurandam, Templum quidem per Cyrum, Urbem vero & Mœnia per Artaxerxen; neque Verba Initii Libri I. Esdræ, ut compleretur Verbum Domini ex ore Jeremiæ Prophetæ, ad objectum locum referenda ſunt, ſed ad geminos alios, ubi Deus per Jeremiam prædixerat, poſt expletos LXX. Captivitatis & Deſolationis annos, liberum Judæis reditum ad patrias Sedes permittendum fore, qui loci annotantur in Margine Editionis vulgatæ ad Initium Lib. I. Esdræ & ſunt iſti. Jerem. XXV. 12. *Cum impleti fuerint LXX. anni, viſitabo ſuper Re-*

gem

gem Babylonis, & ſuper Gentem illam dicit Dominus &c. Item XXIX. 10. *Hæc dicit Dominus: cum cœperint impleri in Babylone LXX. anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos Verbum meum bonum* (CYRO inſpirandum) *ut reducam vos in locum iſtum*, ex Cyri Edicto. Uterque hic locus, non autem ille XXX. 18. allegatur quoque in margine ad II. Paralip. XXXVI. 22. *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum Sermonem Domini, quem locutus fuerat per Os Jeremiæ Prophetæ*, de ſolvenda poſt LXX. annos captivitate, *ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum* &c.

RESP. ad N. 126. & Probationem IV. 13. Minoris. Nego *ant*. Ex ipſo enim Tenore Edicti manifeſtum eſt, ſolius *Templi*, non civitatis ædificandæ, Poteſtatem Judæis a CYRO factam fuiſſe, nec aliud eos Opus tunc inchoaſſe: I. Esdræ I. 2. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum. Omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus Deus cæli: & ipſe præcepit mihi, ut* ÆDIFICAREM EI DOMUM *in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt ex vobis de univerſo Populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, &* ÆDIFICET DOMUM *Dominî Dei Iſraël, ipſe eſt Deus, qui eſt in Jeruſalem. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicunque habitant, adjuvent eum Viri de loco ſuo Argento, & Auro, de ſubſtantia, &*

Peco-

Pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt TEMPLO *Dei, quod eſt in Jeruſalem.* In vim hujus Decreti *ſurrexerunt Principes Patrum de Juda & Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, & omnis, cujus Deus ſuſcitavit Spiritum, ut aſcenderent ad* ÆDIFICANDUM TEMPLUM DOMINI, *quod erat in Jeruſalem.* L. c. 5. *Anno autem ſecundo Adventus eorum ad Templum Dei in Jeruſalem, menſe ſecundo cœperunt Zorobabel - - & Joſue - - & conſtituerunt Levitas - - ut urgerent* OPUS DOMINI. I. Esdræ III. 8. FUNDATO *igitur a Cæmentariis* TEMPLO *Domini, ſteterunt Sacerdotes in Ornatu ſuo.* L. c. 10. *Audierunt autem Hoſtes Judæ & Benjamin, quia filii Captivitatis* ÆDIFICARENT TEMPLUM *Domino Deo Iſraël.* I. Esdræ IV. 1. Poſt impetratum ab ARTAXERXE, Samaritarum falſis narrationibus circumvento, Edictum revocatorium, *intermiſſum eſt* OPUS DOMUS DOMINI *in Jeruſalem, & non fiebat usque ad annum ſecundum regni Darii Regis Perſarum.* I. Esdræ IV. 24. Nulla in his omnibus Locis mentio de ædificio Civitatis, ſed ſolius Templi. Sed neque ſub DARIO, quem HYSTASPEN dicunt, qui CYRI Edictum innovavit, ullum invenitur veſtigium, Civitatem Jeruſalem ædificatam fuiſſe. Anno enim hujus Regis ſecundo *ſurrexerunt Zorobabel, & Joſue - - & cœperunt ædificare Templum Dei in Jeruſalem*, cujus jam ſub CYRO jacta fuerant Fundamenta. I. Esdræ V. 2. Adverſarii

farii quoque Judæorum, & Miniſtri Regii, THATHANAI, qui erat Dux trans Flumen, & STHARBUZANAI, & conſiliarii eorum, qui venerant ad Judæos ædificantes in Jeruſalem, non de Urbis, ſed Templi ædificatione ſciſcitabantur: *Quis dedit vobis Conſilium, ut Domum hanc ædificaretis, & Muros ejus* (domus) *inſtauraretis*? & accuſationem in hæc verba ad Regem perſcribebant: *Notum ſit Regi, iſſe nos ad Judæam provinciam, ad Domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: Opusque illud diligenter exſtruitur, & creſcit in manibus eorum. Interrogavimus ergo Senes illos*, ut ſupra, *& reſponderunt dicentes . . . Anno primo Cyri Babylonis, Cyrus Rex propoſuit* EDICTUM, UT DOMUS DEI HÆC ÆDIFICARETUR . . *Tunc itaque Saſſabaſar venit, & poſuit* FUNDAMENTA TEMPLI *Dei in Jeruſalem, & ex eo Tempore usque nunc ædificatur, & nec-dum completum eſt. Nunc ergo ſi videtur Regi bonum, recenſeat in Bibliotheca Regis, quæ eſt in Babylone, utrumnam a Cyro Rege juſſum fuerit, ut* ÆDIFICARETUR DOMUS DEI *in Jeruſalem, & Voluntatem Regis ſuper hac re mittat ad nos.* I. Esdræ V. Si Judæi præter Templum, Civitatem quoque & Mœnia inſtauraſſent, haud dubie Miniſtri Regii etiam hac ſuper re Regis Voluntatem exquiſiviſſent, & num Cyrus eam Facultatem tribuerit, exploraſſent. Quia igitur de ædificio Urbis ne Verbo

qui-

quidem meminerunt, evidens esse existimo, Judæos in urbe instauranda nondum fuisse occupatos. His Litteris ad Regem delatis, *tunc Rex Darius præcepit: & recensuerunt in Bibliotheca Librorum, qui erant repositi in Babylone, & inventum est in Ecbatanis, quod est Castrum in Medena provincia, Volumen unum, talisque scriptus erat in eo Commentarius: Anno primo Cyri Regis. Cyrus Rex* PRÆCEPIT, UT DOMUS DEI ÆDIFICARETUR, *quæ est in Jerusalem, in loco, ubi immolent hostias, ut ponant fundamenta sustentantia altitudinem Cubitorum sexaginta, & latitudinem Cubitorum sexaginta.* I. Esdræ VI. 1. Hæc Fundamenta, a CYRO præcepta, non fuisse posita ad supportanda Urbis Mœnia, ut contendit P. CALINUS, sed onus Templi sustentandum, evidens est ex I. Esdræ V. 6. *Tunc itaque Sassabasar*, a Cyro missus, *venit &* POSUIT FUNDAMENTA TEMPLI *Dei in Jerusalem* &c. Etsi autem nulla fiat mentio *Longitudinis*, nihil obstat; respondet enim RIBERA in Opere de Templo Lib. I. cap. 27. pag. m. 79. *Latitudinem* hic non stricte accipi, sed pro *extensione* poni, sive in latum, sive in longum, ita ut prohibeatur Templum quaquaversum extendi ultra sexaginta cubitos; est enim in chaldæo *phethaetti*, quod est a verbo *ph tha*, id est, *dilatavit*, *extendit*: Quare latitudinem pro extensione posuit, quomodo & Joannes dixit Apoc. XX. 8. *Et ascende-*

runt

runt ſuper latitudinem Terræ. Invento hoc CYRI Decreto, DARIUS reſcripſit: *Nunc ergo Thatanai Dux Regionis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzanai, & Conſiliarii veſtri Arphaſachæi, qui eſtis trans flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri* TEMPLUM *illud a Duce Judæorum, & a Senioribus eorum, ut* DOMUM DEI ILLAM ÆDIFICENT *in loco ſuo.* I. Esdræ VI. 6. *Et compleverunt* DOMUM DEI *iſtam usque ad diem tertiam Menſis Adar, qui eſt Annus ſextus Darii Regis.* Omnibus iſtis rite expenſis, nullum omnino apparet Veſtigium, ſub CYRO, aut DARIO cœptum fuiſſe Urbis ædificium, aut ab his Regibus datam fuiſſe ejusmodi Poteſtatem. Hinc etiam a neutro horum regiorum Edictorum, LXX. Hebdomadum ſumi poteſt Initium, ſed ab illo, quo datur facultas inſtaurandi Civitatem & Mœnia; diſerte enim pronuntiavit Angelus: Daniel. IX. 25. *Scito ergo, & animadverte: Ab exitu Sermonis* (Decreti) UT ITERUM ÆDIFICETUR JERUSALEM *usque ad Chriſtum Ducem*, (h. e. ejus Baptismum) *Hebdomades VII. & Hebdomodes LXII.* (hoc eſt LXIX.) *erunt: & rurſum ædificabitur Platea, & Muri in Anguſtia temporum*: quod contigit ſub ARTAXERXE longimano, poſt fundatum ſub CYRO & DARIO Templum.

§. IV.

De Aggæi, & Malachiæ Vaticiniis variisque Signis Messiam Christum denotantibus.

132 Cum Judæi e captivitate reversi Duce Zorobabel ædificarent iterum Templum, illud vero ad eam Magnificentiam, qua fuerat a Salomone extructum, præ inopia perducere posse desperarent, magnaque eapropter Tristitia afficerentur; misit Deus ad solandos eorum Animos Aggæum Prophetam, cum promissis, Templum hoc secundum, licet quoad Structuram & Pretium esset inferius illo Salomonis, multo tamen fore illustrius propter Præsentiam Messiæ brevi adventuri. Sic autem loquitur Deus per Aggæum Prophetam. II. 4. *Quis est in Vobis derelictus* (e captivitate residuus) *qui vidit Domum istam in gloria sua prima? Et quid Vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* (h. e. nulla ratione priori similis magnificentia) *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, confortare Jesu Fili Josedec, Sacerdos magne, & confortare omnis Populus Terræ, dicit Dominus Exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) Verbum* (Pactum) *quod pepigi vobiscum cum egrederemini de Terra Ægy-*

Ægypti : & Spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. Quia hæc dicit Dominus Exercituum : Adhuc unum modicum est (ab anno DARII Hystaspis usque ad Adventum Christi) *& ego commovebo Cælum & Terram, & Mare, & aridam, & movebo omnes gentes : Et veniet* DESIDERATUS *cunctis gentibus : & implebo Domum istam gloria, dicit Dominus Exercituum. Meum est Argentum, & meum est Aurum, dicit Dominus Exercituum. Magna erit gloria Domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus Exercituum : & in loco isto dabo Pacem, dicit Dominus Exercituum.*

Circa idem Tempus, sed ut videtur, 133
post ædificatum jam Templum, inspiravit Deus MALACHIAM Prophetam, per quem postquam cap. I. repudiasset Sacrificia Judæorum cruenta & polluta, & prædixisset Sacrificium novum, mundum, in omni loco offerendum, per priora Sacrificia præfiguratum : & postquam cap. II. perstrinxisset perversos Sacerdotum Mores ; tandem cap. III. prædicit : *Ecce ego mitto Angelum meum* (id est, Præcursorem MESSIÆ, JOANNEM Baptistam) *& præparabit Viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis* (i. e. Messias) *Ecce venit, dicit Dominus Exercituum.* Quæritur, an ex

istis Vaticiniis demonstrari queat Adventus Messiæ? & quæ sint alia Signa?

134 RESOLUTIO I. Ex utroque Vaticinio demonstratur, CHRISTUM adveniſſe.

Ex utroque Vaticinio probatur, Messiam venturum, dum adhuc staret Templum secundum, a ZOROBABELE ædificatum; cum ergo hoc jam dudum sit destructum per TITUM; dudum quoque Messiam advenisse consequitur. *Ant. prob.* non potuit secundo Templo, quod quoad Magnificentiam Salomonico multo erat inferius, major aliunde accedere Gloria, quam, quod foret illustrandum Præsentia Messiæ, qui dicitur *Desideratus cunctis gentibus*, & *Dominator quæsitus*, & *Angelus Testamenti*, quem volebant Judæi, qui Pacem universalem, nempe Deum inter & Hominem, esset restituturus, & novum Fœdus cum novo Populo initurus, seu, novum Testamentum conditurus, uti citatis locis habetur: quæ omnia non nisi de Messia exponi possunt.

135 Objiciunt Judæi I. Gloria Templi secundi major erat propter tria. 1. Quia decem Annis longius stetit. 2. Quia majori fuit in pretio apud Extraneos, & ab iis splendidioribus Donis ornatum. 3. Quia magnificentius fuit ab HERODE exstructum. Ergo non ob Præsentiam MESSIÆ.

RESP.

RESP. Nego *ant.* Nam illud Decennium longioris Durationis, cultus exterior Gentium, pro nihilo reputabatur in oculis Dei, cui mille Anni ſicut una Dies. Præterea falſum eſt, Templum ſecundum ab Herode inſtauratum, magnificentius illo fuiſſe, quod immenſis Sumptibus a Regum ſapientiſſimo, nutu Divino exſtructum fuerat.

OBJIC. II. AGGÆUS loquitur, non de 136
ſecundo, ſed tertio Templo, in Fine Mundi excitando, de quo agit EZECHIEL cap. 40. *Ergo.*

RESP. Nego *ant.* EZECHIEL enim agit de Templo ſupernaturali, non viſibili: AGGÆUS autem de Templo ZOROBABELIS, quod duravit usque ad CHRISTUM, quamvis ab HERODE fuerit refectum & exornatum, & quod a Romanis deſtructum fuit, ac Solo æquatum.

OBJIC. III. CHRISTUS non intravit in Tem- 137
plum ſecundum ZOROBABELIS, ſed in tertium HERODIS. Ergo de eo non poteſt intelligi Prophetia.

RESP. Templum non fuiſſe ab HERODE ex integro novum ædificatum, ſed ſolum ex Parte, ita ut quoad Subſtantiam, & in æſtimatione Hominum, fuerit ſemper Templum ZOROBABELIS.

138 OBJIC. IV. Tempore CHRISTI commota non ſunt Cœlum, & Terra, Mare, & Arida, & Gentes, quod AGGÆUS prædixit. *Ergo.*

RESP. *Diſt.* Non contigerunt iſti Motus, in Senſu materiali. *Tranſ.* In Senſu morali, quatenus per Adventum CHRISTI maximæ fuerunt factæ Mutationes in Politia & Republica, tam ſacra quam profana: ſepulta Judæorum Synagoga, erecta Chriſti Eccleſia *Neg.* Dixi: *Tranſ. ant.* Nam etiam in ſenſu materiali aliquomodo moti ſunt Cœlum & Terra, cum baptizato in Jordane CHRISTO, aperti ſunt Cœli: & in Morte Terra contremuit, ac maximæ contigerunt Gentium migrationes.

139 RESOLUTIO II. Varia Signa Meſſiam denotantia, probant, Meſſiam adveniſſe.

PROB. I. MESSIAS venire debuit intra quatuor Imperiorum Monarchias, a DANIELE cap. II. & ſub Imagine Statuæ, Nabuchodonoſori oſtenſas, a lapide Chriſto confringendas. Et cap. VII. ſub Imagine quatuor Beſtiarum, & Regni cujusdam æterni atque univerſalis, quale eſt CHRISTI ſupernaturale, prædictas. Venire etiam debuit ante Reprobationem & univerſalem Populi Judaici Diſperſionem, & ante Idololatriæ Extinctionem, a Prophetis paſſim prædictam: atqui everſæ jam ſunt quatuor Monarchiæ, uti evidens eſt de Aſyriaca, Perſica & Græca: Romanum

autem

autem Imperium poſt varias viciſſitudines nunc ad Germanos fuiſſe translatum, conſtat: Penitus rejecti & in Orbem universum diſperſi ſunt Judæi, miſeram ubique ſervientes Servitutem: extincta eſt Idololatria per Evangelium, omnibus fere Gentibus prædicatum: ergo MESSIAS jam venit.

PROB. II. Plurimi ex Judæis, maxime 140
antiquioribus, confitentur, Meſſiam venire debuiſſe poſt quatuor Annorum Millia ab orbe condito; hinc etiam Tempore CHRISTI communis erat eorum Perſuaſio, inſtare Tempus Adventus ejusdem: quæ etiam vulgata erat apud Gentiles, ut teſtantur SUETONIUS in Veſpaſiano cap. 4. TACITUS lib. V. hiſt. Hinc cum nullus unquam ante CHRISTUM exſtiterit, qui pro MESSIA ſe venditaverit, exſtiterint autem plures poſt CHRISTUM, MESSIAM ſe jactantes, quibus etiam male creduli adhæſerunt Judæi; ſequitur, perſuaſos illos fuiſſe, MESSIAM circa illa Tempora apparere debuiſſe. Denique doctiores Judæi præteriti Adventus MESSIÆ ita nunc ſibi conſcii ſunt, ut execrentur illos, qui Tempora MESSIÆ chronologicis calculis computant. Hinc in Proverbium apud eos abiit: *Inflata rumpantur Oſſa eorum, qui Periodos Temporum computant.*

PROB. III. Præſens Judæorum, a Tem- 141
pore occiſi Chriſti, conditio miſerrima,

qua omnibus Nationibus exosi, sine Principe, sine Magistratu, sine Templo, sine Sacrificio, sine Sacerdote, ubique exules opprimuntur, arguit, eos ob gravissimum quoddam Crimen a Deo puniri, & rejectos esse; atqui hoc Crimen aliud non est, q am occisio MESSIÆ. Ergo jam venit. *Min. prob.* Non potest aliud assignari; Nam a Tempore CHRISTI in nullam inciderunt Idololatriam, ob quam olim sæpius fuerant graviſſime puniti, & in Servitutem traditi: postquam autem Pœnitentiam egerant, & Precibus ad Deum conversi fuerant, iterum eos in pristinum Statum restituit. Nunc vero, quamvis Deum continuo Orationibus pulsent, & tamen non exaudiuntur; sequitur, tale ab ipsis admissum fuisse Crimen, quod perpetuam Rejectionem fuerat promeritum, hocque aliud esse non potest, quam Deicidium.

142 OBJIC. I. MESSIAS a Prophetis prædicitur, quod sit futurus Gentium Victor, & erecturus ampliſſimum Regnum, Judæis summam Pacem, Felicitatem, ac Gloriam allaturus. Sic dicitur Ezech. 38. 39. quod sit debellaturus GOG, & MAGOG, & cap. 40 quod sit instauraturus Jerusalem & Templum. Atqui hæc Tempora nondum viximus. Ergo nondum venit MESSIAS.

RESP.

Resp. Ista Vaticinia intelligi debere in Sensu spirituali. Debellavit Christus Idololatriam; Pacem attulit Animabus cum Deo reconciliatis; Instauravit Jerusalem cœlestem, & Templum mysticum.

Objic. II. Messiam præcedere debet Elias, ut prædicitur Malachiæ IV. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat Dies Domini magnus & horribilis.* Atqui Elias nondum venit. *Ergo.* 143

Resp. *Dist.* Elias præcedere debet Messiam, in secundo Adventu, ante universalem resurrectionem & Judicium. *Conc.* In primo Adventu. *Subdist.* Elias, in Persona. *Neg.* In Spiritu. *Conc.* Jam autem Joannes Baptista præcessit Christum *in Spiritu & Virtute Eliæ*, ut dicitur Luc. I. 17.

Objic. III. Messias venire debet in Fine Temporum Isai. II. 2. Atqui Tempus Christi non fuit Finis Temporum & *novissimi Dies.* Ergo. 144

Resp. *Dist.* In Fine Temporum, id est, eo tempore, qui fuit Finis & Terminus per priora tempora intentus & præfiguratus. *Conc.* In Termino, ita ut tunc sit Tempus ultimum: *neg.* Imo Tempus a Christo usque ad Finem Mundi potest dici *novissimum*, quoad Statum; quia non succedet alius Status temporalis, sed sola

Ætern'tas. Varii fuerunt Hominum Status & tempora. I. Status Innocentiæ in Paradiſo. II. Status Legis Naturæ, usque ad MOYSEN. III. Status Legis ſcriptæ, usque ad CHRISTUM. IV. Status Gratiæ a Chriſto usque ad Finem Mundi: cui ſuccedet Æternitas, ſeu Status Gloriæ.

145 OBJIC. IV. Tempore MESSIÆ Lux Solis ſeptuplo debet eſſe quam alias major, & Lux Lunæ inſtar Lucis Solis. Iſai. XXX. 25. Hoc nunquam fuit obſervatum.

RESP. Hoc non poteſt intelligi ad Litteram; nec enim Oculus tantam Lucem Solis ferre poſſet: & ſi tantum foret Lumen Lunæ, nulla eſſet differentia inter Diem & Noctem; ſed metaphorice, de Luce Doctrinæ Evangelicæ.

146 OBJIC. V. Tempore MESSIÆ Mons Domini eſt exaltandus ſuper omnes colles. Iſai. II. 2. Quod nondum contigit.

RESP. *Diſt.* Mons ſumtus materialiter. *Neg.* Myſtice, pro Eccleſia CHRISTI viſibili, & ubique diffuſa. *Conc.*

147 OBJIC. VI. Etſi adfuiſſet Tempus Adventus MESSIÆ, ille tamen ob Scelera Judæorum fuit diutius dilatus; Promiſſiones enim Dei ſunt *conditionatæ*, quia dicitur Iſaiæ LX. 22. *Ego Dominus in Tempore ejus ſubito faciam iſtud.* Sicut ergo Tempus potuit accelerari; (LXX. *Hebdoma-*

des

des abbreviatæ ſunt) ita etiam potuit diutius differri.

RESP. Nego *ant.* Quamquam enim nonnullæ Promiſſiones Dei ſint *conditionatæ*, non tamen omnes, nec iſta de futuro MESSIA. Septuaginta enim Hebdomades a Deo definitæ, DANIELI diſerte fuerunt prædictæ, & pro Termino poſitæ. Dein, cum Judæi CHRISTI Occiſionem inter Crimina non numerent: quodnam eſt aliud Scelus, quod MESSIÆ retardationem mereatur? Non Idololatria; hujus enim rei non ſunt. Dicent, Violationem Sabbathi: ſed hoc ſecundum ſuas Traditiones facile obſervare poſſunt.

RESOLUTIO III. Hæc Signa, & Prophe-148
tarum oracula, in CHRISTI Perſona adimpleta fuerunt.

PROB. I. MESSIAS prædicitur a Prophetis, ut verus & eſſentialis Deus; vocatur enim diſertis Verbis *Jehova*, *Emanuel.* Atqui CHRISTUS fuit verus Deus, talem enim ſe evidentibus Miraculis demonſtravit. *Ergo* &c.

II. MESSIAS debuit naſci *ex Virgine*, juxta Vaticinium Iſaiæ VII. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*, nobiscum Deus: Atqui CHRISTUS fuit natus ex Virgine; id enim Apoſtoli conſtanter aſſeruerunt, nec a Judæis negatum fuit. Si autem, ut recentiores Judæi poſt CELSUM Philoſophum genti-

gentilem calumniantur, fuiſſet natus ex Adulterio; tunc illud CHRISTI Tempore vel fuit cognitum, vel incognitum? ſi cognitum; cur nunquam hoc Vitium CHRISTO objecerunt Phariſæi, omnem Criminationis anſam quæritantes? cur non lapidata MARIA, quam ſciebant ejus Matrem? Si autem tunc non fuit cognitum: unde demum id ſciunt Judæi hodierni?

III. CHRISTUS debuit naſci ex *Semine David*. Atqui JESUS fuit natus ex Semine David, ut demonſtrat Mathæus, texens Genealogiam CHRISTI. *Ergo* &c.

IV. MESSIAS debuit eſſe *magnus Propheta*, qui adduceret *Juſtitiam ſempiternam*, fundaret Eccleſiam toto orbe diffuſam: qui & Miracula patraret plurima: Atqui hæc omnia præſtitit JESUS. *Ergo*.

V. MESSIAS, quamvis futurus eſſet innocentiſſimus, prædicitur tamen, quod ſit *cum ſceleratis reputandus*, atque occidendus: quod utique contigit CHRISTO, quamquam nullius criminis potuerit convinci.

VI. CHRISTUS debuerat a mortuis reſurgere. Atqui Jeſus tertia Die reſurrexit, quod ne Judæi quidem negare poterant: cum dormientes teſtes ſubornaverint, qui dicerent, Diſcipulos eum e Sepulchro ſuſtuliſſe.

VII. Prædixerunt Prophetæ paſſim, novum a Meſſia Fœdus ſanciendum fore,

&

& e Jeruſalem exituram Doctrinam novam ad omnes Gentes pertingentem. Atqui hoc impletum fuit in Jesu. *Ergo.*

VIII. Poſt Messiæ Adventum deſtrui debebat Templum, aboleri Sacrificia, everti Civitas Jeroſolyma: atqui hæc contigere anno circiter LXX. poſt Christum natum. *Ergo* &c.

§. V.

Adventus Meſſiæ in Perſona Chriſti, adverſus Gentiles demonſtratur.

Prob. I. Omnibus illis Argumentis, qui-149
bus Religio Chriſtiana Paganis evidenter demonſtratur credibilis; His enim ipſa quoque Chriſti Incarnatio & Divinitas oſtenditur; cum Religio Chriſtiana huic Articulo, ceu Fundamento ejusdem, ſuperſtructa ſit.

Prob. II. Specialiter. Ille verus eſt Deus 150
& promiſſus Salvator, cui competunt omnia Signa, divinitus de eo prædicta: atqui Christo conveniunt. *Ergo. Maj.* certa eſt; cum enim Eventus futuri contingentes nonniſi a Deo prædici queant: Deus autem ob ſuam Veracitatem fallere aut decipi nequeat; ſequitur, Signa a Deo prædicta, infallibiliter vera eſſe, illumque

eſſe

esse MESSIAM, cui Signa illa conveniunt. *Min. prob.* Quod Vaticinia illa & Signa Christo conveniant, patet ex §vo præced. Quod autem illa ipsa Vaticinia divinitus inspirata, nec Hominum otiosorum figmenta fuerint, inde probatur, quia Vaticinia illa sunt CHRISTO vetustiora, nec dici possunt a Christianis conficta; cum illa ipsa acceperint a Judæis, Hostibus nostræ Religionis infensissimis: qui utique mox manifestæ Fraudis Christianos arguissent, si vetus Testamentum corrumpere, aut nova Vaticinia confingere pro CHRISTO ausi fuissent, quod nusquam contigit. Cumque Gentiles suis Authoribus profanis ob solam Antiquitatem & Populorum consensum, Veritatem historicam tribuant; eam utique libris sacris V. T. denegare non poterunt. Atqui admissa semel eorum Fide & Veritate historica, necessario sequitur, illas Prædictiones, quæ nonnisi a Deo fieri possunt, Divinæ esse Authoritatis; cum vel ipsi Pagani nonnisi a suis Diis futura prædici posse crediderint, atque Idolis Responsa dantibus propterea divinos Honores contulerint.

151 PROB. III. Miracula in confirmationem alicujus Asserti patrata, evidenter demonstrant illius Veritatem: atqui CHRISTUS & Apostoli assertam suam Divinitatem Miraculis confirmarunt. Ergo evidens est, Christum esse Deum. *Maj.* constat; cum enim

enim *Miraculum* ſit opus, omnes Naturæ creatæ Vires excedens, nec niſi per Deum fieri poſſit: Deus autem ad firmandam Falſitatem, cooperari nequeat, quia & contra ſuam Veracitatem & Bonitatem ageret, inducendo Homines in errorem; ſequitur, Aſſertum Miraculis confirmatum, neceſſario verum eſſe. *Min. prob.* Opera Christi omnes Naturæ creatæ Vires excedentia, ut eſt converſio Aquæ in Vinum, multiplicatio Panum, Ejectio Dæmonum, Morborum momentanea curatio, Mortuorum reſuſcitatio, Ipſius a mortuis Reſurrectio: item illa, quæ patrata fuerunt ab ipſis Apoſtolis: ut Claudi Reſtitutio, Locutio peregrinarum Linguarum, quas nunquam didicerant &c. & vera Miracula ſunt, utpote Vires creatas tranſcendentia, & vere patrata ſunt; nam Scriptores, qui illa commemorant, ſunt Teſtes a Viſu, quibus Fides, ſaltem hiſtorica, negari nequit; & illorum pleraque facta ſunt coram infinita Hominum Multitudine, non in Angulis: Et nec ab ipſis Judæis in Dubium vocari potuerunt: quamvis illa Dæmonum Præſtigiis adſcriberent. Sed perperam; cum enim patrata fuerint ad deſtruendam Idololatriam, & evertendum Regnum Diaboli: quomodo ille ad ſui ipſius deſtructionem concurrere voluiſſet? Dein illa omnia ipſius etiam Dæmonis ſuperant Poteſtatem, cum ei Vires nonniſi naturales competant. Atque hoc

Argu-

Argumento ipſe CHRISTUS uſus fuit Luc. XI. „ Quidam autem ex eis dixerunt: „ in Beelzebub Principe Dæmoniorum eji- „ cit Dæmonia. Ipſe autem ut vidit co- „ gitationes eorum, dixit eis: Omne Re- „ gnum in ſe ipſo diviſum deſolabitur, & „ domus ſupra domum cadet. Si autem „ & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt: quo- „ modo ſtabit Regnum ejus? Quia dici- „ tis, in Beelzebub me ejicere Dæmonia. „ Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæ- „ monia: Filii veſtri in quo ejiciunt? „ Ideo ipſi Judices veſtri erunt. „ Et Joan. X. 37. „ Si non facio Opera Patris „ mei: nolite credere mihi. Si autem fa- „ cio, & ſi mihi non vultis credere; „ Operibus credite. „

152 PROB. IV. Chriſtiana Religio, ſeu, Doctrina de CHRISTO *Deo*, tam ſubito, & tam late propagari non potuit modo humano & naturali. Ergo ſtupenda iſta Propagatio, fuit Opus divinum. Cum autem Dei Sapientiæ, Bonitati, & Veracitati repugnet, propagare Errorem; ſequitur, Religionem Chriſtianam, ejusque Dogmata, vera eſſe. *Ant. prob.* Ut humana quædam, eaque nova propagetur Doctrina, requiritur, 1. Authoris celebritas 2. Diſcipulorum atque Fautorum Potentia, Ingenium, Eloquentia. 3. Eorum Artes, & Induſtria. 4. Doctrinæ quædam alliciens Amænitas & veriſimilitudo. 5. Cum Ho-

minum

minum Moribus convenientia. 6. Honores & Emolumenta, ſequacibus inde enaſcentia. 7. Denique, Diuturnitas Temporis. Atqui alia omnia cernuntur in Religionis chriſtianæ Propagatione. Nam *Primo* Author illius CHRISTUS, erat ad ſpeciem vilis, contemtus, imo turpiſſimo Mortis genere interemtus, nempe crucifixus, Judæis Scandalum, Gentibus Stultitia. 2. Apoſtoli & pauci erant & ſimplices, rudes, nullis Scientiis, nullis Armis inſtructi, nulla Regum aut Gentium Authoritate & Favore ſuffulti, ubique fere exoſi, ad Necem quæſiti. 3. Nullis utebantur Actibus & Induſtria ad convincendum, ſed nudam prædicabant Veritatem, ſimplicem poſtulabant Aſſenſum Fidei. 4. Nihil erat in Doctrina CHRISTI, quod Homines carnales allicere poterat, ſed Mortificatio carnis & Senſuum, contemptus Honorum, Divitiarum, propriæ Voluntatis abnegatio, Mors etiam ipſa pro confeſſione Doctrinæ ad ſpeciem rationi contrariæ ſubeunda, auſtera omnia, oppido difficilem reddere debuiſſent Religionis hujus Profeſſionem. 5. Erat contraria omnium Gentium Religioni, Moribus, Ritibus, patriis Legibus, Parentum Authoritati civili 6. Nulla inde ſperari poterant Emolumenta temporalia, ſed potius Rerum omnium, Fortunarum, Honorum, ipſiusque Vitæ Jactura. 7. Haud longo opus erat Tempore: imo primis

ſtatim poſt Mortem Chriſti annis, multa Hominum Millia e diverſis Gentibus, ex omni conditione, Sexu, Ætate hanc Religionem amplexa fuerunt: quin intra triginta Annos in omnes Imperii Romani Provincias, & ad Judæos, usque Chriſtiana Religio ſeſe diffudit.

153 Prob. V. Argumentum quoque invictum præbet tot Millium Martyrum invicta inter exquiſita Tormenta conſtantia, imo & Jucunda Voluptas, gaudentium, *quoniam digni habiti ſunt pro Nomine Jeſu contumeliam pati* & mortem ſubire. Quo magis ſæviebat Perſecutio, eo magis creſcebat credentium Numerus; ut propterea recte Tertullianus ſcripſerit, *Sanguinem Martyrum, Semen eſſe Chriſtianorum.* Omitto Defectum Oraculorum & Silentium Dæmonum, non amplius poſt Chriſti Mortem ex Idolis Reſponſa dantium: carmina Sybillarum, illuſtria Josephi Judæi de Christi Divinitate Teſtimonia; quoniam iſthæc Momenta, utpote a pluribus in Dubium vocata, & longiore Examine indigent, & propter ipſam Incertitudinem nihil ſolidi contra anti-Chriſtianos evincunt.

154 Objic. I. Miracula a Paganis quoque & Hæreticis patrata fuerunt. Ergo ex illis non demonſtratur Religionis Chriſtianæ Veritas. *Ant. prob.* de Paganis. Quando Moyses coram Pharaone vera patravit

vit Miracula, ad divinam ſuam Miſſionem confirmanda; Magi Incantatores *fecerunt ſimiliter*, ut legitur Exodi VII. 11. Ergo & ipſi vera patrarunt Miracula. *Ant. prob.* II. SUETONIUS refert de VESPASIANO Imperatore, quod Lumen reſtituerit Cæco, & Claudum ſanaverit. *Ant. prob.* III. PHILOSTRATUS refert, quod APOLLONIUS Philoſophus & Magus inſignis, ſtupenda ediderit Miracula primo Eccleſiæ ſæculo. *Ant. prob.* IV. Antichriſtus in Fine Mundi eique adhærentes, maxima patrabunt Miracula, ut CHRISTUS ipſe prædixit Marci XIII. 22. *Exurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.*

Ant. prob. de Hæreticis. I. Donatiſtæ 155
in confirmationem ſui Erroris etiam allegabant Miracula a ſe patrata, quibus reſpondit AUGUSTINUS lib. de Unit. Eccleſ. cap. 19. talia permittente Deo etiam ab Hæreticis fieri poſſe. II. SOCRATES H. E. VII. 17. narrat Miraculum, a PAULO Novatianorum Epiſcopo patratum. Cum enim Judæus quidam lucri cauſa jam ſæpius baptizatus, eundem PAULUM acceſſiſſet iterum Baptismum flagitans, hicque ſtato Tempore illi conferre vellet: Fons Baptismi ſemel, atque iterum, ſubito exaruit.

RESP. Nego *antec.* de utrisque. Quan- 156
tum ad *Paganos*: dico ad I. Magos Pha-

raonis vera haud patraſſe Miracula, ſed aut veros Serpentes ſecum clam attuliſſe, & Virgæ ſubito ſubtractæ ſubſtituiſſe, quod in Arte præſtigiatoria (Taſchenſpielerey) non infrequens eſt, aut Ope Dæmonis, Aſpectantium Senſibus illudentis, quoad apparentiam feciſſe ſimiliter, aut ab ipſo Dæmone, remotis ſubito Virgis, veros Serpentes citiſſimo Motu aliunde allatos, fuiſſe ſubſtitutos. Dicitur enim Exod. VII. 11. *Et fecerunt* etiam ipſi (Magi) *per incantationes ægyptiacas: &* ARCANA *quædam ſimiliter.* Imo non poterant Omnia Moyſis Facta imitari, non producere Sciniphes. Exod. VIII. 18. nec alia, quæ deinceps narrantur ibidem.

Ad II. Aut SUETONIUS in gratiam VESPASIANI illud confinxit, aut virtus quædam medica, occulta quidem, ſed tamen naturalis, fuit adhibita. Ad III. APPOLLONII Mira, meras Dæmonum Præſtigias & magicas Faſcinationes, non vera miracula, vim Dæmonis ſuperantia fuiſſe, SS. PP. paſſim affirmant, & data opera contra PORPHYRIUM defendunt. Ad IV. Mira, quæ patrabit Antichriſtus, multis quidem vera videbuntur, ſed non erunt Miracula; prædicit enim de eo PAULUS 2. ad Theſſal. II. *Tunc revelabitur ille iniquus - - - - cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, iis, qui pereunt.*

RESP.

RESP. Ad Prob. de Hæreticis: cum S. 157
AUGUSTINO: *Aut falluntur, aut fallunt* Hæretici, Miracula venditantes. Potest quidem Deus etiam per Hæreticos patrare Miracula ad confirmationem Catholicæ Veritatis, Gentilibus faciendam, uti contigit occasione Judæi, sæpius baptizari volentis, ut Deus ostenderet Dogma Catholicum de valore Baptismi, etiam ab hæreticis collati, non iterandi: Nunquam autem ostendi, nec fieri potest, ut Miraculum a Deo patretur, ad confirmandum errorem, ad quem ipso Facto Deus Homines induceret, quod ejus Veracitati repugnat.

OBJIC. II. Mahumetana, & Lutherana 158
Religio, etiam intra breve Temporis Spatium longe lateque fuit propagata: nec tamen inde inferri potest, earum Veritas, & Divina revelatio: ergo neque ex subita Dilatatione demonstrari potest Religionis christianæ Veritas.

RESP. Nego *conseq.* Disparitas est; quia utraque Religio erat carni blandiens, & nacta est Principes sectatores, qui suo Favore & Potentia, absque ullo miraculo, eam adoptarunt, & invitis quoque obtruserunt. Econtra christiana Religio tam austera & carni adversa, ab inermibus & simplicibus Piscatoribus, contra omnes Mundi & Inferni vires, inter Tormenta & Persecutiones diuturnas, in tan-

tam excrevit Latitudinem; quod humano consilio minime fieri potuit.

CAPUT III.

De Causis Incarnationis.

159 Quatuor esse causarum genera, *materiale*, *formale*, *finale*, & *efficientem*, ex Philosophia constat. In Incarnatione autem materialis & formalis causa proprie non datur: improprie tamen causa *materialis* dici potest utraque Christi Natura: *formalis* autem utriusque Unio hypostatica: causa finalis est illud Motivum, seu Finis, quo Deus movebatur ad Incarnationem decernendam. *Efficiens*, est tota sanctissima Trinitas; cum Incarnatio sit Opus ad extra, opera autem ad extra toti SS. Trinitati propria sint, ad *Efficientem* reducitur causa *meritoria*. Itaque §. I. de causa finali: §. II. de meritoria, breviter pertractandum est.

§. I.

De Causa finali, seu Motivo Incarnationis.

160 Quod Deus defacto venerit in carne humana, ut nos a Peccato liberaret,

e Dæmonis Servitute eriperet, & Jus ad Regnum cœleſte, Peccato ADAMI amiſſum, reſtitueret, omnes fere ſacræ Scripturæ paginæ clamant, & SS. PP. atque Theologi conſentiunt, contra Pelagianos, Peccatum originale negantes, & contra PETRUM Abaelardum, qui Hominem nunquam fuiſſe Diaboli Mancipium aſſeruit. Igitur ſi Adamus non peccaſſet, nec Genus humanum in Maſſam Perditionis ſecum abduxiſſet, utrum CHRISTUS tamen venturus fuiſſet in carne impaſſibili, ut Mundi Ornamentum, & Hominum Doctor, non ut Redemtor? quod poſt RUPERTUM Tuitienſem, ALBERTUM magnum, SCOTUM, & SUAREZIUM volunt Recentiores, diſputatur. Ubi notandum, de eo litem nullam eſſe, an CHRISTUS ADAMO non peccante, vi alterius Decreti venire potuerit? quod indubium eſt: ſed, utrum vi præſentis Decreti, & in hac Providentia, Hominis Redemptio fuerit Motivum adæquatum & totale Incarnationis, adeo, ut ADAMO non peccante CHRISTUS neque in carne impaſſibili fuiſſet adventurus?

RESOLUTIO. CHRISTUS Adamo non pec- 151
cante, in hac Providentia non fuiſſet incarnandus. Eſt communis SS. PP.

PROB. Eorum, quæ pendent a libera Voluntate Dei, ut eſt Incarnatio, Operis cujusdam non alia poteſt dari Ratio, quam per S. Scripturam revelata, & per Patres

tradita. Atqui S. Scriptura & Patres, Incarnationis CHRISTI non aliam assignant causam, quam Hominis lapsi Redemtionem: ergo hæc sola fuit causa motiva Incarnationis, consequenter ADAMO non peccante, Christus non fuisset incarnatus. *Min. prob.* Sic ipse CHRISTUS, ut infinitos alios Textus taceam, ait Joan. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; Non enim misit Deus filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* SS. Patres superfluum foret adducere; cum usque ad RUPERTUM Tuitiensem, nemo unus Adversariis faveat: ipsa etiam Ecclesia in Symbolo profiteatur: *Qui propter nos Homines, & propter nostram Salutem descendit de cælo, & incarnatus est.*

162 OBJIC. I. Multæ aliæ causæ, præter Redemtionem, assignantur in S. Scriptura: cur CHRISTUS venerit, nempe ut esset *Magister* Verbo & Exemplo, *Pastor*, *Legislator*, Ecclesiæ & animarum *Sponsus*. Ergo etiamsi non fuisset Mundus redimendus, venisset tamen alio Fine.

RESP. *Dist. ant.* Assignantur aliæ causæ *primariæ*. Nego. *Secundariæ*, a prima dependentes, aut cum ea connexæ. *Conc.* Causa *primaria* & *unica* motiva fuit Redemptio: Supposito autem, quod Christus voluerit venire ut *Redemptor*, voluit simul redemptos docere, pascere, atque desponsari

ſponſari cum Eccleſia, Animaque fideli, quam acquiſiverat Sanguine ſuo: quæ tamen omnia non contigiſſent, niſi ad redimendum veniſſet, quamvis contingere potuiſſent ex alia Providentia, de qua non agitur.

163 Objic. II. Christus a S. Scriptura nobis proponitur ut *Primogenitus omnis creaturæ*, Coloſſ. I. 15. & Finis Univerſi: ergo fuit decretus ante Mundi conditionem, & Peccati prævisionem.

Resp. *Diſt. ant.* Christus, ut Filius Dei naturalis, & Sapientia Patris, proponitur ut Primogenitus &c. *Conc.* Ut incarnatus. *Neg.* Textus illi exponi debent de Sapientia Divina, ejusque æterna ex Patre Origine. Dicitur etiam Finis rerum omnium, quia propter ſemetipſum & ſui Gloriam omnia operatus eſt Deus. Poſtquam autem prævisum fuit Peccatum, & decreta Redemtio; tunc ad Christum, etiam ut Hominem, omnia ordinata fuerunt: ſed hæc ſunt conſequentia ad Peccatum & Redemptionem.

164 Objic. III. Chriſtus ponitur in ſacra Scriptura ut *Exemplar* & Caput omnium Prædeſtinatorum, conſequenter etiam *Angelorum*: Ergo fuit decretus ante prævisum Peccatum, & absque reſpectu ad illud.

Resp. *Dist.* Exemplar Prædestinatorum, *Hominum. Conc.* Omnium, tam *Angelorum*, quam Hominum. *Neg.* Angeli boni fuerunt prædestinati absque ullo respectu ad Christum incarnandum, tunc nondum prævisum, seu decretum; hinc etiam qua Homo non est Caput Angelorum, eo Sensu, quod a Christo ceu capite in Angelos Influxus Gratiæ dimanasset; quamvis sit caput omnium, Dignitate & Authoritate.

165 Objic. IV. Plures Patres asserunt, Christum fuisse prævisum & decretum ante Adamum. Ergo etiam eo non peccante veniisset.

Resp. SS. Patres intelligendi sunt hoc sensu: antequam fuisset Adam creatus, & peccasset *in executione*, jam fuit *in intentione* prævisus & decretus Christus, redempturus Adamum post prævisum ejus lapsum. Non autem Christus prævisus & decretus fuit ante prævisum & permissum *in intentione* Adæ lapsum.

166 Objic. V. Si omnem Gradum Gloriæ, qua nunc in cœlis fruitur Adamus, Christo debet, tunc Gratia Adami innocentis jam fluxerat a Christo: & si Gratia innocentis profluxit a Christo; tunc Christus fuit prædestinatus ante Adæ lapsum, consequenter etiam eo non peccante, tamen veniisset. Atqui omnem Gradum Glo-

Gloriæ ADAMUS Christo debet: *Ergo* &c. *Maj. prob.* ADAMUS ante lapsum haud dubie habuit quædam Merita, utpote creatus in Gratia, quæ quamvis fuerit peccato mortificata, per Pœnitentiam tarnen revixerunt, & iis redivivis nunc proprius respondet Gradus Gloriæ: atqui sine Gratia CHRISTI non datur Meritum. Ergo Gratia ADAMI innocentis fluxit a CHRISTO

RESP. Supposito, quod Merita Status Innocentiæ reviviscant, quod non nulli negant. *Dist. min.* Omnem Gradum Gloriæ Adamus debet Christo, Redemtori, qui concessit lapso Pœnitentiam, vi cujus reviviscunt Merita innocentis per lapsum mortificata. *Conc.* Debet Christo, non ut Redemtori, sed præcise ut incarnando. *Neg.* Merita, quæ habuit Adamus in Statu Innocentiæ, non fluxerant a gratia *Redemtoris* prævisi, sed a gratia *Creatoris*: quemadmodum Gratia & Gloria Angelorum: postquam autem peccaverat, & Merita amiserat; ut illa postea reviviscerent, solius Gratiæ CHRISTI erat, sine qua Meritis illis Præmium non fuisset retributum.

§. II.

§. II.

De Cauſa meritoria Incarnationis.

167 *Meritum*, aliud eſt de *condigno*, cui Præmium debetur ex Juſtitia, præcipue ob Promiſſionem præmiantis, & ob ipſam Operis cum Præmio proportionem & dignitatem: quamvis ipſa Dignitas Operis a præmiante proveniat. Sic Homo in Gratia ſanctificante conſtitutus, meretur de condigno Vitam æternam, quamvis Gratia ſanctificans, ex qua Opera ſuam condignitatem & proportionem cum Præmio habent, ab ipſo Deo Homini gratis concedatur. Aliud eſt *de congruo*, cui non ex Juſtitia, ſed ex quadam Decentia Merces rependitur. Hoc iterum vel eſt *ſtricte*, vel *late* tale. Meritum *de congruo ſtricte* dictum eſt, quod ſive ex Natura ſua, ſive ex operantis Intentione, ordinatur ad Præmium, ex Decentia tribuendum. *Late tale*, quod neutro modo ordinatur ad Præmium, ſed aliquam tamen habet cum ipſo convenientiam.

168 Incarnatio conſiderari poteſt, vel quoad Subſtantiam, nempe hypoſtaticam Naturæ divinæ cum humana Unionem, vel quoad Circumſtantias particulares, v. g. Temporis. Quæritur jam, an, & quomodo

CHRI-

CHRISTUS, B. V. MARIA & Patriarchæ V. T. Incarnationem meruerint?

RESOLUTIO I. Humana CHRISTI Natura 169
nullo modo meruit ſuam cum divina Unionem hypoſtaticam: quamvis *de condigno* meruerit quædam ejus conſecutaria.

PROB. I. Pars. Incarnatio in S. Scriptura tanquam Opus gratuitum ſolius Miſericordiæ deſcribitur, non tanquam Præmium & Merces Operis. Ergo.

II. Si CHRISTUS Incarnationem meruit; 170
tunc vel per Opera illam ſubſequentia, vel per Opera antecedentia? Neutrum dici poteſt. Non per ſubſequentia; quia Principium Meriti, non cadit ſub Meritum: ſecus idem eſſet ſui ipſius cauſa; atqui Unio hypoſtatica fuit Principium omnis in Chriſto Meriti. *Ergo*. Dein: Rei præteritæ & jam habitæ, non datur Meritum, ſed abſentis & futuræ; Opera enim meritoria neceſſario ſupponunt exiſtere illum, unde opera proveniunt. Neque per Opera antecedentia; Humana enim CHRISTI Natura ante ſui cum Verbo Unionem, non exſtitit; ut de Fide certum eſt contra NESTORIUM & patet ex eo; quod nunquam habuerit propriam Subſiſtentiam. Ergo antequam incepit ſubſiſtere in Verbo, non exſtitit; *non Entis* autem, *non ſunt Qualitates*: ergo nec

Opus

Opus meritorium ; quia *operari* , *ſequitur ad eſſe.*

171 III. Hanc quoque Doctrinam diſertiſſimis Verbis tradit S. Augustinus Lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. XV. „ Eſt etiam „ præclariſſimum Lumen Prædeſtinationis „ & Gratiæ , ipſe Salvator , ipſe Mediator Dei & Hominum , Homo Chriſtus „ Jeſus : qui ut hoc eſſet , quibus tandem „ ſuis vel Operum , vel Fidei præcedentibus Meritis Natura humana , quæ in „ illo eſt , comparavit ? Reſpondeatur „ quæſo ; ille Homo , ut a Verbo Patri „ coæterno in unitatem Perſonæ aſſumptus, „ Filius Dei unigenitus eſſet , unde hoc „ meruerit ? Quod ejus Bonum qualecunque præceſſit ? Quid egit ante ? Quid „ credidit ? Quid petivit , ut ad hanc „ ineffabilem Excellentiam perveniret ? „ Nonne faciente ac ſuſcipiente Verbo , „ ipſe Homo , ex quo eſſe cœpit , Filius „ Dei unicus eſſe cœpit. „

172 Prob. II. Pars. Christus meruit tantam gloriam ; *Hæc oportuit Chriſtum pati , & intrare in Gloriam ſuam.* Luc. XX 26. Meruit divinos ubique Honores , gloriam Nominis ſui : *Factus eſt obediens . . . Propter quod & Deus exaltavit illum , & dedit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur.* Philipp. II. 8. ſeq. Meruit Eccleſiam Sponſam ,

ſam, *quam acquiſivit Sanguine ſuo*, Act. XX. 28. ejusque Dilatationem, & Perpetuitatem.

OBJIC. I. De CHRISTO Homine dicitur :173 Pſalm. XLIV. 8. *Dilexiſti Juſtitiam, & odiſti Iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Per quam Unctionem intelligitur Unio divinæ cum humana Natura: ergo humana CHRISTI Natura per Amorem Juſtitiæ meruit uniri divinæ, ſicque meruit Incarnationem.

RESP. to *Propterea*, hic non ſignificat *quia*; ſed *ut*, ſeu, in hunc Finem: ut adeo Senſus ſit: Ideo te Deus unxit, ſeu, humanam Naturam Divinæ conjunxit, *ut* diligeres Juſtitiam; non *quia* antecedenter dilexiſti, nondum exiſtens.

OBJIC. II. Apocalip. V. 12. dicitur :174 *Dignus eſt agnus*, ſeu, CHRISTUS Homo, *qui occiſus eſt, accipere Divinitatem* &c. Ergo meruit humana Natura, ut uniretur divinæ.

RESP. *Diſt.* Dignus eſt accipere Divinitatem: id eſt, Divinitatis confeſſionem, ſeu, ut Chriſtus ubique dicatur Deus, & Laudes Deo debitas recipiat. *Conc.* Dignus eſt accipere Divinitatem, quaſi eam ante non habuiſſet. *Neg.* Eſt enim ibi Sermo de CHRISTO jam incarnato, utpote occiſo, qui jam fuit Deus Homo.

RESO-

175 RESOLUTIO II. Sancti vet. Teſt. Patriarchæ, Incarnationem neque quoad Subſtantiam, neque quoad Circumſtantias *de condigno*: ſed has *de congruo* meruerunt.

PROB. I. Pars. Principium omnis Meriti, eſt ipſa Incarnatio; a Meritis enim CHRISTI, ut jam prævisi & decreti, omnis in Patriarchas fuit derivata Gratia, ſine qua nullum datur Meritum: atqui Principium Meriti non cadit ſub Meritum. Ergo.

176 PROB. II. Pars. Ut opus ſit meritorium *de condigno*, requiritur ex parte Dei Promiſſio & quoddam Pactum: atqui de Incarnationis Circumſtantiis nulla ex parte Dei exſtat Promiſſio. *Ergo* &c.

177 PROB. III. Pars. Patriarchæ & ſancti V. T. Homines, vehementer deſiderabant Incarnationem: atqui congruum erat, ut Deus eos exaudiret: ergo Circumſtantias meruerunt *de congruo*. Sic: ABRAHAM ſua Fide & Obedientia meruit, ut ex Stirpe ſua naſceretur MESSIAS, quod conſtat ex Verbis Dei Gen. XXII. 18. *Benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ, quia obediiſti voci meæ* &c.

178 RESOLUTIO III. B. V. MARIA meruit quidem eum Sanctitatis gradum, quo poſito electa eſt in Matrem Dei: ipſam tamen Maternitatem Dei, nec *de condigno*, nec

de

de congruo ſtricte, ſed *late* ſumpto, meruit.

PROB. I. Pars. Opera B. V. MARIÆ habuerunt omnia, ad *condigne* promerendum illum Sanctitatis Gradum requiſita; fuerunt enim facta in Gratia ſanctificante, ſicque habebant condignitatem ad illud Augmentum Sanctitatis: erant facta libere: & aderat Promiſſio Dei. *Ergo.*

PROB. II. Pars. Opera B. V. MARIÆ ut-179
cunque excellentiſſima, non habebant tamen *condignitatem* cum Maternitate Dei: nec aderat ex parte Dei Promiſſio; cum illa non tantum non exſpectaverit Maternitatem Dei, ſed potius in ejus nuncio fuit turbata. *Ergo.*

PROB. III. Pars. Ad Meritum *de congruo*180
ſtricte ſumptum, requiritur, ut Opera vel ex Natura ſua, vel ex Intentione agentis ad Præmium illud ordinentur: atqui Opera B. V. MARIÆ nec ex ſua Natura ordinabantur ad Maternitatem Dei; erant enim in eodem cum reliquis Hominum Operibus Ordine, etſi perfectiſſimo; nec ex ipſius B. V. Intentione, cujus profunda Humilitas non patiebatur, ut ad tantam Dignitatem aſpiraret.

PROB. IV. Pars. SS. Patres paſſim affir-184
mant, quod B. V. MARIA ſua Puritate & Humilitate meruerit fieri Mater Dei: imo

ipſa ait in ſuo cantico : *Reſpexit Humilitatem Ancillæ ſuæ* ; quod cum intelligi non poſſit de Merito *condigno* , aut *congruo ſtricte* dicto , exponi debet de *congruo late* accepto. Ratio eſt. Cum Opera B. V. fuerint excellentiora & puriora ceterorum Hominum Operibus ; congruum erat , ut eam præ reliquis in Matrem ſibi eligeret Deus. *Ergo* &c.

182 Objic. Illud B. V. non meruit , quod Deus ab æterno ante præviſa ejus Merita dare decreverat : atqui Maternitatem illi dare decreverat ab æterno , ante ulla præviſa ejus Merita ; quia ad eam *gratis* fuit prædeſtinata. *Ergo.*

Resp. Nego *maj.* vel *diſt.* Illud non meruit , in *Intentione* ſpectatum. *Conc.* In *Executione* conſideratum. *Neg.* Quamvis enim etiam quisque Electus , *in Intentione* prædeſtinetur ad Gloriam ante ulla præviſa Merita : in *Executione* tamen nullus Adultus rationis compos , eam conſequitur absque Meritis. Sic etiam B. V. meruit *in Executione* ſuam Maternitatem , ad quam *in Intentione* gratis prædeſtinata fuerat.

CAPUT

CAPUT IV.

De una Christi Persona.

Duas in Christo personas primus con- 183
finxit NESTORIUS Patriarcha CP. docens, inter Naturam humanam & Verbum divinum non interceſſiſſe Unionem phyſicam & *ſubſtantialem*, ſed tantum *moralem*, conſiſtentem in conſenſu Affectuum, ita ut Verbum in Christo Homine velut in Templo habitaverit & Humanitate velut Inſtrumento fuerit uſum. Hinc duos diſtinguebat Filios: unum, Dei naturalem æternum: alterum adoptivum, & B. V. MARIAM non poſſe dici *Deiparam*, ſed ſolum *Chriſtiparam*, ut quæ non Deum, ſed Hominem genuerit: humanam CHRISTI Naturam jam ſubſiſtentem, a Verbo aſſumptam, atque Chriſtum Hominem ſuis bonis operibus fuiſſe promeritum, ut a Verbo in Unionem moralem ac habitationem fuerit aſſumptus. Primo ergo §. adverſus hunc Hæreticum demonſtrandum eſt Dogma Catholicum, unam eſſe in Chriſto Perſonam, & B. V. MARIAM vere eſſe Θεοδοκον, ſeu Deiparam. Quoniam vero nonnulli hodie exiſtimant, NESTORIUM non vere docuiſſe illos Errores: aut ſaltem non fuiſſe legitime damnatum, hinc §. II. contra eos quoque oſtendendum: reapſe Errores illos a NESTORIO

fuisse assertos, & §. III. illum legitime a Concilio Ephesino fuisse damnatum. §. IV. Christum nec esse, nec dici posse Filium Dei *adoptivum*, aut *Servum*.

§. I.

De Unitate Personæ in Christo.

184 Resolutio I. Unica est in Christo Persona.

Prob. I. Ex S. Scriptura. Joan. I. 14. *Verbum caro factum est.* Hic Textus intelligi debet vel 1. de *substantiali* & hypostatica Unione Verbi cum Natura humana, vel 2. de Unione *morali*, qualis est inter duos Amicos: vel 3. de unius in alterum Mutatione. Atqui non potest intelligi 2do & 3tio modo. Ergo debet intelligi primo modo. *Min. prob.* De unione *morali* v. g. duorum Amicorum proprie dici non potest, quod unus factus sit alter: neque dici etiam potest, quod Verbum fuerit mutatum & conversum in Carnem; nam Deus intrinsece immutabilis est, nec potest desinere Deus esse, & fieri aliud: ergo *Verbum caro factum est*, per humanam, assumptam Naturam hypostatice sibi unitam. Ergo una est in Christo Persona.

PROB. II. Quæ divinæ & humanæ Na- 185
turæ propria ſunt, uni adſcribuntur CHRI-
STO: ergo una fuit Perſona, ex duabus
naturis conſtans. *Ant. prob.* Naſci, pati,
mori, humanæ propria ſunt Naturæ: at
viciſſim Æternitas, Immenſitas, propriæ
ſunt divinæ; atqui utraque prædicantur
de CHRISTO: ſic Iſai. IX. 6. *Parvulus na-
tus eſt nobis . . . & vocabitur nomen ejus
Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps
Pacis.* CHRISTUS paſſus eſt pro nobis,
Chriſtus mortuus eſt &c. Suam Æternitatem
declarat CHRISTUS Joan. VIII. 58. *Ante-
quam Abraham fieret, ego ſum.* Immenſita-
tem ejus exponit Paulus Eph. IV. 10.
*Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper
omnes cælos, ut impleret omnia.*

PROB. III. E Traditione continua Ec- 186
cleſiæ, quæ in ſuis conciliis & Symbolis
unam conſtanter in CHRISTO credidit &
propugnavit Perſonam, in duabus Natu-
ris ſubſiſtentem, ipſumque NESTORII Er-
rorem in Concilio Oecumenico EPHESINO
tanquam hæreticum proſcripſit. Legatur
vel unum Symbolum S. ATHANASII dictum.

PROB. IV. Rationibus variis: 1. Si CHRI- 187
STUS non eſt una Perſona, hypoſtatice
ſibi unitam habens Naturam Divinam
atque humanam; tunc non eſt Deus, Pa-
tri conſubſtantialis: ſicque ruit præcipuum
Religionis Chriſtianæ Fundamentum. 2.

Tunc illi ſunt Idololatræ, qui CHRISTUM adorant cultu Latriæ; cum foret purus Homo, in quo Deus velut in Templo habitaret: quemadmodum Idololatriam commiſiſſet, qui Templum Salomonis, quod Deus ſibi olim Habitaculum elegerat, adoraſſet 3. Tunc nulla eſt humani generis Redemptio; quis enim ſatisfeciſſet, an Homo? Sed purus Homo id non poteſt, ex dictis: An Deus? at Deus nec pati, nec mori, nec ſibi ipſi ſatisfacere poteſt. 4. Tunc corruit EUCHARISTIÆ Myſterium, quæ Vim ſuam & Efficaciam habet a Corpore & Sanguine CHRISTI; Verbo Divino hypoſtatice unito. 5. Tunc etiam corruit Spes noſtræ Reſurrectionis, quæ oritur ex eo, quod Corpora noſtra ex divina CHRISTI Carne Immortalitatis Semen acceperint.

188 OBJIC. I. Dei filius in Homine aſſumpto habitavit velut in Templo: Ergo erant Duæ Perſonæ. *Ant. prob.* CHRISTUS ipſe dicebat Joan. II. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. Ille autem dicebat de Templo corporis ſui.* Ergo.

RESP. Nego *ant.* Non enim Hominem aſſumpſit, qui jam ſubſiſteret, ſeu Suppoſitum, ſed Naturam humanam nondum ſubſiſtentem. CHRISTI Verba vel intelligenda ſunt de Templo *myſtico* & ſingulari, cum quo tamen etiam hypoſtatice

dici

dici poteſt unitus : aut de Templo *corporis*, ut exponit loc. cit. Evangeliſta, non autem de tota Natura : aut ſi etiam de Natura ; tunc non ſolum habitavit *in ea*, ſed *cum ea* etiam ſubſtantialiter fuit unitus. Itaque error NESTORII non conſiſtebat in eo, quod diceret, CHRISTUM habitaſſe in *Natura* humana, velut in Templo : ſed quod habitaverit in *Homine* jam ſubſiſtente, atque integro Suppoſito, ſicque duas confinxerit Perſonas. Utrumque autem verum eſt, & quod Deus habitaverit in Natura, velut Templo, & quod cum ea fuerit hypoſtatice unitus.

OBJIC. II. Paulus ait de Chriſto Coloſſ. II. 9. *In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Ergo in *Chriſto* tantum *habitavit* Divinitas. 189

RESP. *Diſt.* In quo inhabitat, *ſubſtantialiter* & *realiter*, aſſumendo Naturam humanam in unitatem Suppoſiti. *Conc.* Tantum *præſentialiter* & per unionem *moralem*, aut *participative*, uti habitat per Gratiam in Juſtis. *Neg.* Nam ut S. THOMAS contra NESTORIUM ex Inſtituto obſervat Lect. 2. in cap. 2. Colloſſ. „ Tribus modis „ eſt Deus in rebus. Unus eſt communis per Potentiam, Præſentiam & Eſ„ ſentiam : alius per Gratiam in Sanctis : „ Tertius modus eſt ſingularis in CHRISTO „ per unionem. Sed ex hoc Neſtorius „ errat, dicens unionem factam per in-

„ habitationem tantum - - - - & ideo ha-
„ bitabilis dicitur Chriſtus, non quaſi
„ alius ſit qui habitat, & qui inhabitatur;
„ ſed ipſe & Homo & Deus, in quo in-
„ habitat Plenitudo Divinitatis. „

190 OBJIC. III. Ex eo, quod dicat Paulus corpora noſtra eſſe Templum Spiritus ſancti, non ſequitur, nos veros eſſe Deos: ergo etiam, quia Chriſtus dicitur Templum Dei, non ſequitur, fuiſſe Deum.

RESP. Nego *conſeq.* Conſtat enim ex aliis locis manifeſte, quod Deus in nobis habitet tantum per Participationem, ut divinæ efficiamur conſortes naturæ: non vero per Unionem ſubſtantialem; de Chriſto autem dicitur, quod *inhabitet Plenitudo Divinitatis*, & quidem *corporaliter*, id eſt *realiter*: Et ad Philipp. 2. de Filio Dei ait PAULUS: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo,* non tantum per Similitudinem, ſed vere Filius Hominis, & quoad externam Speciem puro Homini ſimilis, quamquam eſſet plus quam Homo, nimirum Deus ſimul.

191 OBJIC. IV. Nonnulli PP. dicunt, Hominem fuiſſe aſſumptum a CHRISTO: atqui Homo, dicit Perſonam per ſe ſubſiſtentem.

tem. *Ergo.* Jam vero inter duas Perſonas per ſe ſubſiſtentes, non datur niſi Unio *moralis*, non autem *ſubſtantialis*, quod voluit etiam NESTORIUS.

II. Alii appellant Humanitatem, Inſtrumentum, Domicilium, & Templum Divinitatis.

III. Alii vocant CHRISTUM, Hominem Deiferum &c.

IV. Alii Hominem Dominicum. *Ergo.*

RESP. Ad I. *Diſt.* Et illi per *Hominem*, intelligunt ſolum *Naturam* humanam. *Conc.* Intelligunt *Suppoſitum* per ſe ſubſiſtens. *Neg.*

Ad II. Appellant Inſtrumentum Divinitatis, cum Verbo hypoſtatice unitum. *Conc.* Secus. *Neg.*

Ad III. Vocant CHRISTUM, Hominem Deiferum, & Deificatum, id eſt, præſentialiter & ſubſtantialiter Naturæ humanæ unitum: Item Hominem vere Deum factum. *Conc.* Aliter. *Neg.*

Ad IV. Vocant Hominem *Dominicum*, id eſt, Hominem, qui Deus & Dominus eſt. *Conc.* Aliter. *Neg.* Et generaliter obſervandum, PP. ante exortas peculiares Hæreſes, non adeo accuratis uſos fuiſſe loquendi modis; quia Fideles genuinum eorum Senſum jam intellexerunt, nec in malam partem inflectere ſolebant. Ubi vero exortæ ſunt Hæreſes, proprias etiam voces accurate adhibuerunt, quibus ſe a

prava Hæreticorum Opinione distinguerent, nec Dogma Catholicum in Discrimen adducerent.

192 Objic. V. S. Chrysostomus Hom. 3. in Ep. 1. ad Hebr. exponens illum Textum Psalmi ab Apostolo commemoratum: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi . . . propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*, ait: „ Hic & Judæos, „ & Pauli Samosateni Sectatores, & Arianos „ & Marcellum Ancyranum, & Sabellium „ percussit Apostolus, & Marcionem. „ Quomodo vero? Judæos quidem, osten- „ dens, duas Personas, Deum & Hominem. „ Alios vero, Samosateni dico Asseclas, „ dum hæc dicit de æterna Substantia & „ increata Essentia: *Sedes tua Deus in sæ-* „ *culum sæculi.* Adversus Arianos autem „ & rursus hoc ipsum, quod non sit Ser- „ vus. - - - - Contra Marcellum vero, „ quod sint hæ duæ Personæ distinctæ „ secundum Hypostasin. „ Ergo in Christo, juxta Chrysostomum, sunt duæ Personæ, Deus & Homo.

Resp. *Dist.* Sunt juxta Chrysostomum duæ Personæ *in Christo. Neg.* Exprimuntur *in hoc Textu* duæ Personæ, nempe Pater ungens, & Filius unctus. *Conc.* Sensus Versiculi est: Propterea te, Christum Hominem unxit Deus Pater præ consortibus, seu, reliquis Hominibus, variis *Charismatibus*: aliæ autem Lectiones

nes habent: *Duo eundem esse ostendens*, & *Deum & Hominem*: Aliæ: *Duas Personas ostendens*, *Deum*, & *Deum*, id est, Patrem & Filium. Alii per vocem *Personæ*, intelligunt Naturam: & sic etiam verum est, duas esse in CHRISTO Naturas. Sive ergo CHRYSOSTOMUS loquatur de CHRISTO; intelligitur duplex Natura: sive de Patre & Filio; intelligitur duplex Persona.

RESOLUTIO II. B. V. MARIA vere est, 193 & dici debet *Deipara*, non solum *Christipara*.

PROB. I. E sacra Scriptura. Filius Dei æternus dicitur *conceptus*, *natus*, *factus* ex Maria, Isai. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, & *vocabitur nomen ejus Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Angelus ad B. V. Luc. I. 35. *Quod nascetur ex te sanctum*, *vocabitur Filius Dei*. Math. I. 20. seq. ad JOSEPHUM de MARIA prægnante: *Quod in ea natum est*, *de Spiritu S. est*: *pariet autem filium & vocabis nomen ejus Jesum*; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. *Hoc autem totum factum est*, pergit MATHÆUS, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem*: *Ecce Virgo concipiet &c.* PAULUS Galat. IV. 4. *Misit Deus Filium suum*, *factum ex muliere*, *factum sub lege*. In quæ Verba venerab. BEDA ait: „ Neque audiendi sunt, qui legendum pu„ tant: *natum ex muliere*, *factum sub lege*.

„ Sed:

„ Sed, *factum ex Muliere*; quia conceptus „ ex Utero Virginali, Carnem non de „ nihilo, non aliunde, ſed materna traxit „ ex Carne: alioquin nec vere Filius Ho- „ minis diceretur, qui originem non ha- „ beret ex Homine. „ Ad Rom. I. 3. loquens de Verbo Patris æterno ait: *De filio ſuo, qui factus eſt ei ex Semine David ſecundum Carnem.* Et hic Filius Dei naturalis, factus eſt ex Semine David, nimirum MARIA.

194 PROB. II. E Traditione. Eccleſia in ſuis Symbolis de Filio Dei Patri conſubſtantiali ait: *Incarnatus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine, & Homo factus eſt*: quo tam clare exprimitur, MARIAM eſſe *Deiparam*, ut propterea EPHESINA Synodus, quamvis definiiſſet hoc Dogma & Vocabulum, illud tamen velut ſuperfluum Symbolo addere noluerit. Sed & Patres, qui NESTORIUM præceſſerunt & ſubſecuti ſunt, B. V. MARIAM, *Deigenitricem* diſſerte appellarunt.

195 PROB. III. Ratione. Illa vere eſt, & dici debet *Dei mater*, *Deigenitrix*, *Deipara*, quæ illum genuit e ſua Subſtantia. At qui MARIA e Subſtantia carnis ſuæ genuit eum, qui vere Deus erat, nempe CHRISTUM ex N. 193. & probabitur infra, de Corpore CHRISTI e MARIA aſſumpto.

OBJIC.

OBJIC. I. Illa non est Mater CHRISTI, 196
quæ corpori CHRISTI non dedit Originem: sed B. V. M. *non dedit corpori Christi originem*, ut scribit S. HILARIUS l. 10. de Trinit. n. 16. *licet ad Incrementa partumque Corporis omne, quod Sexus sui naturale est, contulerit.* Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Illa non est Mater, quæ corpori non dedit *Originem*, nec primariam, nec secundariam. *Conc.* Quæ saltem dedit *secundariam*. *Neg.* & sic *dist. min.* Nego *conseq.* Ad generationem Partus *ordinariam* duo requiruntur; Pater, subministrando Semen, tanquam originem *primariam*; quam in *Christo*, sine commixtione Viri concepto, supplevit Spiritus S. obumbrans B. V. Ipsa vero B. V. de suo contribuit, quod alias Mater conferre solet: secus nequidem CHRISTI Hominis Mater esset, nec CHRISTUS Filius Hominis, quod est falsum; hinc dedit originem *secundariam*.

OBJIC. II. Si B. V. M. esset, & dici 197
posset *Mater Dei*; tunc esset Genitrix Divinitatis. Sed Divinitas est ingenerabilis. *Ergo.*

RESP. Nego *maj.* Ut enim sit Mater Dei, sufficit, quod illum genuerit, qui vere est Deus: sicut quælibet Mater gignit Hominem, quamvis non generet Animam ingenerabilem, sed eum, qui Anima præditus est.

OBJIC.

198 Objic. III. Mater Dei debet esse Filio Dei consubstantialis: sed Maria non est consubstantialis Deo, utpote pura Creatura humana. *Ergo* &c.

Resp. *Dist. maj.* Mater debet esse Filio consubstantialis, secundum Naturam humanam, quæ est generabilis. *Conc.* Secundum Divinam. *Neg.*

§. II.

An Nestorius Errores, quorum fuit insimulatus, vere docuerit?

199 Sunt non ex Heterodoxis modo, sed e nostris quoque Richardus Simon, qui Nestorianam Hæresin nonnisi Litem de Nomine fuisse contendunt, eoquod Nestorius catholice de Christo senserit, quamvis alio modo loquendo usus, quem in malam partem interpretati fuerunt Cyrillus Alexandrinus aliique ejusdem Æmuli. Hinc suos etiam Defensores nactus est Nestorius, maxime Joannem Episcop. Antiochenum. Quoniam autem Ecclesia Judicium suum præcipitare, aut vera pro falsis damnare non solet; hinc inquirendum, verene duas in Christo Personas confinxerit Nestorius, cujus Erroris agebatur reus.

Reso-

RESOLUTIO. NESTORIUS vere docuit Er-200
rores, quos in ipso damnavit Ecclesia.

PROB. I. Non est ulla ratione verosimile, quod tot Patres coævi in concilio congregati, qui & Scripta legerant; aut Sermones audierunt NESTORII, Mentem ipsius haud bene introspexerint, nec Vim Vocum penetraverint: atqui illi cum Ecclesia constanter asserunt, NESTORIUM docuisse Errores ab ipsis damnatos: *ergo.*

PROB. II. JOANNES Antiochenus, & THEO-201
DORETUS, Fautores quondam & Amici NESTORII, ad ultimum tamen cognita ejus Fraude Anathema ei dixerunt reumque agnoverunt Errorum, quorum arguebatur a Patribus. *Ergo.*

PROB. III. Ille unam in CHRISTO Perso-202
nam non agnovit, qui naturalia & propria Attributa Dei, de Homine, & Hominis de Deo, prædicari noluit: atqui NESTORIUS noluit: ergo. *Min. prob.* Ex ejus Scriptis, in synodo EPHESINA, & a CYRILLO commemoratis, patet, quod dicere noluerit, Hominem in CHRISTO esse Deum: Deum esse *natum*, trimestrem *Infantem*, *passum*, *mortuum*, *sepultum*, *resurrexisse*, MARIAM Deum peperisse &c. atqui hæc omnia tamen verissima sunt de una Christi Persona. *Ergo &c.*

PROB.

203 PROB. IV. Hi omnes Errores fuerunt exprobrati NESTORIO: quos si ex Animo non docuisset, utique se exceptione purgasset, Mentem suam non fuisse satis perspectam, assingi sibi Errores, quos execraretur. Atqui NESTORIUS nusquam conquestus fuit, alienum sibi assingi Verborum & Doctrinæ Sensum: ergo revera docuit Errores, quorum agebatur reus.

204 OBJIC. I. JOANNES Antiochenus, & THEODORETUS, quibus, utpote Amicis, Mens NESTORII, non poterat esse incognita, testantur, eum eadem sentire cum Patribus antiquis, & abstinere solum a voce *Deipara*, tantum ne Virginem faciat Deam: ergo. Idem testatur SOCRATES VII. 32.

RESP. Utrumque ab initio quibusdam Amicitiæ Præjudiciis abreptum, fuisse delusum, postmodum vero Fraudibus ejus cognitis damnasse illius Errores: quod attinet SOCRATEM, ille rerum theologicarum minus peritus, harum quoque rerum Judex esse non potest adversus tot alios Patres, & ipsius Ecclesiæ Judicium.

205 OBJIC. II. NESTORIUS agnovit quidem, sed tantum exprimere non voluit, MARIAM esse *Deiparam*. Ergo sensit catholice.

RESP. *Dist.* Agnovit subdole. *Conc.* Sano Sensu. *Neg.* Agnovit eo Sensu, quia genuit eum Hominem, qui erat Templum

plum Divinitatis, & *moraliter* una Persona: ceterum expresse ait: *Nemo antiquiorem se, parit.*

OBJIC. III. Ideo solum nolebat MARIAM 206
appellare Deiparam, ut vitaret errorem APOLLINARIS, qui docuit, MARIAM esse Genitricem Divinitatis. *Ergo.*

RESP. NESTORIUS incidit in Scyllam, dum forte voluit vitare Charybdin, sed non elegit mediam Viam. Tripliciter B. V. dici potest *Dei genitrix*; 1. Quia peperit Divinitatem, ut volebat APOLLINARIS. 2. Quia genuit Hominem, qui Unione & Nexu morali esset Deus: & hic sensus est NESTORII. 3. Quia genuit eum, qui vere est Deus: quod docet Ecclesia.

OBJIC. IV. NESTORIUS admisit unam in 207
Christo Personam, sic enim ait Epist. ad ALEXANDRUM Hieropolitanum: *Non duas Personas unam facimus, sed una appellatione* CHRISTI, *duas Naturas simul significamus.* Ergo.

RESP. *Dist.* Agnovit unam Personam, unam *moraliter*; quia duæ Personæ in CHRISTO Unione Affectuum erant unitæ. *Conc.* Physice unam. *Neg.* Nihil Hæreticis magis solenne, quam sub Verbi orthodoxi involucro abscondere Hamum ad capiendos simpliçium Animos. Eodem etiam Sensu alibi dicit, CHRISTUM esse unum Filium, nempe *moraliter* unum;

quia, ut ait, *unus est per Essentiam Filius, nempe Deus Verbum, cui conjunctus est hic Homo Dei comparticeps, consors enim est Appellationis & Honoris Filii.* Hinc etiam, ubi admisit communionem utriusque Naturæ, & Idiomatum, seu Proprietatum; id solum de communione *morali*, non *physica* intellexit. Et dum CHRISTUM, *Deum* pronuntiavit; id intellexit non vere, sed Honore, & Nomine tenus, propter Unionem moralem Hominis cum Verbo. Incarnationis nomine intellexit Habitationem Verbi in Christo Homine, velut suo Templo.

§. III.

An Nestorius legitime, & canonice damnatus fuerit?

208 RESOLUTIO affirmativa.

PROB. Illud est legitimum & canonicum Ecclesiæ Judicium, quod instituitur causa rite cognita, & a Judice competente: atqui Judicium adversus NESTORIUM latum, ejusmodi erat. Ergo erat legitimum, & canonicum. *Min. prob.* In Concilio EPHESINO anno 431. ea de causa celebrato, NESTORIUS ad dicendam causam suam a Patribus citatus, cum comparere detrectaret, lecta fuerunt ejus Scripta, & sedulo examinata: audita de iis Patrum Judicia

&

& Teſtimonia. NESTORIUS Impietatis hæreticæ convictus, forma quoque in eo condemnando ſecundum Canones obſervata fuit; ter enim per Epiſcopos a Concilio ablegatos ad Synodum vocatus, & ut a pertinacia deſiſteret, monitus, cum ſe ſiſtere conſtanter renueret, Anathemate tandem percuſſus eſt.

Porro Judices in hac cauſa erant com- 209
petentes; fuit enim damnatus a Concilio œcumenico, cui per CYRILLUM Alexandrinum & ſuos Legatos occidentales præſidebat S. COELESTINUS I. P. R. Intererant eidem CYRILLUS Alexandrinus, JUVENALIS Jeroſolymitanus Patriarchæ, MEMNON Epheſinus cum plurimis aliis Epiſcopis, qui etiam JOANNEM Antiochenum, utpote NESTORII Amicum, ſtudioſe moras nectentem, per dies 15. exſpectarunt, & quamquam Synodus ad 7. Junii fuerit indicta, nonniſi 22. eamdem inchoarunt. Igitur cum fuerint ad Synodum vocati Epiſcopi omnes, & tot Numero adfuerint, qui poſſent dici repræſentare Eccleſiam univerſam; merito hactenus ab omnibus pro Concilio Oecumenico & legitimo habita fuit EPHESINA Synodus.

OBJIC. I. EPHESINA Synodus non fuit 210
œcumenica: ergo. *Ant. prob.* 1. Non fuit convocata a ſummo Pontifice, ſed a THEODOSIO Imperatore, ut conſtat ex actis

Concilii. 2. Non ei intererat sufficiens Episcoporum Numerus; deerant enim JOANNES Antiochenus cum suis, & NESTORIUS Patriarcha CP. 3. JOANNES Antiochenus ob difficultatem Itineris tam cito comparere non potuit; hinc petiit, ut usque ad ejus Adventum exspectaretur, quod recusavit CYRILLUS.

RESP. Nego *ant.* Ad 1. *Prob.* dico, Concilia *de Jure* quidem convocanda esse a summo Pontifice, qui solus cum Authoritate citare potest omnes totius orbis Episcopos: *De facto* autem priora in Oriente Concilia convocata fuisse ab Imperatoribus, œconomiæ causa, Rom. Pontificibus consentientibus, ut adeo ipsis saltem non invitis, quin etiam probantibus, fuerint convocata. Ad *Prob.* 2. Non est necessaria Concilio *singulorum* Episcoporum Præsentia, modo legitime *omnes vocentur*, quod contigit: imo JOANNES Antiochenus in antecessum consenserat, ut si tardior foret, Patres interea agerent, quod ipsis visum foret; NESTORIUS, tanquam reus, non debuerat ei interesse ut *Judex* in causa propria. Ad *Prob.* 3. Potuisset JOANNES, si voluisset, statuto Die comparere; nam, ab Antiochia usque Ephesum iter est triginta circiter Dierum: Jam autem a Paschate, quod erat Tempus Profectioni præfixum, usque ad primam Synodi Actionem plus sexaginta Diebus effluxerant. Scripserat quidem CYRILLUS,

se

se velle JOANNEM exspectare, sed hoc Sensu, se nolle Synodum absolvere ante ejus Adventum, quod & præstitit.

OBJIC. II. CYRILLUS Concilii Præses, 211
non erat Judex competens; erat enim Adversarius NESTORII, ejusdem Accusator & Testis. 2. Vicissim autem APOLLINARIS Hæreseos reus agebatur. 3. Jam in Tribunali inferiori judicaverat NESTORIUM: quod Judicium in Concilio quasi in appellatorio erat retractandum: hinc Judicem jam agere non amplius debuit. *Ergo* &c.

RESP. Nego *ant.* Ad *Prob.* 1. Nulla CYRILLO cum NESTORIO intercesserant Dissidia ante patefactam hujus Hæresin: hinc dici potest Inimicus causæ, non autem Personæ. Neque etiam proprie fuit ejus Accusator, sed Errorem NESTORII detulerunt Monachi Constantinopolitani, & in Synodo dijudicari postularunt, cui CYRILLUS suo, & R. P. Nomini præsidens, legitimus erat Judex. Ad 2. CYRILLUS quidem a NESTORIO Hæresis Apollinaristarum accusatus fuit: aliud est autem accusari, aliud reum esse. Purgavit Fidem suam CYRILLUS ut infra: suam quoque NESTORIUS purgare debuerat. Ad 3. Per hoc, quod CYRILLUS semel judicaverit causam NESTORII, non exciderat suo Jure Suffragii in Concilio; maxime cum non suo tantum, sed Rom. Pont. Nomine

eidem præsideret. Sic ALEXANDER Episcopus Alexandrinus, qui primo damnaverat ARIUM, suum Presbyterum, attamen in Concilio NICOENO coram reliquis Episcopis iterum damnavit eundem.

212 OBJIC. III. NESTORIUS tribus distinctis Diebus citari debuisset, ut volunt imperatoriæ Leges, & accurate fuit observatum in EUTYCHE. Atqui sic non fuit citatus NESTORIUS: ergo non fuit servata Forma canonica.

RESP. Canones quidem definiunt, monitionem prævium fieri debere tribus distinctis vicibus: non autem definiunt, faciendam tribus distinctis Diebus. Nam & in CHALCEDONENSI Concilio DIOSCORUS eadem Die ter citatus, tandemque condemnatus fuit. Neque etiam JOANNES Antiochenus, NESTORII Fautor Ephesinis Patribus unquam objecit Neglectum canonicæ Monitionis. Accedit, quod jam ante Concilium NESTORIUS fuerit sæpius admonitus, ab ipso quoque COELESTINO summo Pontifice per Epistolam, quam tertiæ Monitionis loco futuram esse edixit.

213 OBJIC. IV. Ex Mandato Imperatorum quisque Metropolitanus nonnisi duos secum Episcopos adducere poterat; CYRILLUS autem 50. & Memnon Ephesinus 40. de suis habebant secum: *ergo.*

RESP.

RESP. Nego. Etsi enim forte Imperator JOANNI Antiocheno id præceperit, non hoc tamen erat mandatum omnibus; nam Imperator in Epistola ad CYRILLUM, ejus reliquit Arbitrio, ut, quoscunque vellet, de suis adduceret Episcopos.

OBJIC. V. ISIDORUS Pelusiota, & GEN-214
NADIUS Patriarcha CP. testantur, CYRILLUM Odio adversus NESTORIUM agitatum, eundem oppressisse, quemadmodum THEOPHYLUS olim oppresserat CHRYSOSTOMUM.

RESP. A NESTORII Fautoribus, & CYRILLI Adversariis, falsoque rumore circumventi ISIDORUS & GENNADIUS, male ab initio cogitabant de CYRILLO: at postea melius in causa informati, aliter quoque senserunt.

OBJIC. VI. CANDIDIANUS, & IRENÆUS215
Imperatoris Comites ad Concilium missi, palam fuere conquesti de præcipiti in NESTORIUM Sententia: ergo non fuit canonica.

RESP. Erant illi Fautores NESTORII, omniaque in ejus Gratiam moliebantur. Attamen Imperator postea rei Veritatem edoctus, NESTORIUM refractarium in exilium abegit, ubi misere periit.

§. IV.

An Christus fuerit, vel dici possit Filius Dei adoptivus, aut Servus?

216 CHRISTUM Dei Filium naturalem esse, ex dictis de *Deo Trino*, Tom. I. P. II. & hoc Tomo adversus Arianos, Nestorianosque pertractatis, porroque tractandis, supponitur. An etiam Filius Dei *adoptivus* dici queat? nunc inquirendum. Illud Sæc. VIII. asseruerunt FELIX Urgelitanus, & ELIPANDUS Toletanus, in Hispania Episcopi, de quibus cap. II. §. I. hujus Tomi. Haud equidem satis certum est, an Christum *Adoptione Filium* dicendo, Dignitatem Filii *naturalis* negaverint, aut suam locutionem de Adoptione secundum Naturam humanam intellexerint? Id certius, a Conciliis contra illos celebratis improbatam fuisse istam Propositionem: *Christus, ut Homo, Filius est adoptivus.* Sive dein per *Hominem* intelligatur *Natura*, sive *Persona.* Si enim secundum Naturam humanam adoptatus fuisset; tunc simpliciter de CHRISTO in concreto prædicari posset: sicut vere dicitur: *Christus mortuus est.* Atvero simpliciter dicere: *Christus est filius Dei adoptivus*, vetuerunt Patres, & citata, aliaque Concilia. Quo tamen haud obstante SCOTUS docuit,

CHRI-

CHRISTUM dici posse *Filium Adoptione*; vitandam tamen esse hanc Enunciationem; eoquod Hæretici illa fuerint abusi. DURANDUS quoque asseruit, Christum dici posse Filium adoptivum, sed cum addito: *prout est Homo*, contra D. Thomas, & ceteri Theologi cum eo contendunt, CHRISTUM nec simpliciter, neque cum addito: *prout est Homo*, dici posse *adoptivum.*

RESOLUTIO I. CHRISTUS nec est, nec cum addito, *prout est Homo*, dici debet Filius Dei adoptivus. 217

PROB. I. Pars. S. Scriptura Christum ubique proponit ut filium Dei *naturalem*, Unigenitum Patris, etiam *prout Homo est.* Et recte; nam CHRISTUS in concreto, semper denotat *Personam*, quæ unica, eaque divina est. Ergo non est *adoptivus.* *Ant. prob.* Sic Joan. I. 14. de Verbo incarnato: *Vidimus gloriam ejus quasi* UNIGENITI *a Patre* &c. & dum baptizaretur a JOANNE, Vox de cœlo insonuit: Math. III. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Paulus Rom. VIII. 32. de CHRISTO Homine ait: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Patrum & Conciliorum Textus omitto, alibi legendos.

PROB. Ratione I. ADOPTIO, est Personæ extraneæ gratuita in Familiam ad Hæreditatem 218

ditatem assumptio, ad quam ex Origine & Natura Jus nullum habet: atqui CHRISTUS, etiam ut Homo, non est Persona extranea, sed filius Dei naturalis; cum utique nonnisi unica sit Christi Persona, ex dictis. *Ergo.* II. Filiatio proprie convenit Personæ, non Naturæ: atqui Filiatio adoptiva, non potest convenire Personæ Christi; cum jam sit Filius naturalis, nec indigeat assumtione gratuita, qui Origine & Natura, adeoque *suo Jure* est Filius. *Ergo.* III. Vel Humanitas fuisset adoptata ante Unionem hypostaticam, vel postea? Non primum; quia nulla ratione ante Unionem exstitit, ut certum est contra NESTORIUM. Neque secundum; quia Humanitas, per ipsam Unionem subsistens in Persona Filii Dei naturalis, jam habet Jus ad Hæreditatem, nec adoptari potest.

219 PROB. II. Pars. CHRISTUM, etiam cum addito, *prout est Homo*, dicere Filium Dei adoptivum, temerarium videtur & erroneum; quia repugnat modo loquendi Patrum; unanimi vere Theologorum Doctrinæ, & Rationi. Istud enim additum, non de *Natura*, sed Persona intelligi potest, cum soli *Personæ*, non autem Naturæ, conveniat *adoptari.* Faceret ergo sensum: *Persona Christi fuit adoptata*: quod falsissimum est. *Ergo.*

OBJIC.

OBJIC. I. Nonnulli Patres dixerunt, Na-220
turam humanam CHRISTI fuiſſe gratis adoptatam. Ergo.

RESP. *Diſt.* *Gratis* adoptatam, id eſt, nullis prævиis meritis aſſumptam. *Conc.* Proprie adoptatam. *Neg.* Hoc enim non Naturæ, ſed Perſonæ convenit.

OBJIC. II. In Chriſto fuit cauſa forma-221
lis Adoptionis, nempe Gratia habitualis: ergo & Adoptio.

RESP. Nego *conſeq.* Ibi enim ſolum gratia habitualis, cauſa formalis Adoptionis eſt, quando illa confertur Perſonæ *extraneæ*: uti ſumus Nos, puri Homines.

OBJIC. III. CHRISTUS ut Homo, recte222
dicitur, *natus*, *mortuus*: ergo etiam ut Homo, *adoptivus*.

RESP. Nego *conſeq.* Diſparitas eſt; quia naſci, pati, & mori, ſunt Attributa, Naturæ, & Perſonæ communia; hinc de CHRISTO in concreto dici poſſunt: adoptari autem, ſoli Perſonæ convenit, quæ in Chriſto erat *naturalis*.

OBJIC. IV. CHRISTUS, qua Homo, vel223
eſt filius Dei *naturalis*, vel *adoptivus*? atqui *qua Homo* non eſt *naturalis*: ſecus *Natura* humana eſſet cauſa hujus Filiationis: Ergo *adoptivus*.

RESP. CHRISTUS, *qua Homo*, eſt unica Perſona, *quæ* eſt Filius Dei naturalis.

OBJIC.

224 Objic. V. Christus, ut Homo, non potest dici *Deus* : Ergo nec Filius Dei *naturalis* : ergo dici debet *adoptivus*.

Resp. *Dist.* Christus ut Homo, *generatim*, non potest dici *Deus* ; quia sic intelligi posset sola *Natura* humana. *Conc.* Christus ut *hic* Homo, non potest dici *Deus*. *Neg.* Sic enim insinuatur hic Homo *singularis*, qui est Persona Filii, hypostatice sibi unitam habens Naturam humanam.

225 Objic. VI. Qui Filius est *naturalis*, *Jus* habet ad Hæreditatem ex *origine* : Atqui Christus, ut Homo, non habet *Jus* ad Hæreditatem ex *origine* : Ergo ut Homo, non est Filius Dei *naturalis*.

Resp. Nego *min.* Nam & Natura humana, ob Unionem cum Persona Filii unum constituens suppositum, hoc Jure gaudet.

226 Objic. VII. Christus potest dici, *Servus* : ergo etiam *adoptivus*.

Resp. Nego *conseq.* Disparitas est ; quia appellatio *Servi*, late accepti, directe cadit in *Naturam* humanam, quæ vere est serva & creata. *Adoptio* autem, denotat *Personam*.

227 Resolutio II. Christus stricte loquendo non est *Servus* Patris ; dici tamen potest

teſt Servus late, ratione Naturæ humanæ, dependentis a Deo.

Prob. I. Pars. *Servus* ſtricte & proprie acceptus, eſt Perſona non ingenua, ſed aliena, non ſui Juris, nec Jus ad Hæreditatem habet. Christus eſt Perſona *ingenua*, Filius Dei naturalis; hinc ſui Juris, & ex Origine, atque Natura, Jus habet ad Hæreditatem. Ergo ſtricte non eſt *Servus*. Ideo Paulus ad Hebr. I. Chriſtum præponit Angelis; quia hi ſunt Miniſtri: ille autem Filius; *cui enim Angelorum aliquando dixit? Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et cap. III. ideo Chriſtum præfert Moysi; quia hic fuit *fidelis Famulus in Domo ejus*: Chriſtus vero tanquam *Filius in Domo ſua.* Propterea & Patres, licet faterentur cum Paulo Philipp. II. 6. Chriſtum accepiſſe *formam Servi*, ſeu naturam ſervam; *Servum* tamen fuiſſe negant.

Prob. II. Pars. Ipſa ſcriptura Christum 228 dicit *Servum.* Iſai. XLII. 1. *Ecce Servus meus, ſuſcipiam eum.* Et cap. LIII. 11. *In ſcientia ſua juſtificabit ipſe Juſtus Servus meus multos* &c. Ratio eſt. Quemadmodum Christus ut Homo, vere dici poteſt *ſubjectus* I. Cor. XV. 28. & *Obediens*, Philipp. II. 8. ita & *Servus* late; cum Naturam aſſumpſerit vere ſervam atque creatam. Hinc dicit Eccleſia: *Deus cui ſervit omnis Creatura tua.* Et hac Ratione facile com-

combinantur Patres & Scholastici, CHRISTUM *Servum* dici posse affirmantes, vel negantes: ratione Nominis *Servi*, *stricte*, aut *late* accepti.

CAPUT V.

De duabus in Christo Naturis.

229 Dum Nestoriano Errori confutando vehementius insistebat EUTYCHES, Archimandrita Constantinopolitanus, & unicam in CHRISTO Personam conabatur defendere; in Errorem lapsus est oppositum, unicam asserens in Christo Naturam, e divina & humana permixtam, atque confusam. Fatebatur quidem, duas ante Unionem exstitisse Naturas; in ipsa autem Unione, humanam a divina fuisse absorptam, aut in divinam conversam: unde sequebatur, ipsam Divinitatem passam fuisse. Hinc Eutychis Asseclæ etiam Θεοπασχιται, seu, *Deipassiani* dicebantur; eoquod celeberrimo apud Græcos TRISAGIO: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, hanc subjicerent Clausulam: *Qui passus es pro nobis*, *miserere nobis*: tanquam tota SS. Trinitas passa fuisset. Hic igitur §. I. ostendendum Dogma catholicum de duplici Christi Natura, inconfusa, & impermixta. §. II. Cum Eutyches

tyches gloriaretur, S. CYRILLUM, Neſtorii Impugnatorem, unam in CHRISTO adſtruxiſſe Naturam, quid de ejus Doctrina ſentiendum? §. III. De divina in Chriſto Natura ſingillatim agendum contra eos, qui CHRISTUM purum Hominem aſſerebant. §. IV. De Natura humana CHRISTI contra eos, qui Chriſtum ſolum apparenter Hominem fuiſſe docebant. §. V. De aſſumpto Chriſti Corpore, & vera carne ex MARIA Virgine. §. VI. Carnem CHRISTI fuiſſe paſſibilem. §. VII. De Anima CHRISTI, contra Apollinariſtas. §. VIII. De duplici Operatione, ſeu Voluntate, contra Monothelitas: ubi etiam de Honorio Rom. Pontifice.

§. I.

De divina & humana in Chriſto Natura, non confuſa.

RESOLUTIO. Duplex in CHRISTO credenda eſt natura, Divina & humana, inpermixta & inconfuſa. 230

PROB. I. Ex S. Scriptura Joan. I. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: En! Natura Divina. De hoc autem Verbo addit JOANNES: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: En! Natura humana. Idem Joan. I. Ep. cap. I. *Quod fuit ab initio, quod audi-*

audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ (ſeu Verbum vitæ) *& vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Hic iterum clare exprimitur duplex Natura: nempe *Verbum vitæ, quod fuit ab initio*: & quod in aſſumpta natura humana viſum & contrectatum fuit. PAULUS Rom. I. 3. *De Filio ſuo*, id eſt Dei, *qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem: qui prædeſtinatus eſt, filius Dei in virtute*; ubi iterum duplex Natura Chriſti diſtinguitur. Denique ad Philipp. II. 6. de CHRISTO ait: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam Servi accipiens.* Ubi iterum Forma *Dei*, & *Servi* duplicem Naturam denotat.

231 PROB. II. Ex Traditione. In Symbolo Apoſtolico: credimus *in Filium Dei unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine, paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt.* Ita quoque Symbolum NICOENUM, & CONSTANTINOPOLITANUM. Accedit definitio Eccleſiæ in Conciliis CONSTANTINOPOLITANO & CHALCEDONENSI adverſus EUTYCHEN celebratis, ubi hoc Dogma duplicis CHRISTI Naturæ in una Perſona ſubſiſtentis & inconfuſæ, expreſſe declaratur. Fuerat quoque eadem fides

Pa-

Patrum, iſtis Conciliis anteriorum, quorum Teſtimonia congeſſit S. Leo M. in Ep. Dogmatica ad Flavianum, a PP. Chalcedonenſibus lecta, & approbata.

Prob. III. Rationibus Theologicis. I. Incar- 232
natio a PP. appellatur, duarum Naturarum unitio, & colligitur ex hoc: *Verbum caro factum eſt.* Atqui naturæ unius ab altera abſorptio, aut duarum confuſio, non eſt Unio. *Ergo.*

II. Si e duabus Naturis facta eſt una; tunc illa nec eſt divina nec humana, ſicque Chriſtus neque Patri æterno, nec Mariæ Matri eſt conſubſtantialis, & nec filius Dei, nec filius Hominis: quod tamen S. Scriptura diſerte profitetur. At hoc eſt abſurdum & falſum. *Ergo.*

III. Natura divina, utpote immutabilis, nec in humanam converti & immutari, nec humana in Deitatem tranſire poteſt.

IV. Si duæ non ſunt in Christo Naturæ; tunc de eo prædicari non poſſunt contradictoria: atqui de Christo prædicantur contradictoria: v. g. quod ſit mortalis & immortalis: æternus & temporalis: paſſibilis & impaſſibilis.

V. Si non eſt duplex in Christo Natura; tunc ruit Incarnationis & Redemptionis Myſterium; Ut enim hoc ſubſiſtat, humana Natura conferre debet Satisfactionis Materiam: divina autem Satisfactionis Valorem & Meritum. *Ergo.*

233 Objiciunt I. Eutychiani. *Verbum caro factum est*. Ergo aut *Verbum* fuit conversum in *Carnem*, aut caro absorpta a Verbo: sicut dum dicitur: *Aqua Vinum facta in Cana*; Aqua fuit versa in Vinum.

Resp. *Verbum caro factum* est, uniendo sibi hypostatice Naturam humanam. *Conc.* Per sui in Carnem conversionem. *Neg.* Nam quod Verbum non desierat esse Verbum, patet ex eodem loco, ubi ait Joan. *Verbum caro factum* HABITAVIT *in nobis*. Ergo permansit Verbum: secus non *habitasset* in nobis. Aliud est, cum dicitur, *Aqua vinum facta*; nam Aquæ non repugnat, transmutari in aliam Substantiam: quod tamen repugnat Naturæ divinæ; cum Mutabilitas sit Imperfectio, quæ locum in Deo non habet.

234 Objic. II. Verbum dicitur se *exinaniisse*, formam servi accipiens: atqui si mansisset Verbum, non se exinaniisset: ergo.

Resp. *Dist.* Verbum se exinanivit, hoc Sensu, quod, cum sit infinitæ Majestatis, voluerit sibi copulari humilitatem Naturæ humanæ. *Conc.* Quod amiserit & deposuerit Divinitatem ipsam. *Neg.*

235 Objic. III. Quidam Patres antiqui, de Incarnatione loquentes, vocant eam *Mixtionem*, vel *Mixturam*. Ergo Naturæ fuerunt mixtæ.

Resp.

RESP. *Dist.* Utuntur Vocabulo *Mixtionis*, improprie accepto, ad denotandam solum duarum Naturarum, *inconfusarum* intimam Unionem. *Conc.* Proprie, ad denotandam *confusionem* & conversionem. *Neg.* Ante exortam hæresin Patres securius loquebantur: postea vero vocabula ambigua, & quæ suspicionem generare possent, studiose declinarunt.

OBJIC. IV. Patres ad exponendum In-236
carnationis Mysterium utuntur comparatione Animæ & Corporis unum hominem constituentis. Sicut ergo ex Anima & Corpore una efficitur Natura totalis composita; ita ex Verbo & Natura humana, unus componitur CHRISTUS.

RESP. *Dist.* utuntur ea comparatione, ad exprimendam duarum Naturarum in una Persona Subsistentium unionem. *Conc.* Ad duarum Naturarum *commixtionem* & conflatam inde Naturæ confusæ Unionem. *Neg.*

§. II.

An S. Cyrillus Alexandrinus in oppositum Nestorio Errorem Apollinaris, vel Eutychis inciderit?

INter eos, qui Nestorianæ hæresi sese237
ab initio opposuere, præcipuus erat

S. CYRILLUS P. Alexandrinus, qui pluribus ad NESTORIUM datis Epiſtolis ab Hæreſi ad ſanam Fidem eum revocare fruſtra conatus: deinceps vices gerens COELESTINI Romani Pontificis, aliam ad eundem dedit Epiſtolam, cui duodecim ſubjecit Anathematismos, ex Authoritate COELESTINI Rom. Pont. eidem denuntians, niſi intra decem Dies Errorem revocaret, latam in eum a ſummo Pontifice Depoſitionis & Excommunicationis Sententiam executioni dandam fore. At pertinax in errore NESTORIUS totidem CYRILLO oppoſuit capitula, atque ab Imperatore, cujus ſibi Favores promiſerat, Concilii Oecumenici convolationem petiit & impetravit, promittens ſe ejus Definitioni ſtaturum. Cum itaque NESTORIUS eique adhærentes, & EUTYCHES poſtea cum ſuis, opponerent, CYRILLUM in ſuis ad NESTORIUM Epiſtolis & Anathematismis, unicam in CHRISTO Naturam ſtatuiſſe, ſicque in oppoſitum NESTORIO Errorem impegiſſe; diſcutiendum eſt, verene in EUTYCHIANAM & APOLLINARIS Hæreſin incaute fuerit abreptus? Docuit autem APOLLINARIS, CHRISTUM caruiſſe Anima humana, ejus vicem ſupplente Verbo. Deinceps autem emolliit Errorem, admittens in CHRISTO Animam, quoad Effectum vivendi, ſentiendi, non autem quoad Mentem ſeu vim ratiocinandi, quam Verbo adſcripſit.

RESOLUTIO. Catholica fuit S. CYRILLI 238
Doctrina, nec in oppositum NESTORIO Errorem declinavit.

PROB. I. Integram S. CYRILLI quoad Dogma Incarnationis Fidem, commendavit COELESTINUS I. Rom. Pont. in suis ad ipsum CYRILLUM, in altera ad NESTORIUM, in tertia ad JOANNEM Antiochenum datis Epistolis, ubi ipsum *summum Catholicæ Ecclesiæ & Fidei defensorem* appellat: Eandem Doctrinæ Integritatem approbarunt Patres Concilii EPHESINI Actione 1. & 5. & CHALCEDONENSIS Act. 1. 2. & 5. Idem præstitit Concilium CP. II. generale V. cap. 13. 14. quod non alia de causa THEODORETI Scripta damnavit, nisi quod adversus S. CYRILLI Doctrinam & Anathematismos, Calamum strinxisset.

PROB. II. Qui duas in CHRISTO post 239
Unionem Naturas impermixtas & inconfusas, in una Persona subsistentes, constanter professus est & docuit; illius circa Dogma Incarnationis sana est Fides & Doctrina: atqui eas admisit & docuit S. CYRILLUS. Ergo. *Min. prob.* in Epist. ad NESTORIUM hæc scripsit: „ Differentes „ sunt, quæ in veram Unitatem coactæ „ sunt Naturæ; sed unus ex ambabus „ *Christus* & filius existit: non quod Na„ turarum Differentia Unione sublata sit, „ sed quod unum nobis Dominum Jesum „ Christum Divinitas & Humanitas effe-

„ cerint. „ Paria ſcribit alibi, ubique ſibi conſtans.

240 Prob. III. Illius Doctrina Fidei veræ conformis Judicanda eſt, quam nunquam reprobavit, ſed potius probavit, ſuamque fecit Eccleſia, quæ Errorem approbare non poteſt: Atqui ex dictis N. 225. Doctrinam S. Cyrilli hucusque non tantum non reprehendit, ſed probavit Eccleſia, *Columna & Firmamentum Veritatis.* Ergo &c.

241 Objic. I. Duodecim Anathematismos, tanquam Apollinaris hæreſi infectos, impugnavit Joannes Antiochenus, cum ſuis orientalibus, atque Andreæ Samoſateno, & Theodoreto illos confutandi provinciam impoſuit. Hinc etiam Theodoretus & Ibas illos hæreſi infectos eſſe probarunt, quorum ſcripta inter tria capitula probavit Concilium Chalcedonense, aliique Viri orthodoxi, uti Gennadius CP. Patriarcha, & Isidorus Peluſiota; qui eundem Appollinaris Errorem in Cyrillo redarguebant. Ergo non fuit ſana ejus Doctrina.

Resp. Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus, qui Perſonæ Nestorii favebant, & infenſiſſimi fuerunt Cyrilli Hoſtes, antequam Pax inter Eccleſias fuerat redintegrata, hac in re audiendi non ſunt; utpote etiam ab Ephesina Synodo, tum

ob

ob Favorem NESTORIO præſtitum, tum ob impactas S. CYRILLO Calumnias, damnati. Poſtquam vero illi Fraudes & Errores detexerant; ſiniſtram quoque de S. CYRILLI Doctrina opinionem depoſuere. IBÆ Epiſtolam a CHALCEDONENSI Concilio fuiſſe approbatam, negatur, quamquam id teſtentur LIBERATUS & FACUNDUS; quibus, utpote TRIUM *Capitulorum* Defenſoribus, tanta fides adhibenda non eſt. GENNADII librum contra S. CYRILLUM, qui tamen non amplius exſtat, ſuppoſitum fuiſſe, contendit Nat. ALEXANDER; adeo quod vix credibile videatur, virum ſanctiſſimum poſt Concilium CHALCEDONENSE, quod CYRILLI Doctrinam commendaverat, tam intemperanti Stylo adverſus CYRILLUM ſcribere voluiſſe. Itaque Teſtimonia GENNADII, quæ citat FACUNDUS Hermianenſis, ex corrupto quodam Codice tranſumpta fuiſſe videntur. Quodſi autem GENNADIUS vere ea ſcripſit; dicendum, eum Mentem CYRILLI non ſatis fuiſſe aſſecutum. ISIDORUS Peluſiota mendaci Fama ab Orientalibus primum deceptus, melius deinceps de CYRILLO ſenſit. Dicendum ergo, PP. illos Errore Facti fuiſſe deceptos, nec bene intellexiſſe Mentem CYRILLI.

OBJIC. II. Ipſe S. CYRILLUS ſua capitula 242
retractavit, ſaltem implicite; nam ubi Pacem cum Orientalibus iniit, nequaquam

ab ipsis postulavit, ut suos Anathematismos probarent, aut suas in eum effusas Calumnias retractarent. *Ergo* &c.

Resp. Nego *ant.* Quamvis enim Orientales, inter Pacis conditiones hanc quoque ponerent, ut Cyrillus sua scripta revocaret; minime acquievit: prout ipse scripsit Epist. ad Acacium Episcopum Melitinensem, his usus Verbis: „ Quæ vero „ recte contra Nestorii Blasphemias scri„ psimus, ea ejusmodi sunt, ut nulla no„ bis ratione persuaderi possit ut recte „ scripta esse negemus. „ Ideo vero Cyrillus Orientales adigere noluit, ut sua scripta probarent, & calumnias revocarent; quia œconomia quadam usus, maluit Famæ suæ pati Dispendium, quam diutius differri Ecclesiæ Pacem, hoc uno contentus, quod Episcopi illi rectam fidem fuerint professi.

243 Objic. III. Cyrillus pluribus in locis scripsit, *unam esse Christi Naturam*, & *Naturam Verbi incarnatam*: ergo sensit cum Apollinari & Eutyche.

Resp. *Dist.* Scribit, unam esse Christi Naturam, *principalem*, alteri assumptæ conjunctam. *Conc.* Unam *simpliciter*, aut ex duabus compositam. *Neg.* Item dixit, unam naturam *Verbi incarnatam*. *Conc.* Unam *Christi*. Nego. Aliqui existimant, Cyrillum nomine *Naturæ* intellexisse Hypostasin, seu Personam. Alii autem probabilius

babilius cenſent, eum nomine *Naturæ* intellexiſſe ipſam Naturam *Verbi* incarnatam, ſeu, humanæ ſubſtantialiter unitam, quod catholiciſſimum eſt. Etſi enim duæ ſint in CHRISTO Naturæ; ſola tamen Divina incarnata fuit, unumque conſtituit Suppoſitum, quod eſt CHRISTUS, in duabus Naturis ſubſiſtens.

OBJIC. IV. EUTYCHES eandem CYRILLI 244
expreſſionem, nempe, *unam eſſe Chriſti Naturam*, uſurpans, damnatus fuit a Concilio. Ergo damnari quoque debuit CYRILLUS.

RESP. *Diſt. ant.* EUTYCHES eandem uſurpavit expreſſionem S. Cyrilli, ſed diverſo Senſu. *Conc.* Eodem ſenſu. *Neg.* Eutyches intellexit *unam*, non *Verbi*; ſed CHRISTI Naturam ſimpliciter e duabus conflatam. Hinc cum BASILIUS Seleucienſis Eum, CYRILLI authoritate abutentem, hortaretur, ut cum CYRILLO *unam Naturam Verbi incarnatam* profiteretur; id conſtanter detrectavit.

OBJIC. V. CYRILLUS docuit, duas in 245
CHRISTO Naturas poſt Unionem ita coaluiſſe, quomodo in Homine conjungitur Corpus & Anima: atqui Corpus & Anima ita coaleſcunt, ut unam conſtituant Naturam. Ergo juxta CYRILLUM in CHRISTO quoque duæ Naturæ, antea diviſæ, poſt Unionem unam conſtituunt Naturam.

Resp. *Dist.* Docuit, ita coaluisse duas in Christo Naturas, quomodo Anima & Corpus unam constituunt Naturam humanam: & hac comparatione usus est quoad aliquid. *Conc.* Quoad omnia. *Neg.* Nam omnis Paritas claudicat. Id unum ergo voluit, quod, quemadmodum ex Corpore & Anima fit unus Homo, una Persona unum Suppositum; ita ex duabus Naturis, divina & humana, unus fit Christus, una Persona, unum Suppositum: non autem quod fiat una Natura, quemadmodum fit in Homine. Si enim hæc Unio per omnia conveniret cum Unione in Homine; non foret Unio *singularis*, sed *communis*.

246 Objic. VI. Idem docuit, ita unitas fuisse in Christo duas Naturas, ut *sola* deinceps *cogitatione dirimantur*. Atqui *quæ sola cogitatione distinguuntur*, realiter unum sunt: ergo duæ Christi Naturæ post Unionem realiter una sunt.

Resp. *Dist.* Docuit, *sola cogitatione dirimi*, in Sensu veterum. *Conc.* In Sensu hodierno. *Neg.* Veteres illa loquendi formula, *ratione dirimi*, utebantur de iis rebus, quæ etsi forent realiter distinctæ, in uno tamen Subjecto & Supposito sic essent unitæ atque conjunctæ, ut ab invicem divelli & separari non possent. Sic dicebant, Corpus & Animam in Homine, tres in Deo Personas, *sola cogitatione dirimi*.

rimi. Dum contra hodie dicimus, illa per ſolam rationem & cogitationem diſtingui, quæ realiter diſtincta non ſunt, ſed tantum fundamentaliter, ſeu virtualiter, ut Miſericordia & Juſtitia in Deo. Animalitas & rationalitas in Homine: quia, etſi unum ſine altero eſſe non poſſit unum, tamen ſine altero concipi poteſt.

§. III.

De divina Chriſti Natura.

CHRISTUM purum Hominem fuiſſe non 247
Judæi ſolum, Ethnici & Mahometani, ſed plures quoque ex Hæreticis, Chriſtiano Nomine indigni tradiderunt, quos recenſui cap. II. §. I. quoniam vero contra Judæos & Gentiles jam ſupra toto cap. II. oſtendi, Chriſtum eſſe Meſſiam & verum Deum; hinc ſolum contra Hæreticos Divina CHRISTI natura propugnanda eſt.

RESOLUTIO I. CHRISTUS non fuit e virili 248
conſortio JOSEPHI genitus, & purus Homo.

PROB. I. e ſacra Scriptura. Math. I. 18. *Chriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph,* ANTEQUAM CONVENIRENT, *inventa eſt in utero habens de Spiritu S.* Et Angelus ad Joſephum de ſua conjuge: *Quod in ea natum*

tum

tum est, de Spiritu sancto est. Ipsa Virgo MARIA ad Salutationem Angeli expavescens ait: Luc. I. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* cui respondit Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Ergo non fuit natus ex concubitu cum JOSEPHO.

249 PROB. II. Juxta Isaiæ VII. 14. Vaticinium, quod in MARIA impletum fuisse testatur S. Mathæus I. 23. Virgo debuit concipere, & parere Filium, qui esset *Emanuel*, id est, nobiscum Deus: atqui si CHRISTUS fuisset natus ex JOSEPHI consortio, non posset dici, quod MARIA *Virgo* conceperit & pepererit.

250 PROB. III. Ecclesia in suis Symbolis credit *in Jesum Christum filium Dei unigenitum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine* &c. Omitto SS. Patres, præcipue IGNATIUM, JUSTINUM, IRENÆUM, qui eandem Doctrinam in S. Scriptura clare revelatam, & ab Apostolis traditam, ex instituto adversus CERINTUM propugnarunt: atque hoc solum adnoto, S. Joannem, qui postremus omnium suum Evangelium conscripsit, illud, suasque Epistolas opposuisse CERINTHI, aliorumque Erroribus, quos etiam *Antichristos* appellat; atque hinc ceteris clarius de Verbi

bi generatione & Divinitate filii fuiſſe locutum.

OBJIC. I. ad Galatas IV. 4. dicitur :251
Miſit Deus filium ſuum, factum ex MULIERE. Ergo non natum ex *Virgine*, ſed modo communi.

RESP. Nomen *Mulieris*, commune eſt ad exprimendum Sexum fæmineum, nec ſolum de Fæmina virum experta intelligitur. Sic EVA in Paradiſo, antequam fuerat ab Adamo cognita, & dum conſequenter adhuc *Virgo* erat, appellatur *Mulier* Gen. III. 12.

OBJIC. II. In Textu Iſaiæ : *Virgo conci-*252
piet, hebraice legitur : *alma*, id eſt, *Adoleſcentula* concipiet. *Ergo* &c.

RESP. Cum vox hebraica *alma*, ſit ambigua, & nunc *Adoleſcentulam*, nunc etiam *abſconditam* ſignificet ; inhærendum erit Verſioni LXX. qui per *Virginem* transtulerant. Sed & S. HIERONYMUS, linguarum peritiſſimus, obſervat, non recordari ſe, quod *alma* unquam de Muliere *nupta* legatur, ſed de ea, quæ *Virgo* eſt ; ut non ſolum *Virgo* ſit, ſed Virgo junioris ætatis, & in annis Adoleſcentiæ. Idem obſervat, hæc Verba Prophetiæ : *Ecce Virgo concipiet*, poſita eſſe pro Signo novo & mirabili ; Nihil autem foret admiratione dignum, aut extraordinarium, ſi Puella ordinario modo conciperet, Materque fieret.

OBJIC.

253 Objic. III. Vaticinium Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet*, nihil ad Christum pertinet: ergo inde nihil deducitur. *Ant. prob.* I. Loquitur Propheta de Puero, cujus vocabitur nomen *Emanuel*: atqui Christus vocatus non fuit *Emanuel*, sed Jesus: ergo.

Ant. prob. II. Loquitur Isaias de Partu Filii, qui esset Signum liberationis Judæ, Regi Achaz promissæ, ab invasione aliorum Regum Samariæ & Syriæ, quæ liberatio prædicitur futura, antequam Puer ille *sciat reprobare Malum, & eligere Bonum.* Atqui hoc non potest exponi de Christo, post 700. annos nascituro; Igitur debet exponi vel de filio Regis Achaz, vel ipsius Isaiæ.

Ant. prob. III. Eventus hujus Vaticinii fuit impletus tempore Isaiæ; nam postquam Uxor ipsius peperisset Filium, ait Isaias VIII. 18. *Ecce ego & Pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in Portentum Israel.*

Ant. prob. IV. Consequentia hujus Vaticinii Christo aptari non possunt; ait enim: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum, & perituros Reges, antequam Puer sciat vocare Patrem & Matrem*: atqui non legitur, Christum ab infantia nutritum fuisse Butyro & Melle: nec in Christum, etiam ut Puerum, cadere Ignorantia potest, si Deus fuit. *Ergo.*

Resp.

RESP. In illo Vaticinio ISAIÆ Sermo est de duplici Partu: primo de Partu Christi e Virgine: 2. de Partu Filii ISAIÆ, qui tamen Figura erat Partus Christi; ut adeo in Sensu figurato etiam de CHRISTO exponi possint, quæ de filio ISAIÆ dixit Propheta, ut veteres Patres, maxime TERTULLIANUS explicarunt. Ad Prob. I. dico: το *vocabitur*, in Scriptura etiam significat idem, quod, *erit*; ut Sensus sit: ille conceptus & natus e Virgine, erit *Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Imo CHRISTUS revera appellatus fuit DEUS, juxta Vaticinium GABRIELIS: *quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*

RESP. ad Probat. II. Partus CHRISTI e Virgine, non ponitur pro Signo liberationis, sed argumentatur ISAIAS a minore ad majus. Nolebat ACHAZ credere, se a duorum Regum Potentia fore liberandum. Hinc urget Propheta: si Deus potest facere quod majus est, nempe ut Virgo, talis manens, concipiat & pariat Deum: utique Deus etiam potest, quod minus est, nempe liberare ACHAZ ab Hostium Potentia. Atqui *Virgo concipiet & pariet*: Ergo &c. Cumque timeret ACHAZ, Domum David ab istis duobus Regibus forе exscindendam; securum eum reddit Propheta, quia prædicit, Messiam e Domo David oriundum, consequenter hanc Domum non destruendam esse. Ut illum autem adhuc securius crederet; loquitur

etiam

etiam de Partu Filii ſui, cui impoſuit Nomen: *accelera*, ſpolia *detrahere*, *feſtina prædari*; *quia antequam ſciat Puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris a facie duorum regum ſuorum.* Item: *Antequam ſciat Puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Quamvis, ut dixi, Prophetiſſa etiam fuerit figura MARIÆ, & omnia in CHRISTO excellentiore quodam modo adimpleta fuerint, quando in adoratione Magorum infidelitas & Idololatria, tanquam ſpolia Damaſci & Samariæ, Regi Aſſyriorum, id eſt, Dæmoni a Chriſto abrepta fuerunt.

RESP. ad III. Prob. Vaticinium Iſaiæ quantum de Chriſto, non ſpectabat ſolum præſentes, ſeu, tunc viventes Judæos, ſed totam Domum David, e qua oriundus prædicitur CHRISTUS. Hinc ait Iſaias: *Audite ergo Domus David*: Vaticinium tamen de altero Partu Filii Prophetæ, ſpectabat Judæos, tunc præſentes.

RESP. ad IV. Prob. Verba illa: *Butyrum & mel comedet*, hunc habent Senſum: quod, etſi Meſſias ſit modo prorſus admirando & extraordinario concipiendus & pariendus; communis tamen cum ceteris Infantibus, qui dulcibus rebus maxime delectantur, ratione & Alimento nutriendus & educandus ſit. Neque Ignorantiam paullatim ſuperandam, illa Verba,

ba, *ut ſciat reprobare malum* &c. in Chriſto denotant, ſed hoc ſolum, quod communi cum Infantibus More Scientiam & Rationis uſum non ſtatim in Ortu, ſed ſucceſſive manifeſtaturus ſit, ut rerum ignari judicare poſſent, nihil ſupra Hominem in illo Infante deliteſcere. Hinc dicitur etiam, Chriſtum creviſſe Ætate & Sapientia: non in ſe, ſed in Mente aliorum. Legatur CALMETI ſingularis Diſſertatio de hoc Vaticinio, & Interpretes paſſim.

RESOLUTIO II. Jeſus Chriſtus fuit verus Deus, Verbum Patris, eique conſubſtantialis. 254

PROB. I. Chriſtus in S. Scriptura expreſſe dicitur *Deus*, & *filius Dei unigenitus*, *Verbum* &c. Ergo fuit verus Deus. *Ant. prob.* Cum Chriſtus interrogaret Apoſtolos Math. XVI. 13. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.* At vero hoc Reſponſo non contentus, volens ſignificare, ſe plus his omnibus eſſe, *dicit illis Jeſus: vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Quod Reſponſum approbans Jeſus, dixit ei: *Beatus es Simon Bar Jona; quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Quibus Verbis ſe Filium Dei vivi, & Deum, Patrem ſuum demonſtravit:

quod CHRISTUS, quem saltem Hominem sanctum fuisse non negant Hæretici, contra quos hic agimus, nec tolerare, nec probare citra Mendacium & Seductionem potuisset, nisi verus Deus fuisset.

255 PROB. II. S. Joannes Evangelista his Verbis suum concludit Evangelium cap. 20. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quoniam Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

256 PROB. III. THOMAS Apostolus, CHRISTI Januam clausam ingressi Latus apertum tangens, exclamavit Joan. XX. 28. *Dominus meus, & Deus meus*: quam confessionem probavit CHRISTUS sequentibus Verbis: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt & crediderunt.*

Nec dicant Adversarii, THOMAM loqui de Deo Patre; nam præmittit Evangelista: *Dicit ei*, id est, CHRISTO: *Dominus meus, & Deus meus.* Ergo loquebatur de CHRISTO.

257 PROB. IV. PAULUS Act. XX. 28. hortatur Episcopos regere *Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo*: ubi CHRISTUS, qui utique suo Sanguine acquisivit Ecclesiam, expresse nominatur *Deus*. Item Joan. I. Ep. III. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille Animam suam pro nobis posuit.*

PROB.

PROB. V. Idem PAULUS Rom. IX. 5.258 *Quorum Patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem* (per Mariam Matrem) *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Ergo Chriſtus *Deus* eſt.

PROB. VI. Joan. Evang. cap. I. *In Prin-*259 *cipio erat Verbum . . . & Deus erat Verbum: . . . & Verbum caro factum eſt.* Prætereo Textus alios, ubi dicitur *Filius*, *Filius unigenitus Patris*, *a Patre ante Luciferum*, *ex utero genitus.*

PROB. VII. Prædicata Deo propria, uti260 Æternitas, Omnipotentia, cordium ſecretorum cognitio, Mundi Creatio, rerum omnium conſervatio, Miraculorum propria Virtute patratio, Peccatorum Remiſſio &c. tribuuntur Chriſto; ergo fuit verus Deus.

PROB. VIII. CHRISTUS dixit ſe Filium261 Dei, æqualem ſe faciens Deo, ſuamque Aſſertionem firmavit Miraculis. Ergo fuit verus Deus; quia Aſſertum falſum Deus Miraculis roborare non poteſt, ut jam alibi obſervatum fuit. *Prob. ant.* Joan. V. 18. legitur: *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* A CAIPHA in Synedrio per Deum vivum adjuratus, ut ipſi diceret, ſi eſſet filius Dei.

Reſpondit, *Tu dicis*, Math. XXVI. 63. quod idem eſt ac: *Affirmo*, vel, *ſum*, quod pro enormi Blasphemia interpretabantur Livore obcæcati Judæi. Ipſe CHRISTUS provocavit ad ſua miracula: *Si mihi non vultis credere*, dicens, *Operibus credite*. Joan. X. 38.

262 PROB. IX. Ex abſurdis. Si CHRISTUS non fuit verus Deus: ſequitur 1. eum juſte a Judæis fuiſſe interemptum propter Blasphemiam, qua ſe jactabat Deum. Sequitur 2. CHRISTUM & Apoſtolos ſtudioſe induxiſſe Populos in Errorem, iis de Chriſto utendo loquendi modis, qui in purum Hominem cadere non poſſunt. Sequitur 3. falſam eſſe Chriſtianorum Religionem, quæ Chriſti Divinitati, tanquam Fundamento innititur: ruit quoque ſublimitas Myſterii Incarnationis, tantopere ab Apoſtolis & Patribus commendata. Sequitur 4. CHRISTO a S. Scriptura falſo tribui Elogia, Filii Dei unigeniti, Primogeniti, qui eſt in ſinu Patris &c. hunc-que loquendi modum falſum eſſe, impium, & ſeductivum, ſi in propria Significatione CHRISTO non conveniant. Sequitur 5. Apoſtolos, qui CHRISTUM verum Deum annuntiarunt, Mentem Prophetarum, aut non fuiſſe aſſecutos, aut temere depravaſſe; cum tamen a Spiritu S. omnem fuerint Veritatem edocti. Atque hæc abſurda Neſtorianis & Socinianis devoran-

da

da sunt. Sequitur 6. Stultissimos fuisse SS. Martyres, qui ob Divinitatis CHRISTI confessionem innumera & acerbissima passi fuerunt Tormenta, ut passim legere est in Actis sinceris SS. MM. a nostro RUINARTO editis. Hoc autem Argumentum inde plus Roboris habet, quia ex Inspiratione divina locuti sunt Martyres: ut promiserat Christus Marc. XIII. *Cum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim Vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

OBJIC. I. Nomen *Dei* in S. Scriptura 263
CHRISTO tributum, potest accipi in Sensu metaphorico: quemadmodum MOYSES dictus fuit, *Deus Pharaonis*, ergo: *Ant. prob.* Dum CHRISTUS Joan. X. 34. se dicebat Filium Dei, cumque propterea tanquam blasphemum lapidare volebant Judæi, Christus respondit: *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos Sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?* Itaque CHRISTUS insinuare voluit, se non alio modo Deum esse, quam in Sensu metaphorico: secus argumentum nullius fuisset roboris.

Resp. Nego *ant.* Ad Prob. dico, Christum ibi argumentari a minori ad majus; Si Blasphemia non eſt, illos appellare Deos, qui erant tantum Miniſtri Dei, ceterum puri homines; multo minus ego Blasphemiæ argui potero, dum me dico Deum, qui ſum verus Dei Filius, miſſus in hunc Mundum a Patre.

264 Objic. II. Miracula a Christo patrata, non probant ejus Divinitatem: ſi illa non patravit propria Virtute. Atqui non patravit propria Virtute, ſed communicata a Deo: quemadmodum Moyses: ergo. *Min. prob.* Ipſe Christus fatetur Joan. V. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quidquam.* Et Math. XXVIII. 18. *Data eſt mihi omnis Poteſtas in Cælo & in Terra.*

Resp. Nego *min.* Ad textus dico, Christum ibi vel loqui de ſua Natura humana: quæ omnia habet a Divinitate: vel ſi de Divina; tunc quia ut Deus a Patre procedit, totam ſuam Eſſentiam habet a Patre, ſed tamen propriam, quia Patri conſubſtantialem.

265 Objic. III. Solus Pater æternus, Deus eſt: ergo Chriſtus non eſt Deus. *Ant. prob.* Christus ipſe ait. Joan. XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cogno ſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum:* ubi ſatis a Patre ſe diſtinguit, quem appellat

ſolum

ſolum verum Deum; non eſſet autem *ſolus*, ſi etiam ipſe CHRISTUS eſſet *Deus*.

RESP. Nego *ant*. Ad *Prob*. dico, particulam *ſolum*, non eſſe *excluſivam* Chriſti, ſed falſorum Deorum, & Senſus eſſe poteſt: Hæc eſt Vita æterna ut cognoſcant Te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, ſolum verum Deum eſſe, prout expoſuit SS. AUGUSTINUS & AMBROSIUS.

OBJIC. IV. CHRISTUS in S. Scriptura vocatur *Homo*, oppoſitus Deo. 1. Timoth. II. 5. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & Hominum, Homo Chriſtus Jeſus.* 256

RESP. *Diſt*. Unus Deus, *Unitate Naturæ*, & ad excludendos Deos Gentilium falſos. *Conc*. Unus *unitate Perſonæ*, ad excluſionem Filii. *Neg*. *Subdiſt*. Ad excluſionem CHRISTI, qua Hominis. *Conc*. Qua verbi, aut Suppoſiti. *Neg*. Itaque CHRISTUS Mediator eſt, quia Mediatoris Officia exſecutus eſt in Natura humana, & in tantum Homo; nec enim potuiſſet Deus ſibi ipſi ſatisfacere. Hinc Filius Dei aſſumpſit Naturam humanam, in qua ſatisfecit Deo, & ſibi etiam ipſi, quatenus Deo: quemadmodum etiam Sacerdos eſt, & Victima, & Sacrificium ſibi Deo obtulit Homo.

OBJIC. V. CHRISTUS dicitur *factus* Act. II. 36. *Sciat ergo omnis Domus Iſrael*, 267

quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum. Ergo non eſt Deus.

RESP. *Diſt. Factus* eſt, quantum ad Naturam humanam. *Conc.* Divinam. *Neg.*

268 OBJIC. VI. CHRISTUS dicitur *ſubjectus Patri.* I. Corinth. XV. 28. *Cum autem ſubjecta fuerint illi* (Patri Deo) *omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Ergo CHRISTUS non eſt Deus.

RESP. Eodem modo. Eſt enim ibi Sermo de CHRISTO, tanquam Eccleſiæ & Electorum Capite, qua ratione Patri ſubjectus eſt.

269 OBJIC. VII. CHRISTUS accepit Regnum a Patre ad tempus, quo Termino completo illud reſtituat Patri: ergo non eſt Deus, qui Regnum a ſe abdicare non poteſt. *Ant. prob.* I. Cor. XV. 24. *Deinde Finis, cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem* &c.

RESP. Eodem modo de Natura humana. Erit enim tunc Finis Eccleſiæ *militantis*, cujus Regnum competit Chriſto capiti. Neque hoc Regnum tunc a ſe abdicabit, ſed una cum Patre imperabit integræ Sanctorum Multitudini, ſeu, Eccleſiæ *triumphanti.*

270 OBJIC. VIII. CHRISTUS ob ſuam Virtutem meruit *prædeſtinari* Filius Dei: ergo non

non fuit verus Deus, quia primum *prædestinatus*. *Ant. prob.* Rom. I. 3. PAULUS loquens de CHRISTO ait: *Qui factus est ei ex Semine David secundum carnem; qui prædestinatus est filius Dei in Virtute secundum Spiritum Sanctificationis ex Resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.*

RESP. Sensus est, Naturam humanam fuisse prædestinatam, ut hypostatice uniatur cum Divina. τὸ in *Virtute*, non est idem, ac *ex Meritis*, sed denotat Naturam superiorem, seu, divinam, quæ maxime elucet in communicatione Spiritus S. Alii, præcipue Patres Græci, τὸ *prædestinatus*, exponunt pro, *declaratus*, ut sensus Pauli sit: Idem ille, qui factus est ex Semine David secundum carnem, seu, verus Homo, etiam *declaratus*, & evidentibus argumentis *comprobatus* est, esse filius Dei in Virtute, seu per Potentiam miraculorum. 2. *Secundum Spiritum Sanctificationis*, id est, per effusionem Spiritus S. 3. *Ex Resurrectione Mortuorum*, quia seipsum suscitavit a mortuis, uti prædixerat: *Solvite Templum hoc.* Joan. II. 29.

§. IV.

De humana Christi Natura.

Hæreticorum Princeps SIMON *Magus* cir-271
ca humanam CHRISTI Naturam primus erravit, asserens, seipsum esse unicam Tri-

nitatis Perſonam, quæ ut Pater olim Judæis legem dediſſet in Monte *Sinai*: qui deinde Tempore TIBERII Imperatoris ut Perſona Filii apparuiſſet in carne, non vera tamen, ſed ad Speciem tali: qui denique ut Spiritus S. in Forma Linguarum ignearum deſcenderit in Apoſtolos. Diſcipulos habuit SATURNINUM, & BASILIDEM, qui hoc etiam addidit, non ipſum CHRISTUM fuiſſe crucifixum, ſed ejus loco SIMONEM *Cyrenæum*, cui ſuam CHRISTUS ſubſtituerat ſpeciem, hac ratione ſic illudens Judæis. Sed de hac Phantaſiaſtarum Hæreſi vide dicta cap. II. §. II. contra hos ſtatuitur

272 RESOLUTIO. Chriſtus verus Homo fuit, non ſolum quoad apparentiam.

PROB. I. ex S. Scriptura. JOANNES Apoſtolus uti Divinam CHRISTI Naturam, ſic humanam quoque clariſſime adſtruit, tum in Evangelio: his verbis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, tum in Epiſt. I. cap. IV. *Multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum Chriſtum*, (ſeu, non confitetur in carne veniſſe,) *ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Paulus Rom. I. 3. *Qui factus eſt ei ex Semine David* (per Matrem) *ſecundum carnem.*

PROB.

PROB. II. Qui vere eſt natus, factus ex273 Muliere, qui vere paſſus, crucifixus, mortuus eſt, & reſurrexit in carne palpabili, ille verus eſt Homo, & non Phantasma: atqui CHRISTUS vere eſt *natus*, *factus* &c. Ergo vere eſt Homo. *Min.* conſtat ex innumeris S. Scripturæ locis, præcipue quando poſt Reſurrectionem apparens Diſcipulis, de Veritate carnis ejus dubitantibus dixit Luc. XXIV. 39. *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & Oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: & ex Symbolis Eccleſiæ, ex Traditione unanimi SS. Patrum & Conciliorum, & ex rationibus Theologicis, quibus Patres hunc Errorem refutarunt: quorum 1. eſt IRENÆI: Si CHRISTUS non fuit verus, ſed apparenter Homo; tunc nulla eſt Differentia inter apparitiones Dei in V. T. & inter Incarnationem, quod eſt abſurdum. 2. Sequitur, quod non *vere*, ſed *ficte* fuerimus redempti, & CHRISTUS non fuerit *Mediator*, ſi in carne vere humana non ſatisfecit Patri, nec Pretium Redemptionis exſolvit. 3. Eſt TERTULLIANI: Si CHRISTUS ſolum putative fuit Homo, tunc etiam putative ſolum fuit Deus; quia eodem modo de ejus Divinitate loquitur ſcriptura, quomodo de ejus Humanitate. 4. Sequitur, Deum Senſibus hominum illuſiſſe, & induxiſſe nos in Errorem, fingendo ſe Hominem, qualis non fuiſſet. Atqui iſta Deceptio cadere non poteſt in

æter-

æternam Veritatem. 5. Si non Dei Filius, ſed SIMON *Cyrenæus* crucifixus fuit, tunc per SIMONEM, & non per CHRISTUM eſt noſtra ſalus & Redemptio, uti ratiocinatur S. EPIPHANIUS. 6. Sequitur, fictitium eſſe EUCHARISTIÆ Myſterium, ubi veram Chriſti carnem & Sanguinem realiter præſentem eſſe credimus, ſi CHRISTUS veram carnem nunquam habuit. Atqui hæc omnia abſurda ſunt. *Ergo* &c.

274 Objiciunt Phantaſiaſtæ I. CHRISTUS non verus Homo fuit, ſed juxta PAULUM ad Philipp. II. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

RESP. *Diſt.* Factus in Similitudinem *naturalem*, quemadmodum dicitur: Simile generat ſibi ſimile. *Conc.* In Similitudinem ſolum *adumbrativam*. *Neg.* Et *habitu inventus ut homo*, verus quidem, ſed non purus, qualis tamen videbatur.

275 OBJIC. II. idem Paulus Rom. VIII. 3. dicit: *Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati.*

RESP. *Diſt.* In Similitudinem Peccati. *Conc.* In Similitudinem carnis umbratilem. *Neg.* Senſus eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe veram carnem, quæ *videbatur*, ſed non *erat* caro *peccatrix*, ſeu labe originis affecta. Videbatur CHRISTUS Peccator, qui non propter ſua, ſed noſtra Peccata paſſus eſt, & Peccata noſtra portavit.

OBJIC.

OBJIC. III. Illud non assumpsit Filius276
Dei, quod in cœlo locum non habet. Atqui *Caro & Sanguis Regnum Dei non possidebunt* ut dicitur I. Corinth. XV. 50.

RESP. Apostolum loqui, non de *Substantia* carnis, sed de *Operibus* carnis, non secundum Spiritum Dei factis, seu, de Peccatis. Imo ibi ex instituto agit de Resurrectione corporum, eorumque glorificatione.

OBJIC. IV. Filius Dei in Vet. Test. ap-277
paruit Patribus humana carne indutus, ambulavit, locutus est, comedit: nec tamen illa caro vera fuit, sed putativa. Ergo etiam &c.

RESP. Transf. *ant.* Nam quidam Patres negant Filium vere apparuisse in carne, sed apparuisse Angelos Dei personam referentes. Alii Patres existimant, Filium Dei assumpsisse quidem ad Tempus veram carnem, sed non *natam*, nec *morituram*. Nego autem *conseq.* Cum enim illæ Apparitiones fuerint Figuræ Adventus CHRISTI; hic in vera carne apparuisse debuit, quia omnis Figura *Veritatem* præfigurat, non *umbram*.

OBJIC. V. Angeli apparentes Patriarchis,278
quamvis etiam viderentur manducare, aliasque Operationes Hominis exercere, habuerunt tamen Corpora solum phantastica, ex aëre formata. Ergo etiam; licet

CHRI-

CHRISTUS videretur manducare, palpari &c. corpus tamen habuit ſolum phantaſticum.

RESP. Actiones Angelorum in corpore ex aëre formato, non erant *vitales*, ſed ſimulatæ; prout ipſi fatebantur, uti RAPHAEL Tobiæ XII. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; ſed ego Cibo inviſibili utor*: & hac ratione Errorem exemerunt Hominibus: Chriſtus autem *vere* natus, *vere* manducavit, crevit, paſſus & mortuus eſt: quod Phantasmati non competit; & debuiſſet æterna Veritas Hominibus, qui tot Argumentis convicti ipſum Hominem verum credebant, eximere Errorem, niſi verus Homo fuiſſet.

279 OBJIC. VI. Caro eſt indigna Deo: ergo non potuit a Deo aſſumi.

RESP. *Diſt. ant.* Caro eſt indigna Deo, per ſe & ratione ſui. *Tranſ.* Si eam Deus dignam facit. *Neg.* Sic Tertullianus: *Nulla res digna Deo: tamen quodcunque induerit, ipſe dignum facit absque mendacio.* Dein, ſi caro eſt Deo indigna; tunc æque indigna erit carnis Similitudo, ficta a Phantaſiaſtis.

280 OBJIC. VII. Si Deus aſſumpſiſſet veram Naturam humanam; tunc fuiſſet mutatus: hoc autem repugnat Deo immutabili. Ergo.

RESP.

RESP. Nego Sequelam: vel *dist.* Si assumpsisset Naturam hominis, per sui annihilationem, aut conversionem in Naturam humanam. *Conc.* Si solum assumpsit, permanens Deus, uniendo sibi carnem. *Neg.*

§. V.

De vera carne Christi ex Maria Virgine assumta.

EX dictis §. præced. facile consequitur, 281
Christum verum corpus habuisse; quia sine hoc, Natura humana non esset. Fuerunt tamen Hæretici alii, qui licet CHRISTO corpus non negarent, illud tamen non e MARIA assumptum, sed e Cœlo delatum, per MARIAM, quasi canalem, ut Aqua per Fistulam transiisse contendebant. Hos inter præcipuus VALENTINUS, SECUNDUS, unde orti Secundiani, HERACLEO, ISIDORUS, CORPOCRATIS Hæretici filius, PTOLOMÆUS, & APELLES, MARCIONIS sectator: de quo TERTULLIANUS Præscript. cap. 51. scribit: „ Christum neque in „ Phantasmate dicit fuisse, sicut MARCION; „ neque in Substantia veri corporis, ut „ Evangelium docet; sed in eo, quod „ in superioribus Partibus descenderet, „ ipso Descensu Sydeream sibi carnem, „ & aëream contexuisse. Hunc in Resur-

„ rectione

„ rectione ſingulis quibusque Elementis, „ quæ in Deſcenſu ſuo mutuata fuiſſent, „ in Aſcenſu reddidiſſe; & ſic diſperſis „ quibusque Corporis ſui Partibus in cœ- „ lo Spiritum tantum reddidiſſe. „

282 Cum autem Fides catholica doceat, CHRISTUM veram carnem aſſumpſiſſe e Subſtantia B. V. MARIÆ Matris ſuæ; quæritur, an ex ipſius Utero prodierit, ſalva ejusdem Integritate Virginali; ſeu, utrum fuerit Virgo in Partu; nam ante Partum fuiſſe Virginem, nullus ut arbitror, Chriſtianorum negavit unquam. Contra eos, qui Chriſtum communi ceterorum Hominum More ex Virili ſemine Joſephi natum, conſequenter Mariam in Partu non fuiſſe Virginem aſſeruerunt, jam egi ſupra N. 248. Quibus proxime accinunt Jovinianus Sæcul. IV. & Lothardus Sæc. XIV. Imo & TERTULLIANUS, qui lib. de Carne Chriſti cap. 24. Mariam aperta Vulva Chriſtum genuiſſe ſcripſit: „ Et „ Virgo quantum a Viro; non Virgo „ quantum a Partu; quia Apoſtolus non „ ex Virgine, ſed ex Muliere editum, „ Filium Dei pronuntiavit, agnovit ad- „ apertæ Vulvæ nuptialem Paſſionem. „ Ratramnus IX. ſæculo Corbejenſis Monachus, CHRISTUM aperto Virginis Utero prodiiſſe ſcripſit, mox refutatus a Paſchaſio Radberto, ejus Monaſterii doctiſſimo Monacho. Hodierni Calviniſtæ;

niſtæ, & qui ex Philoſophis Penetrationem Corporum paſſibilem cum iisdem negant, CHRISTUM reſerato Utero prodiiſſe, in conſequentiam Syſtematis docere debent. Erant autem & alii, qui MARIAM, ante, & in Partu, ſed non poſt Partum, *Virginem* manſiſſe, aſſeruerunt, quos inter HELVIDIUS, ab HIERONYMO confutatus, APOLLINARIS, EUNOMIUS, BONOSUS. Quidam in Hiſpania ſæcul. VII. a S. ILDEPHONSO refutati, MARIAM, poſt natum Chriſtum carnaliter a JOSEPHO cognitam, alios genuiſſe liberos, exiſtimarunt, qui fuerint Fratres & Sorores Chriſti, in Evangelio commemorati.

RESOLUTIO I. CHRISTI corpus e Maria 283 aſſumptum, non e cœlo delatum fuit.

PROB. I. Omnibus iis Argumentis, quibus ſupra N. 193. ſeq. oſtenſum fuit adverſus Neſtorium, B. V. M. vere fuiſſe *Deiparam*.

PROB. II. CHRISTUS, ex dictis, verus fuit Homo, & Filius hominis, quo Nomine ſeipſum ſæpiſſime compellavit, *factus ex Muliere*, Gal. IV. 4. *factus ex Semine David ſecundum carnem*. Rom. I. 3. *Ortus ex Juda*, ut dicitur ad Hebr. VII. 14. *Manifeſtum eſt; quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter*. Fuit Semen Evæ, ut Serpenti prædixit Deus. Gen. III. 15. *Inimicitias ponam inter Semen tuum, & Semen illius; Ipſa* (Virgo per Filium) *Ipſum*, hoc eſt, Semen: *Ipſe*, id eſt, Filius Seminis tui)

conteret caput tuum. Denique, *Filius Adam* Luc. III. 38. *Filius David*, *Filius Abraham* Math. I. Atqui hæc omnia falsa forent, si corpus aliunde, quam de Substantia humana Matris suæ assumpsisset. Ergo &c.

284 PROB. III. Rationibus Patrum. Ita post allatos hosce aliosque Textus ratiocinatur IRENÆUS lib. III. adversus Hæreses cap. 32. Si nihil ex MARIÆ terrena Substantia sumpsit CHRISTUS; tunc nunquam Escas percepisset terrestres, per quas nutritur corpus terrestre. II. Tunc nec jejunavit, nec esuriit, nec sitiit, nec doluit, nec lachrymatus est, nec Sanguinem sudavit: hæc enim omnia, inquit, Signa carnis, quæ a Terra sumpta est: atqui CHRISTUM jejunasse, clarissime Scriptura testatur. *Ergo.* III. Ut ratiocinatur TERTULLIANUS de carne Christi cap. 21. Si e MARIA non habuit corpus; tunc illa eum neque concepit, neque peperit, nec Christus dici potest Fructus ventris MARIÆ: quomodo tamen benedictum salutavit Elisabeth.

285 OBJIC. I. CHRISTUS natus *in* MARIA, non *ex* ea Math. I. *quod in ea natum est, de Spiritu S. est.*

RESP. Nego *consq.* Utrumque enim verum est, *in*, & *ex* ea natum fuisse Christum; Nam dicit ad eam Angelus: *Quod nascetur* EX *te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Dici-

Dicitur dein: *Peperit Filium ſuum primogenitum: de qua natus eſt Jeſus.*

OBJIC. II. CHRISTUS MARIAM, Matrem286 ſuam eſſe, non cognovit; cum enim dixiſſet ad eum Joan. II. 3. *Fili, Vinum non habent*; reſpondit; *Quid mihi, & tibi eſt Mulier*? Item in Cruce ad eam de Joanne Joan. XIX. 26. *Mulier, ecce Filius tuus*? Denique cum nuntiatum ipſi fuiſſet Math. XII. 47. *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris ſtant*: repoſuit: *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei*? Ergo &c.

RESP. Nego *ant.* Quamvis enim CHRISTUS ibi eam non appellaverit *Matrem*; non ideo tamen eam negavit eſſe; imo Evangeliſtæ divinitus inſpirati, eam ſæpius appellant *Matrem Jeſu.* Ideo autem dixit in Nuptiis: *Quid mihi, & tibi eſt Mulier? nondum venit hora mea*; ut oſtenderet, nihil ſibi eſſe commune cum ea, quoad Vim patrandi Miracula intempeſtive, etſi Naturam haberet cum ea communem, utpote eidem conſubſtantialis. Quando autem dixit: *Quæ eſt Mater mea?* voluit inſinuare, cognationem Spiritualem, quæ conſiſtit in Conformatione Voluntatis humanæ cum Divina, præferendam eſſe carnali. Dum vero dicit in Cruce: *Mulier, ecce Filius tuus*, expreſſe præmiſit Evangeliſta, hæc verba dixiſſe *Matri ſuæ.* Noluit forte tunc appellare *Matrem*, ne

ab Hoſtibus vicinis agnita, male propterea haberetur, ut advertunt Interpretes.

287 Objic. III. Quamvis Joseph & Maria dicantur in Evangelio *Parentes Chriſti*; Luc. II. 41. 48. non ſequitur, Josephum fuiſſe verum Patrem, ſed putativum: ergo etiam, licet Maria dicatur *Mater*, non ſequitur, fuiſſe *veram*, ſed *putativam*.

Resp. Diſparitas inter Josephum & Mariam eſt; quia ille expreſſe in ſcriptura appellatur Pater *putativus*: Luc. III. 23. *Erat Jeſus annorum quaſi* 30. ut putabatur Filius Joſeph: & Maria dum parit, vocatur *Virgo*, quo ſatis excluditur Paternitas naturalis Josephi; contra de Maria dicitur, quod ſit *natus ex ea*, non autem, quod ſit natus ex Joseph.

288 Objic. IV. Chriſtus de ſe dicit: de cœlo deſcendiſſe Joan. III. 13. VI. 41. Ergo &c.

Resp. *Diſt.* Deſcendit de cœlo, quoad Perſonam & Naturam Divinam. *Conc.* Quoad Corpus. *Neg.*

289 Objic. V. Paulus ait I. Cor. XV. 47. *Primus Homo de terra terrenus: ſecundus Homo de Cœlo cœleſtis*: ergo corpus Christi non terreſtre fuit, ſed *cœleſte*, quia opponitur corpori Adæ *terreſtri*.

Resp.

Resp. *Dist.* Secundus Homo de cœlo cœlestis: ratione *Virtutis*, qua conceptus est de Spiritu S. *Conc.* Ratione Carnis de cœlo delatæ. *Neg.* Atque ita ut ait S. Hilarius lib. X. de Trinit. *Cum & Homo est, & de cœlis est; Hominis hujus & Partus a Virgine est, & conceptus ex Virgine est.*

Objic. VI. Si habuisset corpus *terrestre*: 290
tunc inferior fuisset Angelis, qui sunt Substantiæ terrestris expertes. Atqui hoc est absurdum. *Ergo.*

Resp. *Dist.* Fuisset inferior Angelis, quoad naturam humanam. *Conc.* Quoad Divinam & Personam, qua caput est Angelorum. *Neg.*

Resolutio II. Maria, Virgo fuit ante, 291
& in Partu.

Prima Pars a nullo Christianorum negatur, & clare patet ex Isai. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet.* Et ex Evang. Luc. I. 26. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam* Virginem: & ex Symbolis Ecclesiæ.

Prob. II. Pars. Isaias insolitum quid prædicens, ait loc. cit. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*: atqui insolitum non foret, si Virgo tantum foret in *conceptione* & non etiam in *Partu.* In Symbolis Fidei dicitur Christus *conceptus de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.* Atque in hoc etiam Patres consentiunt, quorum Tex-

tus facile alibi legere est. Inde autem infertur CHRISTUM non aperta Matris Vulva, clausoque Utero prodiisse, quomodo prodiit e sepulchro clauso, & ad Discipulos intravit Januis clausis. Quod firmatur ex Prophetia Ezechielis XLIV. 2. *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*: quam de Utero MARIÆ clauso, exponunt PP. plurimi: uti & illa Verba: *Hortus conclusus, Fons signatus.* Cant. IV. 12.

292 OBJIC. I. Luc. II. dicitur: *Postquam impleti sunt Dies Purgationis Mariæ secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens Vulvam, sanctum Domino vocabitur:* Ex quo duo consequuntur: 1. quod CHRISTUS aperuerit Vulvam Matris: quæ Apertio, obest Virginitati: 2. completos fuisse Dies *Purgationis* MARIÆ: seu, Profluvii Sanguinis, qui consequitur Uterum reseratum.

RESP. Nego utramque Sequelam, & explico Evangelistam: Textus Levitici hic citatur, non ad indicandum, Vulvam Mariæ fuisse apertam, utpote quæ peperit miraculose præter Ordinem Naturæ; sed quia Lex loquens de Partu communi, quo Primogenitus aperit Vulvam, jusserat,

rat, Maſculum primogenitum Deo offerri. Dein *Aperire Vulvam*, in S. Scriptura non ſolum denotat Apertionem *materialem*, ſed Fertilitatem, quam revera habuit MARIA, facta per Spiritum S. fœcunda, & genitrix Dei: quemadmodum a contrario *concludere Vulvam*, in ſcriptura denotat, *reddere ſterilem*. Gen. XX. 18. I. Reg. I. 5. Alter loquendi modus tantum denotat, completos fuiſſe Dies 40. quibus Fœmina, *ordinarie* pariens, ob Sanguinis Profluvium legaliter immunda, & per Sacrificium erat purganda. Cum autem MARIA clauſo utero peperit, nec fuerit facta immunda; Legi Purificationis non erat obnoxia: cui tamen voluit ſe ſponte ſubjicere, tum ex Humilitate, tum ut Partum virgineum celaret, nec aliis rei hujus ignaris, præberet Scandalum transgreſſionis Legis. Eſt ergo Senſus; cum impleti ſunt Dies, quibus alias Fœmina immunda, erat purganda &c.

OBJIC. II. Non ſolum TERTULLIANUS, ſed etiam ORIGENES, & HIERONYMUS ſcripſerunt, Vulvam *Mariæ* tempore Partus fuiſſe apertam. *Ergo.* 293

RESP. TERTULLIANUS & ORIGENES cum alibi ſæpius erraverint, hic tantopere curandi non ſunt. HIERONYMUS durius non nihil locutus, cum tamen perpetuam MARIÆ Virginitatem adverſus HELVIDIUM pro-

pugnaverit, benigne exponendus est in Quæstione, ab Ecclesia non definita, qualis est ista, an aperto Utero prodierit Christus? cum fuerint & alii, qui dixerunt, Christum in corde conceptum, e latere Mariæ prodiisse. Hic præstat pie credere, quam curiosius inquirere.

294 Resolutio III. Maria etiam post Partum, *Virgo* permansit, nec carnaliter cognita fuit a Josepho, aut alio.

Prob. I. SS. Patres contrariam Opinionem vocant *magnam Insaniam*, uti Origenes: *Sacrilegium*, uti Ambrosius: *Blasphemiam*, uti Epiphanius. Ergo.

II. Hæc est Mens Ecclesiæ & Fidelium, quæ Mariam appellans & invocans, semper addere solet *Virginis* appellationem, uti ratiocinatur Epiphanius.

III. Est communior Patrum Sententia, quod Maria emiserit perpetuæ Virginitatis Votum, quod bene multi etiam de Josepho asseverant. Insuper consentiunt cum Ecclesia; Mariam nullius, ne venialis quidem Culpæ labem unquam contraxisse: atqui peccando contra Virginitatis perpetuæ Votum, graviter peccasset. Ergo. Hinc Concilium VI. Act. 2. ait: *Mariæ Virginitas ante, in Partu, & post Partum intemerabilis.*

295 Objic. I. Mathæi I. 18. dicitur de Josepho & Maria: *Antequam convenirent, inventa est habens de Spiritu S.* quo innuitur,

nuitur, quod poſtea convenerint. *Ergo.*

Resp. Cum S. Hieronymo in Commentario ad hunc locum: *Non ſequitur ut poſtea convenerint; ſed Scriptura, quod factum non fuerit, oſtendit.*

Objic. II. Ibidem dicitur 25. *Et non* 296
cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: ergo poſtea cognovit: ſecus non foret *Primogenitus*, niſi ſecutus fuiſſet *Secundogenitus.*

Resp. ut ſupra. *Primogenitus* autem ſumitur hic, vel pro *Unigenito*, vel pro eo, ante quem prior natus non eſt; etſi alter non fuerit ſecutus.

Objic. III. In Evangelio commemoran- 297
tur Fratres Jesu. Ergo ſunt Filii Mariæ, ex Josepho poſtea ſuſcepti.

Resp. Non defuere etiam ex Patribus, qui putabant, Josephum, dum deſponſabatur Mariæ, fuiſſe Viduum, & ex priore conjugio habuiſſe Filios, Christi Fratres dictos. Hi forte ſeducti fuerunt apogrypho Jacobi Evangelio, quod Impoſtoris opus eſt, & Fabulis refertum. Alii, qui Josephum Sponſum Virginis pariter Virginem fuiſſe cenſent, reſpondent, *Fratres, & Sorores*, Judæorum loquendi more, dictos eſſe proximos Agnatos. Sic Abraham Nepotem ſuum Loth, *Fratrem*, & Laban Generum ſuum pariter *Fratrem*,

& SARAM Uxorem, ſuam Sororem appellavit. De quibus videri poteſt Card. GOTTI de Veritate Relig. Chriſt. Tom. IV. part. 1. & Natalis ALEXANDER Tom. VIII. pag. 633.

298 Quærunt hic Theologi, an CHRISTI corpus fuerit formoſum & pulchræ ſpeciei? Sed in re incerta, & Patribus in contraria abeuntibus, ſatius erit Judicium ſuſpendere. Dicitur Chriſtus Pſalm. XLIV. 3. *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis*: contra Iſai. LIII. 2. *Non eſt Species ei, neque Decor* &c. Primum de CHRISTI Anima & Pulchritudine interna: alterum vero de Paſſione exponitur. Exſtant non nullæ Imagines, Chriſti Effigiem venuſtam referentes, ut illa, quæ ab ipſo JESU vivente miſſa dicitur ad ABAGARUM Edeſſæ Regem; altera Imago VERONICÆ Sudario a CHRISTO Crucem bajulante impreſſa. Tertia impreſſa Linteo ſepulchrali. 4. Statua ærea, quam CHRISTO in urbe Paneade erexiſſe dicitur Mulier hæmonoiſſa, aliæque: At vero cum de harum Imaginum Veritate diſceptent Critici; nihil inde certi erui poteſt, qui plura voluerit, legat HONORATI a S. M. Animadverſiones in regulas & uſum Critices Tom. II. & Nat. ALEXANDRI H. E. aut SANDINI hiſtoriam familiæ ſacræ cap. 17. 18. 19.

§. VI.

§. VI.

De Corpore Christi passibili.

Per corpus *passibile*, hic intelligitur tale, 299
quod humanis Infirmitatibus corporalibus, cujusmodi sunt: esse *corruptibile*, e quo consequitur Fames, Sitis, Fatigatio &c. esse passibile, esse mortale, obnoxium est. Et isti quidem Defectus, toti Naturæ *communes* sunt. Alii sunt *speciales*, ex causis particularibus orti, v. g. cæcitas, Febris, claudicatio; Defectus autem isti e duplici oriuntur Capite: 1. ex ipsa corporis e variis Partibus compositione, quam consequitur Dissolutio, seu, corruptio. 2. Ex Peccato, cujus Stipendia sunt Mors, Infirmitas. Ex intima conjunctione & commercio Corporis cum Anima consequitur, ut quidquid Corpus affligit, Animam pariter afficiat, nisi aliunde a Sensu illius Anima reddatur immunis. Sic ergo ADAMUS innocens ob Statum Beatitudinis poterat non sentire Corporis occurrentes forte afflictiones, nisi libere voluisset. Ita pariter dicendum de CHRISTO, ob Beatitudinem, qua fruebatur *Verbum*. Dolor, qui in Pœnam Peccati in nobis oritur, sæpe Rationem prævertit: quod tamen in CHRISTO Locum non habuit, Peccati experte, & pleniſſimo Affectionum suarum Domino.

Circa

300 Circa hanc Quæſtionem oppoſiti fuerunt Hæreticorum Errores. ARIANI, cum exiſtimarent, Divinitatem CHRISTO Animæ loco fuiſſe; eam quoque in CHRISTO doluiſſe, mortuam fuiſſe, inferebant. Senſere cum iisdem *Apollinariſtæ*, ipſam Divinitatem, quæ Mentis loco fuit in CHRISTO, & cum mutilata Humanitate in unam coaluit Naturam, crucifixam dicentes. Idem ſtatuerunt EUTYCHIANI illi, dicti *Theopaſchitæ* & *corrupticulæ*, qui *Triſagio* ſubjecerunt clauſulam: *qui paſſus es pro nobis, miſerere nobis.* Ex adverſo qui corpus CHRISTI phantaſticum ſtatuere, uti VALENTINUS; illud incorruptibile, nullis Infirmitatibus & Doloribus ſubjectum, dicebant. Eutychianorum Pars altera, dicti *Aphtartodocetæ*, ſeu, Incorrupticulæ, afferebant, CHRISTUM Famem, Sitim, Dolores, ſolum apparenter, non vere fuiſſe paſſum, & Corpus habuiſſe glorioſum, quomodo poſt Reſurrectionem.

301 Catholici etſi in eo concordent, CHRISTI corpus Doloribus & Infirmitatibus Naturæ communibus, non vero ſpecialibus, utpote ad Finem Incarnationis non neceſſariis, fuiſſe obnoxium; non conveniunt tamen in modo, utrum ex neceſſitate Naturæ aſſumptæ, an ex ſola & libera Voluntate Dolores ſenſerit CHRISTUS? *Primo* itaque nonnulli exiſtimarunt, CHRISTI corpus ob ſuam cum Verbo Unionem, corruptioni

ruptioni obnoxium haud fuiſſe : quod autem eſurierit , doluerit , Miraculo adſcripſerunt , quo Vis illius conjunctionis compreſſa fuit ; quia CHRISTUS ad Veritatem carnis demonſtrandam & præſtandam Satisfactionem , dolores ſentire libere voluit.

II. Alii dicebant , CHRISTUM aſſumpſiſſe corpus , quale fuit ADAMI innocentis , & Doloris expers : non quale eſt noſtrum poſt Peccatum , cujus *Stipendia Mors.*

III. Alii denique aſſerunt , CHRISTUM aſſumſiſſe Carnem noſtræ poſt Peccatum ſimilem , ſuaque Natura , non ſola Voluntate Infirmitatibus ſubjectam ; quia in hunc Mundum venit , ut Peccata noſtra , ſeu, Pœnas Peccatis debitas , in ſuo Corpore portaret , ſicque nos Patri Pretio ſanguinis ſui reconciliaret.

RESOLUTIO. CHRISTI Corpus , Naturæ 302
humanæ Infirmitatibus fuit ſubjectum , & quidem ex ipſa Naturæ aſſumptæ Conditione : quamquam diverſo a nobis modo.

PROB. I. Pars. Ex S. Scriptura , quæ CHRISTUM nobis exhibet , ut *Virum Dolorum.* Sic de ea prædixit Iſaias LIII. 4. *Vere Languores noſtros ipſe tulit , & Dolores noſtros ipſe portavit : & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo ; ipſe autem vulneratus eſt propter Iniquitates noſtras , attritus eſt propter Scelera noſtra.*

CHRI-

CHRISTUS esurivit : fatigatus ex Itinere sedit : in Horto tristatus est : sudavit Sanguinem : flagellatus, crucifixus sitivit &c. Quod vero hæc omnia non sola Voluntate, sed Necessitate Naturæ assumptæ senserit, probatur. CHRISTUS assumsit carnem, nostræ post Peccatum per omnia similem, solo excepto Peccato, ut constat ex PAULO ad Hebr. II. 9. *Videmus Jesum propter Passionem Mortis Gloria & honore coronatum . . . Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta Populi. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus; potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Et cap. IV. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati Infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

303 PROB. Ratione congruentiæ. Cum CHRISTUS non ADAMUM *innocentem*, sed *lapsum* reparare venerit; conveniens erat, ut per omnia, excepto Peccato, assimilaretur Homini lapso, & Carnem ejus infirmam, atque vere & Necessitate Naturæ passibilem assumeret, & per Sensum Dolorum connaturalium Peccata nostra, Pœnasque ei debitas expiaret : ita Paulus Hebr. II. 10. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat Authorem Salutis eorum, per Passionem consummare.*

PROE.

PROB. altera Pars. CHRISTUS Modo ,304
tripliciter diverſo a nobis , paſſus eſt.
Nam I. nos patimur ex *neceſſitate* , nec
eſt liberum nobis , non ſentire Dolores :
econtra CHRISTUS , qui paſſus eſt , quia
voluit , potuiſſet illos , quamquam ex Ne-
ceſſitate Naturæ conſequentes , impedire ,
cum propter Unionem cum Verbo , tum
propter Viſionem beatificam , qua ipſius
Anima humana ab Initio & conſtanter
perfruebatur.

II. Noſtra patiendi Neceſſitas oritur ex Pec-
cato in Pœnam : In CHRISTO non erat Pœ-
na Peccati ; ſed ipſe Peccati expers , li-
bere voluit eas Pœnas , non ſibi , ſed
nobis debitas , in ſe experiri , ſicque Rea-
tum culpæ & Pœnæ expiare.

III. Infirmitates & Paſſiones, nobis oriun-
tur indeliberatæ , & Rationem non raro
præveniunt, eique dominantur : unde ori-
tur Impatientia , Puſillanimitas , Deſpera-
tio ; atvero in CHRISTO erant ordinatæ ,
deliberatæ , Rationis Dominio pleniſſime
ſubjectæ , idque ob ipſius Sanctitatem &
Innocentiam ; ob Viſionem beatificam ; ob
Unionem cum Verbo.

Objiciunt I. Incorrupticulæ. Aliud eſt cor-305
pus eſſe *paſſibile* , aliud *corruptibile*. Sic
Damnatorum corpora , ſunt equidem *paſ-
ſibilia* , ſed *incorruptibilia*. Ergo etiamſi
corpus Chriſti fuerit paſſibile ; non ſequi-
tur , fuiſſe corruptibile.

RESP.

Resp. Disparitas inter corpora Damnatorum & viva est; quod Deus eo ipso, quod Pœnas velit esse æternas, Corpora Dæmonum conservet, & vim corrumpendi vel inhibeat, vel ipsis Pœnis vim conservandi tribuat: contrarium est de Corporibus Viventium.

306 Objic. II. Psalm. XV. 10. dicitur de Christo; *Non dabis Sanctum tuum videre Corruptionem.* Ergo corpus ejus fuit incorruptibile.

Resp. *Dist.* Videre corruptionem post Mortem, ita ut corpus Christi non debuerit putrefieri & in prima Elementa resolvi. *Conc.* Ut non debuerit subjici humanis Infirmitatibus, Fami, Frigori &c. atque ipsi Morti. *Neg.*

307 Objic. III. Sap. IX. 15. dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat Animam*; atqui corpus Christi non aggravabat Animam. Ergo non fuit corruptibile.

Resp. *Dist.* Corpus quod corrumpitur, quando corruptio oritur ex Peccato, aggravat Animam. *Conc.* Quando oritur absque Peccato, & subest Dominio perfecto Rationis, ut in Christo. *Neg.*

308 Objic. IV. Si Infirmitates in Christo, ortæ fuissent ex *Necessitate* Naturæ; tunc in Deserto ante Dies 40. Jejunii debuisset esurire: Atqui non nisi post Dies 40. esuriit;

esuriit; dicitur enim in Evangelio Math. IV. 2. *Jejunavit* 40. *diebus & 40. noctibus; & postea esuriit.* Ergo non Necessitate, sed Voluntate esuriit. Idem dicendum de Morte, quam habuit in sua Potestate, sicut Vitam: ait enim Joan. X. 17. *Ego pono Animam meam, & iterum sumam eam.* Hinc mori non voluit, nisi post impleta omnia Prophetarum Oracula; unde dixit: Joan. XIX 30. *Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Certe si Mors de necessitate Naturæ fuisset, ad tanta Tormenta citius consequi debuisset.

Resp. *Potestas* esuriendi, patiendi, moriendi &c. non erat in Christo quoad *Personam*, per se impassibilem, sed quoad *Naturam humanam*, & Carnem ex Semine Adami assumtam, quæ ejusmodi Infirmitates, Dolores, Mortem &c. naturaliter sentire debuisset, nisi Omnipotentia Verbi impedire voluisset.

Objic. V. Plures Patres, præcipue Clemens Alexandrinus, & Hilarius Arelatensis, videntur sensisse, corpus Christi fuisse corruptibile. *Ergo.* 309

Resp. Nonnulli videntur quidem durius locuti; exponi tamen possunt, quod voluerint a Christo excludere Corruptionem, quæ vel oriatur ex Peccato, vel quæ sit post Mortem Resolutio in prima Elementa, & dicitur Putredo: vel quæ fuerit tantæ Necessitatis, ut a Christo

non potuerit impediri. Aut excluſerunt Doloris Senſum ab ipſa Divinitate, qua ratione Hilarium Patres Mauriani exponunt.

3IO OBJIC VI. Si Corpus CHRISTI ex Neceſſitate Naturæ doloribus ſubjectum fuiſſet; tunc Anima etiam Chriſti propter reciprocum commercium eosdem ſenſiſſet: atqui Anima CHRISTI ſentire potuit; quia fruebatur Viſione intuitiva, quæ omnem Doloris & Triſtitiæ Senſum excludit; cum ſit Status omnium Bonorum aggregatione perfectus. *Ergo* &c.

RESP. *Diſt. min.* Niſi CHRISTUS per Miraculum impediiſſet, ne Beatitudinis Felicitas in Corpus redundaret. *Conc.* Secus. *Neg.* Vere enim dixit de ſe Math. XXVI. 38. *Triſtis eſt Anima mea usque ad mortem.* Neque repugnare videtur, ut CHRISTUS ſecundum Hominem ſuperiorem fruetur Beatitudine, ſecundum inferiorem ſentiret acutos Dolores; quemadmodum SS. MM. inter Tormenta graviſſima, quorum ſentiebant Dolores, Animi Tranquillitate & Voluptate non raro perfuſi fuerunt.

§. VII.

De Anima & Mente humana a Christo assumta.

Negabant ARIANI, CHRISTUM habuisse 311
Animam humanam, sed ejus loco substituebant quandam Ordinis inferioris Divinitatem. Idem a Principio suæ Hæreseos sensit APOLLINARIS, ita ut diceret, carnem cum Verbo in unam coaluisse CHRISTI Naturam. Postquam autem APOLLINARISTAS hujus Erroris pudere cœpit; *Animam* distinguebant a *Mente*, & illam quidem, non hanc a CHRISTO assumptam fuisse, fatebantur; ita ut Verbum loco Mentis, sive, Intellectus, in CHRISTO fuerit.

RESOLUTIO. CHRISTUS Animam huma- 312
nam habuit, & Mentem propriam.

PROB. I. Pars. CHRISTUS vocat se *Pastorem bonum, qui animam suam dat pro Ovibus suis.* Et: *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam.* Joan. X. 11. 17. Atqui hoc nequit intelligi de Divinitate, quam CHRISTUS nunquam deposuit. Ergo. II. CHRISTO tribuuntur omnes Animæ humanæ Affectiones, seclusis nempe Imperfectionibus, cujusmodi sunt tristari: desiderare. Atqui in Divinitatem ipsam Affectiones istæ cadere non possunt: ergo

erant Affectiones, Animæ Christi propriæ. III. CHRISTUS fuit perfectus Homo, per omnia nobis *similis absque Peccato.* Hebr. IV. 15. Atqui sine Anima non datur Homo perfectus: *ergo.* IV. CHRISTUS mortuus est, & emisit Spiritum. Atqui Spiritus ille, non fuit Divinitas, quam Christus neque a Corpore, neque ab Anima dimisit. Ergo fuit Anima. Nam in Separatione Animæ a Corpore, Mors sita est. V. CHRISTUS totum assumpsit, quod sanavit; atqui non sanavit solum Corpus, sed & Animam. Ergo hanc quoque assumpsit. VI. Nulla potest assignari Ratio, cur Christus, Homo fieri, & Carnem assumere dignatus, Animam, Partem Hominis nobiliorem, assumere noluerit. *Ergo.*

313 PROB. II. Pars I. CHRISTUS habuit Animam humanam propriam. Ergo etiam Mentem, Intellectum, Rationem; nam Anima rationalis ad perfectum Hominem requiritur. II. De CHRISTO dicitur Isaiæ XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus consilii.* Dicitur CHRISTUS profecisse *Sapientia & Ætate* Luc. II. 52. quod de Divinitate dici nequit. In eo sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi. Coloss. II. 3. Atqui hæc omnia proprie spectant ad Intellectum, Sapientiæ & Scientiæ capacem. *Ergo.* III. Ut Homo sine Anima non vivit; ita sine Mente non intelligit:

telligit : quemadmodum Jumentum insipiens, *sicut Equus & Mulus, quibus non est Intellectus*, non intelligit. IV. CHRISTUS habuit Voluntatem humanam, ut dicetur §. seq. Ergo etiam Intellectum; quia nihil volitum, nisi præcognitum. V. Maxime sanandus fuerat Hominis Intellectus & Voluntas, quæ peccaverat: ergo utrumque CHRISTUS assumpsit.

OBJIC. I. Verbum dicitur *caro factum*: ergo solam *carnem* vegetantem & sentientem, sed non Rationem assumpsit Verbum: secus debuisset dici: *Homo factus*. 314

RESP. In sacra Scriptura nomine *carnis*, frequenter sumitur totus Homo. Sic *omnis caro corruperat viam suam*: Gen. VI. 12. *Videbit omnis caro Salutare Dei*. Luc. III. 6. *Ad Te omnis caro veniet*. Psalm. LXIV. 2. Adeoque idem dictum est, ac: *Verbum Homo factus est*.

OBJIC. II. Si assumpsisset etiam Animam cum Mente; tunc totum assumpsisset Hominem: si autem totum assumpsit Hominem; tunc erunt duo in Christo Suppositа; inter quæ non datur Unio per se, & substantialis. 315

RESP. *Dist.* Sequel. Totum assumpsisset Hominem, jam subsistentem. *Neg.* Totum, quoad Perfectionem Naturæ. *Conc.*

§. VIII.

De duplici Operatione & Voluntate Christi.

316 Hæretici, qui unicam in CHRISTO admisere Operationem, ut vocabant, *Deivirilem*, seu, *divino-humanam*, & unicam Voluntatem; dicti sunt MONOTHELITÆ, quorum Author circa an. 630. extitit quidam ANASTASIUS Eutychianorum Patriarcha, qui Spe potiundæ cathedræ Antiochenæ, ab HERACLIO Imperatore sibi promissæ, Eutychiano Errore ad speciem deposito, duas in CHRISTO Naturas, at non nisi unam Voluntatem professus est. Junxit se eidem SERGIUS Patriarcha CP. THEODORUS Pharnites, & CYRUS, postea partriarcha Alexandrinus. Serpenti Malo Primus restitit SOPHRONIUS tunc adhuc Monachus, postea autem Patriarcha Hierosolymitanus, qui datis ad HONORIUM R. P. litteris, nascentem hæresin denuntiavit, ab eodem comprimendam. Sed & SERGIUS HONORIO scripsit, eidemque persuasit, ut specie ineundæ Concordiæ consentiret, atque decerneret, abstinendum interea esse sive ab unius, sive a duplicis Voluntatis professione; ne alterutra Dictio Oppositis NESTORII & EUTYCHETIS Erroribus favere videretur. Hoc Silentium etiam roboravit HERACLIUS Imperator

perator ſuo Edicto, quod vocatur *Ecteſis*, & CONSTANS ſuo *Typo*, qui pariter fuit Edictum, damnans utramque tam unius, quam duplicis Voluntatis profeſſionem. Poſt THEODORUM, CYRUM, & SERGIUM jam nominatos, Errorem hunc acriter & aſtute tuiti ſunt PYRRHUS, & PAULUS, SERGII in Sede CP. Succeſſores, donec tandem in Concilio CP. III. ſeu generali IV. opera CONSTANTINI *Pogonati* Imperatoris convocato, Lis dirempta, & duplex in CHRISTO Voluntas definita fuit.

Ad intelligendam penitius *Monothelita-* 317
rum Hæreſin, obſervandum I. Operationes in CHRISTO triplicis generis eſſe. 1. Quæ emanant a ſola Natura divina abſque ullo ad humanam Naturam reſpectu: uti Creatio, Sanctificatio. 2. Quæ humanæ Naturæ propriæ ſunt, ut edere, bibere, flere, dolere. 3. Aliæ ſunt mixtæ, quas Chriſtus operatur in utraque Natura: ut quando ſuo contactu curabat ægrotos; ubi Natura divina per ſuam Omnipotentiam, humana per ſuum contactum operabatur: atqui iſtæ tertii Generis Operationes a latinis *Deiviriles*, a græcis PP. *Theantricæ* appellantur. Hanc Operationem *Deivirilem* MONOTHELITÆ volebant eſſe *unicam*, e duabus confuſam & permixtam: quemadmodum etiam EUTYCHIANI, quorum illi erant Propago, unicam poſt Unionem confuſam & permixtam agnoſcebant in CHRISTO Natu-

ram, & humanam a Divina abſorptam dicebant. Econtra Catholici operationem *Theantricam*, non unam, ſed duplicem, ex Divina & humana Operatione unitam, realiter ab invicem diſtinctam, etſi indiviſam, docebant; Nam ſi unica foret, eaque divina; tunc illa etiam Patri & Spiritui S. conveniret, ut volebat SABELLIUS & PATRIPASSIANI. Quamvis autem omnes humanæ Naturæ in CHRISTO Operationes ſummam habuerint Dignitatem a Verbo, cui erat hypoſtatice unita; non omnes tamen erant *Theantricæ*, ſed illæ ſolum, quæ procedebant ex Operatione utriusque, tam Verbi, quam Naturæ humanæ, tanquam cauſæ efficientis: ut dum Sputo liniens Oculos, illuminavit cæcum &c.

318 Haud erit abs re, quasdam apponere Regulas, a Theologis ſtatui ſolitas, ad explicandas Chriſti Operationes. I. Operationes CHRISTI, ſeu divinæ, ſeu humanæ; ſunt tamen unius & ejusdem Operantis, Perſonæ, Suppoſiti; quia Actiones ſunt Suppoſitorum.

II. Quamvis autem ſit unicus operans; duæ tamen ſunt Operationes diverſæ a diſtinctis duabus in CHRISTO Naturis emanantes.

III. Una Natura nunquam diviſim, ſed ſemper conjunctim cum altera operatur; quia invicem in una Perſona hypoſtatice unitæ ſunt.

IV.

IV. Omnes Actiones humanæ in CHRISTO, etiam *naturales*, quas in nobis dicimus actiones *Hominis* (neceſſarias) in Chriſto fuere liberæ, & ad Nutum Divinitatis ſe exſerebant.

V. Caro humana, fuit Inſtrumentum Divinitatis, per quod Natura Divina operabatur tam Opera, humanum modum excedentia; quam etiam Opera, Naturæ humanæ convenientia; ſed quæ ad Salutem noſtram ordinabantur.

VI. Verbum non egit omnia per Naturam humanam ut inſtrumentum, ſed illa ſolum, quæ pertinebant ad Officium Mediatoris & noſtram Salutem; hinc Verbum non conſervat Mundum per Humanitatem.

Obſervandum II. Ad intelligendos Pa-319
tres, & Monothelitarum loquendi modos, Voluntatem accipi ab illis, vel pro ipſa *Facultate* agendi, ſeu, ut vocamus, Potentia Volitiva: vel pro *Actu*, ſeu actuali Volitione: aut pro ipſo Opere volito. Item aliam eſſe Voluntatem *naturalem*, quæ ſit tum ipſa Facultas, ſeu vis Volendi, a Natura inſita; tum ipſa Volitio, qua ſimpliciter volumus: aliam eſſe Voluntatem *perſonalem* & hypoſtaticam, ſeu Volitionem actualem, qua hoc, vel illud, iſto, vel illo modo volumus. Ex MONOTHELITIS quidam ſtatuebant, unicam, eamque perſonalem & hypoſtaticam in

Christo fuisse Voluntatem, propter Unitatem Personæ: Alii hoc Sensu unicam in CHRISTO personalem, admisere Voluntatem, quod sola Persona, seu Verbum, operaretur, cum vellet, sive Divina sive humana, utereturque Humanitate pro Imperio suo tanquam Instrumento, illa mere se passive habente. Sed contra illos universim statuitur

320 RESOLUTIO. Duplex in CHRISTO admittenda est Operatio & Voluntas.

PROB. I. Ex S. Scriptura. CHRISTUS habuit Voluntatem distinctam, a Voluntate Patris: atqui illa non fuit *Divina*; cum tota Natura Divina CHRISTO cum Patre communis sit: ergo fuit humana. *Maj. prob.* Ante Passionem orans in Horto dicit Math. XXVI. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: Verumtamen non mea, sed tua Voluntas fiat.* Et Joan. VI. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam Voluntatem meam, sed Voluntatem ejus, qui misit me.*

321 II. CHRISTUS habuit Voluntatem, Mala sibi imminere prævisa formidantem: *cæpit* enim *pavere & tædere*: Luc. XIV. 33. Et cum ad Lazari Sepulchrum venisset, *infremuit spiritu & turbavit se ipsum.* Joan. XI. 33. Atqui hæc in Divinam Voluntatem cadere non possunt: ergo in humanam: ergo utraque fuit in Christo.

III.

III. CHRISTUS in S. Scriptura dicitur: 322 *factus Obediens usque ad mortem.* Et Philip. II. 8. Et *Oblatus est, quia voluit.* Isai. LIII. 7. Psalm. XXXIX. 8. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem Voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Atqui divina Voluntas non potuit esse *obediens*; cum omnis Obedientia sit erga Superiorem: Pater autem Filio, ut Deo, superior non est; sic enim de se ipso dixit Joan. X. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Ergo. Atque his, aliisque Argumentis e Scriptura desumptis, Ecclesia in Concilio VI. definivit hoc, de quo agitur, Dogma.

PROB. II. Rationibus Theologicis. 1. 323 CHRISTUS habuit Naturam humanam perfectam, a Divina distinctam, & inconfusam: atqui Natura humana rationalis perfecta, Operationem & Voluntatem sibi propriam habere debet, quemadmodum habet Animam, Intellectum, & Mentem sibi propriam, ut supra dictum est. Ergo &c. 2. id fuit in Verbo assumptum, quod præcipue ab eo fuerat sanandum: atqui Voluntas fuerat præcipue sananda; quia illa maxime peccaverat. *Ergo.* 3. Si CHRISTUS non habuisset Voluntatem humanam; tunc nihil fuisset promeritus: requiritur enim ad Meritum Libertas Arbitrii, & Voluntarium. Merita autem CHRISTI non possunt adscribi Voluntati divinæ.

OBJIC.

324 OBJIC. I. Si fuiſſet duplex in CHRISTO Voluntas; tunc probaretur ex his Chriſti verbis: *Tranſeat a me calix iſte* &c. Atqui hinc non probatur; ſequeretur enim, humanam Chriſti Voluntatem, Divinæ fuiſſe contrariam: quod dici non poteſt de CHRISTO, quia Voluntas Divinæ contraria, eſt peccaminoſa. *Ergo.*

RESP. Nego *min.* & ſequelam. Duplex enim in CHRISTO humana Voluntas diſtingui poteſt; una *naturalis* & *inferior*, qua Mortem naturaliter abhorruit; altera *rationalis* & *ſuperior*, quæ inferiorem ſibi, ſe autem Divinæ, perfecte ſubjecit & conformavit.

325 OBJIC. II. Juxta S. ATHANASIUM lib. *de ſalutari adventu Chriſti*, CHRISTUS fuit *ſine carnalibus Voluntatibus & cogitationibus humanis; ſiquidem Divinitatis ſolius Voluntas fuit.* Ergo ſolum Divina in eo fuit.

RESP. *Diſt.* ATHANASIUS vult, quod CHRISTUS fuerit ſine carnalibus Voluntatibus, *perverſis* & inordinatis, quomodo in nobis ſunt poſt Peccatum. *Conc.* Omnino & ſimpliciter ſine humanis Voluntatibus. *Neg. Diſt.* etiam alterum: Solius Divinitatis Voluntas fuit, quoad Directionem. *Conc.* Nam Divina regebat humanam. Quoad Entitatem & Naturam. *Neg.*

OBJIC.

OBJIC. III. GREGORIUS Naz. orat. 36.326 ait, Voluntatem CHRISTI non fuisse Deo contrariam, utpote totam Deificatam.

RESP. Hunc Textum esse potius contra MONOTHELITAS. Si enim in CHRISTO fuit quædam Voluntas *non contraria Deo*; ergo fuit quædam *distincta* a Voluntate Divina: consequenter fuit in CHRISTO duplex. Ideo autem humana ejusdem, vocatur *Deificata*; quia fuit & Dei Voluntas etsi humana, & Divinæ perfectissime conformata. De divina autem proprie dici non potest, quod sit *Deificata*.

OBJIC. IV. Juxta GREGORIUM Nyssenum contra Eunomium. *Divinitas per corpus, quod induit, Hominum omnium revera Salutem operatur; ut propria carnis sit Perpessio, Dei autem Operatio.* Ergo humana Natura habuit se solum passive, & Operatio fuit solius Divinitatis. 327

RESP. *Dist.* Dei est operatio, hoc Sensu, quod maxima ex parte, & præcipue quoad Valorem & Pretium, Redemptio adscribatur Divinitati. *Conc.* Quod Natura humana nihil omnino fuerit operata. *Neg.* Hæc enim vere operabatur; sed ejus Opera suum Valorem consequebantur a Divinitate: secus nequidem duplex fuisset in Christo Natura.

OBJIC. V. CYRILLUS Alexandrinus lib. 4. in Joan. scribit Christum unam quan- 328

dam

dam cognatam Operationem per ambas Naturas oſtendiſſe. *Ergo.*

RESP. *Diſt.* Unam Operationem, quoad unitatem Perſonæ. *Conc.* Quoad unitatem Operationis. *Neg.* Loquitur ibi CYRILLUS de Miraculis : jam autem ſupra N. 317. obſervatum fuit, Operationes CHRISTI miraculoſas, dici *Theantricas*, hanc vero non eſſe unam, ſed duplicem ; quia utraque Natura in idem Opus effective influxit.

329 OBJIC. VI. DIONYSIUS Areopagita Epiſt. 4. ad Cajum, vel quiscunque demum, ſcribit : „ Ab Incarnationis Tempore non „ ſecundum Deum Divina geſſit Chriſtus, „ nec humana ſecundum Hominem : ve„ rum Deo Viro facto *novam*, (ſeu ut „ Monothelitæ legebant, *unam*) quandam „ Theantricam, ſeu Deivirilem Operatio„ nem expreſſit in vita. „ *Ergo.*

RESP. *Diſt. Novam* Operationem, id eſt, novum operandi modum, quo una Perſona operatur per duas Naturas hypoſtatice unitas, ſed tamen diſtinctas. *Conc. Novam* Operationem, quaſi duplicis Naturæ una & eadem eſſet Operatio, aut e duabus confuſa. *Neg.*

330 OBJIC. VII. Juxta Philoſophorum Adagium : *Actiones ſunt Suppoſitorum* : non Naturæ : ergo ubi unum eſt Suppoſitum ; unica eſt Operatio. Atqui CHRISTUS fuit

unum

unum Suppositum : ergo una fuit ejus Operatio.

Resp. *Dist. ant.* Actiones sunt Suppositorum, denominatione & attributione. *Conc.* Elicitive. *Neg.* Operatio potius Naturæ est propria. Cum enim, juxta multos, Personalitas sit aliquid solum negativum, seu Negatio communicabilitatis; eidem Vis activa adscribi non potest, sed Naturæ, quæ est Principium Motus & Quietis, seu operationis. Si enim Operatio sequitur ad Personam; tunc quia in Trinitate sunt tres Personæ realiter distinctæ, tres erunt operationes: quod falsum est.

Objic. VIII. Humanitas in Christo 331 fuit tantum Instrumentum Divinitatis: sed Instrumento v. g. cultro, non competit Actio propria, ab Actione causæ principalis, v. g. Scindentis, distincta: *ergo.*

Resp. *Dist.* Humanitas fuit Instrumentum, *conjunctum* & animatum, cui competit propria Actio. *Conc.* Fuit Instrumentum *separatum* & inanime, quemadmodum Culter respectu scindentis. *Neg.* Etiam Bruta vocantur Instrumenta Hominis: quin propterea propria Operatione careant.

§. IX.

§. IX.

De Facto Honorii in causa Monothelitarum.

332 Celeberrima, & multorum Curis trita est Controversia de HONORIO R. P. qui a SERGIO Patriarcha CP. Homine versipelle, & Ecclesiasticæ Unionis zelum præseferente, per Epistolam inductus, ut utrique contendentium Parti Silentium indiceret, & sive ab unius, sive duplicis Voluntatis prædicatione omnibus abstinendum imperaret; datis ad eundem SERGIUM binis Responsoriis Litteris, in id omnino consensisse videtur. Cum autem a Concilio VI. quod est CONSTANTINOPOLITANUM III. inter reliquos MONOTHELITAS etiam HONORIO Anathema dictum fuerit, variæ inde exortæ sunt Opiniones Authorum, quibusdam pro HONORIO ab Errore vindicando desudantibus: aliis in eum tanquam Hæreticum, & ut talem a Concilio damnatum, declamantibus. Qui pro HONORII Innocentia pugnant, iterum in diversa abeunt. Nonnulli enim cum BARONIO suspicantur, eum a Concilio nequaquam condemnatum, sed Acta Concilii a Monothelitis corrupta, & Fraude THEODORI Patriarchæ CP. HONORII Nomen reliquis Monothelitarum Authoribus atque Fautoribus fuisse assutum.

Novissi-

Noviſſime fuit, qui contenderet, Epiſtolam I. HONORII ad SERGIUM Fraudibus cujusdam MACARII, Monothelitæ pertinaciſſimi, depravatam, alteram omnino confictam, ſicque Patres Concilii, genuinas eſſe credentes Epiſtolas, Errore Facti deceptos fuiſſe. Alii, qui Honorium ab Hæreſi immunem propugnant, & nec HONORII Epiſtolas, nec Acta Concilii adulterata fuiſſe contendunt, fatentur quidem, HONORIUM a Concilio ut Hæreticum fuiſſe condemnatum; ſed Patres illos Mentem Pontificis non recte percepiſſe, ſicque in Facto erraſſe. Qui demum tam HONORIUM ab Hæreſi perſonali, Sedemque Romanam a Labe perverſæ adprobatæ Doctrinæ, quam & Concilium ab Errore liberare conantur; illi Pontificem a Concilio vere quidem & Jure, non tamen ut Hæreticum, ſed ut Hæreſeos Fautorem damnatum fuiſſe exiſtimant, eoquod improvida œconomia uſus, geminæ in Chriſto Voluntatis prædicationem interdicendo, gliſcentem Hæreſin, ut debuerat, non ſuppreſſerit, ſed eidem, etſi forte bona Fide ex Conſcientia erronea, ſicque innocue Incrementa præbuerit. Quæ ſit Sententia Menti, e ſequentibus Reſolutionibus patebit.

RESOLUTIO I. HONORII Epiſtolæ ad SERGIUM datæ, etſi genuinæ ſint; Monothelitarum Errorem non continent: ideo-

que & Pontifex ab Hæreſi prorſus immunis exſtitit.

PROB. Pars I. Communis & recepta ſanæ Critices Regula eſt, illa Scripta pro genuinis eſſe habenda, quæ a Viris idoneis præmiſſo prævio Examine ut genuina & authentica fuerunt agnita, & per undecim Sæcula ullius corruptionis aut Suppoſitionis firmiter argui atque convinci non poterant. Hujusmodi ſunt Epiſtola SERGII ad HONORIUM, & hujus ad illum reſponſoriæ. Ergo. *Min. prob.* Idonei certe Judices erant Patres generalis Concilii Sexti, & qui eidem intererant, Apoſtolicæ Sedis Legati, qui præmiſſo accurato Examine Epiſtolas illas authenticas agnoverunt, prout refertur Actione XII. dicti Concilii Tom. XI. Concilior. Editionis MANSI pag. 543. ſeq. Poſt Epiſtolas enim SERGII & HONORII publice recitatas, volens S. Synodus certior fieri, num illæ, prout a MACARIO Imperatori fuerant oblatæ, cum ſuis Originalibus concordarent, GEORGIO Monacho & Chartophylaci Eccleſiæ CP. in Mandatis dedit, ut afferret „ Regeſta & dogma-
„ tica Scripta, quæ expoſita ſunt a Ser-
„ gio quondam Patriarcha hujus regiæ
„ Urbis, ſive ad Honorium, vel Cyrum
„ vel Sophronium, aut etiam ad alias
„ Perſonas, ſeu ab Honorio ad Sergium
„ facta ſuper præſenti dogmatica Quæ-
„ ſtione, rejacentia in ſacro Chartophyla-

„ cio

„ cio hujus venerabilis Patriarchii, ut „ conferantur cum Codicibus, qui piiſſi- „ mo Domino noſtro Principi a Macario „ oblati ſunt, & nunc relecti. „ Huic Juſ- ſioni morem extemplo gerens Georgius, confeſtim attulit Codicem ſeu Regeſtum „ (Ρεγιστρον) habens Epiſtolam Sergii „ quondam Patriarchæ Conſtantinopoleos. „ ad Honorium quondam Papam Roma- „ num. Et collata eſt cum Codice, qui „ a Macario datus eſt piiſſimo Principi, „ & *conſtitit*, (ſeu concors deprehenſus „ eſt.) Similiter a Georgio Deo amabili „ Diacono & Chartophylace Epiſtola AU- „ THENTICA LATINA HONORII quondam „ Papæ Romani, ad Sergium . . . una- „ cum ejus interpretatione: *& collata eſt „ eadem latina epiſtola per Joannem Reve- „ rendiſſimum Epiſcopum Civitatis Portuen- „ ſis*, qui unus exſtitit de Concilio anti- „ quæ Romæ, *& conſtitit*. . . . Sancta „ Synodus dixit ad glorioſiſſimos Judices: „ Secundum interlocutionem Gloriæ Ve- „ ſtræ de his, quæ nobis relecta ſunt, „ tam de Regeſtis ſcriptarum a Sergio „ Epiſtolarum, quam & AUTHENTICA „ EPISTOLA HONORII LATINA &c. „ Ex eodem Chartophylacio CP. ad Mandatum S. Synodi idem GEORGIUS produxit *& alteram latinam Epiſtolam Honorii . . . præ- ter illam epiſtolam ejus, quæ jam prolata eſt, cum ejus interpretatione* . . . „ Sanctum „ Concilium dixit: . . . Epiſtolam vero

„ latinam, quam in præsenti dixit se in-
„ veniſſe, ac præ manibus habere idem. . .
„ Georgius, Honorii quondam Papæ Ro-
„ mani cum interpretatione ſua, pariter-
„ que & librum, in quo continetur Epi-
„ ſtola Pyrrhi ad Joannem quondam Pa-
„ pam Romanum, contradat ad legen-
„ dum, ut horum Sententiam accipiamus.
„ Et prolata eſt hujusmodi Honorii Epi-
„ ſtola latina cum interpretatione ſua, ha-
„ bens in ſubſcriptione ita: *Dilectiſſimo*
„ *Fratri Sergio Honorius*, cujus initium
„ fuit: *Scripta dilectiſſimi Filii Syrici Dia-*
„ *coni.* „ Ut legitur Act. XIII. pag. 578.
Itaque Concilii hujus Tempore Epiſtolæ Honorii ad Sergium in Chartophylacio CP. inventæ, non a Græcis modo, ſed & a Legatis Romanis AUTHENTICÆ judicatæ fuerunt, & ab illo Tempore, usque ad Nudius tertius, Nemo unus exſtitit Criticorum, qui eas vel in dubium vocare auderet, aut corruptionis, ſive Suppoſitionis firmiter convincere poſſet, ut ex Objectionum Solutione amplius conſtabit.

334 PROB. II. MACARIUS, aut alius quispiam Græculus, dato quod HONORII Epiſtolam ſeu corrumpere, ſeu alienam ejus Nomini ſubſtituere *voluiſſet*, quod Aſſerenti probandum incumbit, cum ſit Quæſtio Facti; id tamen efficere *non potuit*. *Authentica* enim ejus Exemplaria, & quidem *latina*, in Chartophylacio Patriarchii

CP.

CP. erant recondita, ad quod MACARIO non patebat Aditus. Quodſi etiam adulterare *voluiſſet græcam* Epiſtolæ Honorii *Translationem*; quomodo & ipſum *Exemplar Originale latinum*, in Archivio reconditum, vitiare potuiſſet? præſertim cum hactenus demonſtratum non fuerit, MACARIUM latinæ etiam Linguæ fuiſſe peritum. Quas ille Imperatori exhibuit Epiſtolas dogmaticas; Synodus cum authenticis contulit, & iisdem concordare deprehendit. Unde ergo de Dolo MACARII Adverſariis conſtat?

PROB. III. Si MACARIUS, quem iſtius 335
Fraudis Architectum ajunt, etiam *potuiſſet* HONORII Epiſtolam ſeu corrumpere, vel aliquam eidem affingere; moraliter tamen impoſſibile erat, ut I. Dolum iſtum nec Patres Græci Synodi generalis ſextæ, II. nec ſaltem Legati Apoſtolicæ Sedis Romanæ præſentes, III. nec AGATHO, aut ejus in Sede Romana Succeſſores adverterent, & pro tuenda HONORII, ſuæque Sedis Integritate, Græcis opportuno Tempore exprobrarent. Nullo ergo firmo Argumento aſſeritur, HONORII Epiſtolas vel vitiatas, vel ſuppoſitas fuiſſe. *Ant. prob.* quoad I. Cum Patres Synodi VI. alias Monothelitarum Fraudes in corrumpendis Patrum Scriptis, aut eorum Nomini falſo adſcriptis illico detexerint, ut ex Actis certo conſtat; Quæ Ratio eſſe

 poteſt,

poteſt, ut circa ſolas SERGII & HONORII Epiſtolas aut negligentiores in earum Examine fuerint, aut facilius decipi potuerint? Hujusmodi Fraudes, aut Negligentiæ non præſumi, ſed convincenter probari debent.

336 *Ant. prob.* quoad II. Vix eſt prudenter dubitandum, Sedis Romanæ Legatos, plene inſtructos ad Synodum veniſſe, &, ſi non ipſa authographa, authentica ſaltem Exemplaria Epiſtolarum SERGII & HONORII ſecum attuliſſe, aut ſaltem, ſi doli quidpiam & Depravationis ſuſpicari potuiſſent, ſuas deſuper Proteſtationes interpoſituros fuiſſe, Quoniam igitur JOANNES Epiſcopus Portuenſis, Concilii Romani Legatus, latinam HONORII Epiſtolam ex Archivio CP. extractam, AUTHENTICAM, & græcæ Translationi omnino conformem recognovit; Prorſus non video, quomodo, citra Temeritatem, adulterata dici queat.

337 *Ant. prob.* quoad III. Fingam autem, Legatis Romanis pauliſper fuiſſe impoſitum; utique ſaltem a Concilio cum ejusdem Actis integris reverſi, aut Romani Pontifices, quorum maxime intererat HONORII Famam purgare, græca Epiſtolarum Exemplaria cum Authenticis Scriptis, in Archivio Romano reconditis ſolicita Cura conferre non omiſiſſent? Conſtans

quippe

quippe Romanæ Sedis ſollicitudo fuerat, ut Pontificum Decretales ad alios directæ, ſecuro in loco, quem *Archivium*, vel *Chartarium* appellabant, reponerentur, ſicque ab aliorum Impoſturis redderentur immunes. Ad iſtud ſacrum Repoſitorium provocari ſolebat, quotiescunque de Epiſtola quadam decretali Pont. Rom. dubium moveri contigit. Sic S. HIERONYMUS ab Obtrectatore ſuo RUFINO accuſatus, quod Epiſtolam ANASTASII I. R. P. ad JOANNEM Jeroſolymitanum ſubpoſuiſſet, his Verbis eidem occurrit: „ Si a „ me fictam Epiſtolam ſuſpicaris; cur eam „ in Eccleſiæ Romanæ Chartario non re„ quiris, ut cum deprehenderis ab Epi„ ſcopo non datam, manifeſtiſſime Cri„ minis reum teneas? „ Hunc porro Morem ſolicitum authentica Exemplaria aſſervandi, a Romana Eccleſia ad Sæculum usque XIII. continuatum fuiſſe, ex eo colligitur; quod INNOCENTIUS III. ut de Statutis NICOLAI I. quoad Bulgaros plenius ſe informaret, ad iſtud Archivium Romanum, & depoſita ibidem Regiſtra confugiſſe noſcatur. Vid. LE CERF Bibliotheque Hiſtorique & Critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur. pag. 72. Cum igitur utrinque, & Romæ, & Conſtantinopoli, *Authentica* Epiſtolarum HONORII Exemplaria recondita fuerint; Jure mihi dixiſſe videor, *moraliter impoſſibile fuiſſe*, ut illæ a MACARIO depravari potuerint,

tuerint, aut illius Fraus, ſive a Græcis, ſive Latinis, deprehenſa non fuerit.

338 PROB. Pars II. Dum HONORIUS in Epiſtola I. duplicem negat CHRISTI Voluntatem; id unum voluit, quod non niſi *una* in eo fuerit *Voluntas humana*, vel in Eo non fuerint *duæ contrariæ Voluntates*, ſibi invicem adverſantes. Fingebat enim SERGIUS, Catholicos docere, duas in humana Chriſti Natura fuiſſe Voluntates, ſecum invicem pugnantes, ſeu, Carnis & Spiritus; de qua Repugnantia ſcribit PAULUS? Gal. V. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* Hinc ſcripſit HONORIUS: „ Unam fate-
„ mur Voluntatem Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, quia profecto a Divinitate aſ-
„ ſumpta eſt noſtra Natura, non culpa,
„ illa profecto, quæ ante peccatum crea-
„ ta eſt, non quæ poſt prævaricationem vi-
„ tiata. . . . Non eſt itaque aſſumpta: ſi-
„ cut præfati ſumus, a Salvatore vitiata na-
„ tura, quæ repugnaret legi mentis ejus. . . .
„ Nam lex alia in membris, aut Voluntas
„ non fuit; vel contraria Salvatori, quia
„ ſuper legem natus eſt humanæ condi-
„ tionis. „ Tom. XI. Concil. pag. 539.
In altera vero Epiſtola, quamquam velit abſtinendum a Vocabulo, unius vel duplicis Operationis; duarum tamen Naturarum inconfuſarum Operationes non obſcure docet, ita inter alia ſcribens: „ Non

„ unam

„ unam vel duas Operationes in Media-
„ tore Dei & Hominum definire, ſed
„ utrasque Naturas in uno Chriſto unita-
„ te naturali copulatas, cum alterius com-
„ munione operantes, atque operatrices
„ confiteri debemus: & Divinam quidem,
„ quæ Dei ſunt operantem: & humanam,
„ quæ carnis ſunt exequentem, non di-
„ viſe, neque confuſe, aut convertibili-
„ ter.... Sed Naturarum differentias inte-
„ gras confitentes.... Auferentes ergo, ſi-
„ cut diximus, Scandalum novellæ adin-
„ ventionis, non nos oportet unam vel
„ duas operationes definientes prædicare;
„ ſed pro una, quam quidam dicunt, ope-
„ ratione, oportet nos unum Operatorem
„ Chriſtum Dominum in utrisque naturis
„ veridice confiteri: & pro duabus ope-
„ rationibus, ablato geminæ operationis
„ Vocabulo, ipſas potius duas naturas,
„ id eſt, divinitatis & carnis aſſumptæ,
„ in una perſona unigeniti Dei Patris,
„ inconfuſe, indiviſe, atque inconverti-
„ biliter nobiscum prædicare propria ope-
„ rantes. „ Unde ſic infertur: Qui duas admittit Naturas, inconfuſe Operantes; etiam admittit duas Operationes, utrique Naturæ proprias: Atqui HONORIUS admiſit duas in CHRISTO Naturas, *inconfuſe* operantes, ſeu, quamlibet ſibi propria operantem. Ergo duas admiſit Operationes, quas ſola voce rejecit.

339 PROB. II. Authores coævi, aut HONORII Temporibus vicini, teſtantur, eum duas *ſolius Humanitatis contrarias Voluntates* negaſſe. Ita JOANNES Abbas Romanus, qui Epiſtolam I. HONORII Nomine ad SERGIUM ſcripſerat, & Nomine JOANNIS IV. P. R. Apologiam pro HONORIO ad Conſtantinum Imperatorem exaraverat, hunc in Modum Epiſtolæ I. Senſum exponit apud S. MAXIMUM Martyrem in Dialogo cum PYRRHO Monothelita, & Patriarcha CP. Tom. X. Concil. *Manſi* pag. 739. „ Unam Voluntatem diximus „ in Domino, non Divinitatis ejus & „ Humanitatis, ſed Humanitatis ſolius. „ Cum enim Sergius ſcripſiſſet, quod qui„ dam duas Voluntates in Chriſto con„ trarias dicerent; diximus, Chriſtum non „ duas Voluntates contrarias habuiſſe, „ Carnis, inquam & Spiritus, ſicut nos „ habemus poſt Peccatum, ſed unam tan„ tum, quæ naturaliter Humanitatem ejus „ ſignabat. „ Operæ Pretium eſt, ut integra legatur hæc Apologia JOANNIS IV: quæ reperitur cit. Tom. X. pag. 682. unacum Epiſtolis S. MAXIMI ad Marinum Presbyterum, ad Petrum illuſtrem, & Epiſtola ANASTASII Bibliothecarii ad Joannem Levitam, quæ dictæ Apologiæ ſubjunguntur loco citato: E quibus evidens eſt, HONORIUM duas ſolum *Voluntates contrarias in una Natura humana*, non autem in Chriſto geminam Voluntatem,

tem, divinæ & humanæ Naturæ propriam, negaſſe.

PARS III. patet ex dictis; Si enim Ho- 340
NORIUS Hæreſeos reus argui & convinci poſſet, tunc ideo, quod duas Chriſti Voluntates in ſuis ad SERGIUM Epiſtolis negaſſet. Atqui non negavit Senſu Catholico, ut declaratum fuit. *Ergo.*

OBJIC. Contra Reſolut. I. Partem I. 341
Aſſertum, quod HONORII Epiſtola I. depravata fuerit, Fundamentis non deſtituitur. I. enim certum eſt, quod Epiſtola HONORII quadraginta primum poſt mortem HONORII annis (in Synodo VI.) a MONOTHELITIS exhibita fuerit & producta. II. Æque certum eſt, quod MONOTHELITÆ varias commiſerint Fraudes, ſuæ erroneæ Doctrinæ facturi Fucum. Ergo HONORII Epiſtola fuit corrupta.

RESP. I. Transmiſſo utroque Antecedente nego *conſeq.* Etiamſi enim plura SS. PP. & Authorum profanorum Opera, ut LACTANTII liber de Mortibus Perſecutorum, S. AUGUSTINI duæ Epiſtolæ de Natura Animæ, de Pœnis Parvulorum, QUINCTILIANI Opus &c. recentius reperta & edita fuerint; non ideo tamen de eorum Authentia dubitare licet. Quamvis etiam MONOTHELITÆ varias commiſerint Fraudes; non tamen inde legitime inferri debet, omnem *poſſibilem* Fraudem

ab

ab iis commiſſam fuiſſe. Vix enim poſſibile eſt, etiam Mendaciſſimum non aliquando verum dicere.

342 RESP. II. Ad I. Nego *ant.* Ex ipſa enim JOANNIS IV. Apologia pro HONORIO ad Imperatorem ſcripta, conſtat, non in Oriente ſolum, ſed in Occidente quoque undique Famam volaſſe de exiſtimato HONORII cum SERGIO conſenſu. Unde autem hic Rumor enaſci potuit, niſi ex Epiſtola HONORII, ab Orientalibus utique ante Concilium lecta? „ Quantum ex di-
„ verſis Suggeſtionibus, quæ ad nos ca-
„ tervatim venerunt, quin & ex ipſo
„ quoque auditu didicimus, (inquit JOAN-
„ NES IV. P. R. in citata Apologia Tom.
„ X. Concil. pag. 683.) omnes occiden-
„ tales Partes ſcandalizatæ turbantur, Fra-
„ tre noſtro Pyrrho Patriarcha per Litte-
„ ras ſuas huc atque illuc transmiſſas no-
„ va quædam & præter Regulam Fidei
„ prædicante: & ad proprium Senſum
„ quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Pa-
„ pam Deceſſorem noſtrum attrahere fe-
„ ſtinante; quod a mente catholici Patris
„ erat penitus alienum. Igitur ut veſtra
„ Benignitas cauſam totam rei diſcere poſ-
„ ſit, ſubtiliſſima Veritate, quæ ante bre-
„ vis intercapedinem Temporis geſta ſunt,
„ enarrabo. Sergius reverendæ memoriæ
„ Patriarcha ſanctæ recordationis Romanæ
„ Urbis Pontifici (Honorio) ſignificavit,

„ quod

„ quod quidam in Redemtore noſtro Do-
„ mino J. Ch. duas contrarias dicerent
„ Voluntates : quo præfatus Papa com-
„ perto , reſcripſit ei , quia Salvator no-
„ ſter ſicut eſſet Monadicus unus , ita &
„ valde mirabiliter ſuper omne Genus ho-
„ minum conceptus & natus eſſet. Et
„ ſancta quoque ipſius incarnata diſpenſa-
„ tione docebat , quia Redemtor noſter
„ ſicut eſſet Deus perfectus , ita eſſet &
„ homo perfectus (ſed ſine concupiſcen-
„ tia carnis peccati) . . . . Secundum
„ hunc igitur Modum jam dictus Deceſ-
„ ſor noſter prænominato Sergio percon-
„ tanti ſcripſiſſe dignoſcitur , quia in Sal-
„ vatore noſtro duæ Voluntates contra-
„ riæ , id eſt , in Membris ipſius , penitus
„ non conſiſtunt , quoniam nihil Vitii tra-
„ xit ex prævaricatione primi hominis. . . .
„ Hinc ergo hæ duæ contrariæ Voluntа-
„ tes Mentis & Carnis , quas Apoſtolus
„ docet , in noſtro nequaquam Salvatore
„ fuerunt , eoquod hic Luctaminis Stimu-
„ lus ex prævaricatione protoplaſti ſumſit
„ initium : quoniam a Redemtore noſtro
„ natura ſuſcepta eſt , non Criminis cul-
„ pa. „ Niſi jam ante Concilium pervul-
gata fuiſſet HONORII ad SERGIUM Epiſto-
la , certiſſime PYRRHO SERGII Succeſſori
aliisque Orientalibus nota ; nec rumor in
Occidentem ſpargi potuiſſet , nec ulla ra-
tio fuiſſet HONORIUM vindicandi. Itaque
prorſus a vero abludit , HONORII Epiſto-

lam

lam, ante Concilium VI. non fuisse productam.

343 Resp. Ad II. Nego *conseq.* Ex ratione data Responsione prima. Si Monothelitæ depravare voluissent Epistolam Honorii; clarioribus utique Verbis suum Virus inspergere potuissent. Cum itaque hæc Epistola, prout hodie exstat, & in Concilio exhibita fuit, Sensum omnino catholicum referat; quæ, oro, ratio afferri potest, illam pro corrupta traducendi? Sed & Monothelitas latere non poterat, authenticum Epistolæ Honorii Exemplar in Archivio Romano esse reconditum, unde attentatæ Impostura facillime possent convinci. Omnem ergo fidem superat, Græcos omni deposita Fronte ejusmodi Fraudem machinari voluisse, aut eam non illico detectam fuisse.

344 Objic. II. Compertum est, quod Epistola I. Honorii, *prout a Monothelitis in Synodo VI. producta fuit*, cum Doctrina Honorii, & historica tunc Temporis Serie minime conveniat; quod patet conferendo Doctrinam Honorii in Apologia Joannis IV. expressa, cum Epistola Honorii a Monothelitis exhibita: quod ad oculum ostenditur in subjecto schemate.

SCHE-

SCHEMA PROROSITIONUM.	
Ex Epistola.	Ex Apologia.
I.	I.
Vox duplicis Voluntatis & operationis in Christo nova & scandalosa est.	Doctrina Pyrrhi & Sergii est nova & contra fidem.

NB. Ne eadem Verba sæpius repetere cogar; singulis Propositionibus aptas Responsiones Uncinis inclusas, subjiciam; & tunc nulla apparebit Contradictio.

Resp.	*Resp.*
{Vox duplicis Voluntatis *contrariæ* . . . nova est. *Conc.* Vox {duplicis Voluntatis in duabus Christi Naturis nova est. *Nego.*	{Doctrina Pyrrhi de unica Voluntate Christi, vere nova est, cui nunquam consensit} HONORIUS.
II.	II.
Honorius omnino consentit cum Fide Sergii.	Honorius est ab Opinione Sergii alienissimus.
Resp.	*Resp.*
{Quoad negandam {duplicem Voluntatem	{Quoad negandam duplicem Voluntatem}

contrariam Naturæ Christi humanæ: aut supprimendam vocem geminæ Voluntatis.

Christi, duplici Naturæ competentem, quam nunquam negavit Honorius.

III.

Nihil in Scripturis occurrit aut Conciliis, unde nobis ad docendam unam, vel duas Operationes authoritas concilietur.

III.

Qui duplicem negat in Christo Voluntatem, caveat, ne aut cum Photino & Ebione damnetur, aut cum Eutychianis unam naturam admittat in Christo.

Resp.

Unam utriusque Naturæ, aut duas contrarias Naturæ humanæ.

Resp.

Qui duplicem negat Voluntatem duarum Naturarum.

IV.

Christus est unus operans & omnia operatur tam per Divinitatem, quam Humanitatem: an autem propterea duæ in ipso Operationes sint adstruendæ, nostra pa-

IV.

Christus est equidem unus operans, sed perfectus Deus, & perfectus Homo: & qui unicam Divinitatis & Humanitatis operationem affirmat, Christo cum Eu-

rum eſt; grammaticorum id Judicio relinquamus.

tichianis unicam Naturam tribuit.

Reſp.

Reſp.

Honorius inprovida œconomia ſolum ſupprimit *vocem* geminæ operationis, *rem* ipſam non negat.

Veriſſima Propoſitio, cui Epiſtola Honorii non contradicit, qui ſolum a *voce* abſtinendum eſſe voluit.

V.

V.

Rejiciamus novas Voces, unius vel duplicis Voluntatis ac Operationis, quia eis Eccleſiæ ſcandalizantur.

Suppreſſio duplicis Voluntatis & Operationis eſt omnibus Fidelibus Scandalo.

Reſp.

Reſp.

Hic iterum inprovidæ œconomiæ effectus eſt, non indicium depravationis.

Suppreſſio duplicis Voluntatis, ut a Monothelitis intenta, utique Scandalo fuit, quod inprovide dedit Honorius.

RESP. ad Argumentum. Nego aſſertum. Inter Epiſtolam enim HONORII, *prout a Monothelitis in Synodo VI. producta fuit,*

imo ab HONORIO ſcripta, & JOANNIS IV. Apologiam, nulla eſt contradictio, ut oſtendi. Duo docuit HONORIUS: I. Non eſſe in Chriſto Homine duas Voluntates contrarias; quod veriſſimum eſt. II. Etiamſi Chriſtus in duabus Naturis inconfuſis unus ſit Operans; abſtinendum tamen eſſe ab unius, vel duplicis operationis Vocabulo; ne inde NESTORIANI aut duas in CHRISTO Perſonas, aut EUTYCHIANI unam Naturam confuſam inferrent. Iſtud autem inprovidæ HONORII œconomiæ, ad quam dolo SERGII fuerat inductus, tribuendum eſt. Imo ex Mente JOANNIS Apologiſtæ HONORIUS ideo *unam* dici noluit Voluntatem; quia vere *duas* in Chriſto credidit. Neque etiam duas dici voluit; ne aliqui exiſtimarent, *duas* in CHRISTO fuiſſe *contrarias*, ut quosdam dixiſſe, ſcripſerat SERGIUS. In utroque, Epiſtola cum Apologia adprime convenit, & contradictio, ac corruptio fingitur.

345 OBJIC. III. Suſpicio de Epiſtolæ HONORII depravatione, non heri primum & nudius tertius orta eſt; nam ANASTASIUS *Bibliothecarius* in Epiſtola ad JOANNEM Diaconum Urbis Romæ, quæ eſt Apologetica pro HONORIO, Tom. X. Concil. *Manſi* pag. 693. idem ſuſpicatus fuiſſe videtur, in hæc Verba ſcribens: „ Quis „ autem erit, qui nobis interim dicat, „ utrum

„ utrum ipſe (HONORIUS) pro certo
„ dictaverit Epiſtolam, de qua illum ana-
„ thematizandi fomitem Calumniatores ſu-
„ ſceperunt : cum & ex Scriptoris vel
„ indiſciplinatione, vel in Pontificem Odio
„ quid contingere tale potuerit ? „

RESP. ANASTASIUS non ſuſpicatur, Epiſtolam a Græcis fuiſſe corruptam, ſed ab ipſo JOANNE Abbate, illius Authore, contra Mentem HONORII primitus fuiſſe conceptam. Sed quam parum inani huic conjecturæ vel ipſe ANASTASIUS fidere voluerit, patet ex Verbis immediate ſubjunctis. „ Quamvis non ignoremus, do-
„ cente S. Maximo in Epiſtola ſua, quam
„ Marino ſcripſit Presbytero, ſanctiſſi-
„ mum hanc ſcripſiſſe Joannem Abba-
„ tem. „

OBJIC. IV. Epiſtola II. HONORII ad SERGIUM, cujus Fragmenta exſtant Act. XIII. Concilii VI. Tom. XI. Concil. *Manſi* col. 579. tota a Monothelitis conficta fuit, quod graviſſimo Argumento evincitur. Si hæc Epiſtola vera eſſet & non ſuppoſita; tunc etiam verum eſſet, quod HONORIUS indixerit *Silentium duplicis Voluntatis & Operationis*. Atqui HONORIUM unquam *indixiſſe Silentium duplicis Voluntatis & Operationis*, falſiſſimum eſt. *Ergo. Min. prob.* I. PYRRHUS, quantumvis maxime ad ſuam rem feciſſet, S. MAXIMO M. hoc nunquam objecit, nec S. MAXI-

MUS, nec JOANNES IV. HONORIUM unquam desuper vindicarunt. II. JOANNES Abbas in Apologia, HONORII Doctrinam ita explicat, ut eum dicat *alienissimum* ab Opinione SERGII, & hanc ipsam Opinionem SERGII, dicat *novam & contra antiquam Fidem*, ut Suppressionem duplicis Voluntatis & Operationis *omnibus fidelibus Scandalo esse* affirmet. III. Si hæc Epistola reipsa ad SERGIUM scripta sit; cur post 40. primum annos, ubi HONORIUS jam diu e vivis excesserat, a Monothelitis fuit producta? cur non statim eandem exhibuerunt ad singularem suæ Doctrinæ Defensionem præprimis contra S. MAXIMUM & S. SOPHRONIUM, quorum uterque certo tacuisset, si HONORIUS Silentium imposuisset? cur ad procurandum hoc Silentium invocarunt HERACLIUM & CONSTANTIUM Imperatores, ut duplicis Voluntatis Silentium præciperent? cur nec HERACLIUS in sua *Ecthesi*, nec CONSTANTIUS in suo *Typo* hujus HONORII Epistolæ meminere? Certe utrumque Edictum pro Scopo primario habuit hoc Silentium; quibus magnum sane addidisset pondus præsens HONORII Epistola, si revera ab HONORIO tunc scripta fuisset SERGIO. IV. In hac Epistola refertur, quod HONORIUS S. SOPHRONII Legatos monuerit, *ne de duabus Operationibus amplius loquerentur, id quod etiam Legati promisisse dicuntur.* Hoc autem denuo manifestissime

festissime falsum est ; quia STEPHANUS Dorensis Episcopus, qui S. SOPHRONII Legatus erat, pene in Terminis attestatur, HONORIUM, postquam S. SOPHRONII litteris plene informatus fuit, non mediocriter commotum fuisse, & multis communicationibus laborasse, ut SERGIUM, CYRUM, & ceteros Monothelitas ad frugem reduceret ; prout habetur in Secretario II. Concilii LATERANENSIS sub MARTINO I.

RESP. Nego *min.* Hujus Argumenti. Ad 347 *Prob.* I. dico, hoc Argumentum *mere negativum* esse, cui parum fidunt eruditi Critici, quando ex Opposito stant Testes positive affirmantes. Poterat PYRRHUS ab objectione indicti Silentii abstinere ; quoniam S. MAXIMUS jam prævie demonstraverat ; HONORIUM solum negasse duplicem Voluntatem contrariam Naturæ humanæ. Poterat quoque in æstu Disputationis illius fuisse oblitus, aut existimare, S. MAXIMUM facile responsurum, quod HONORIUS solum suppressserit vocem duplicis Voluntatis *contrariæ.* Aliunde necesse haud est, ut omnia prorsus Argumenta simul ac semel proferantur. Postquam autem PYRRHUS hoc Silentium nunquam opposuit ; nulla S. MAXIMO aut JOANNI IV. occasio fuit HONORIUM desuper vindicandi.

348 Ad II. HONORIUS recte dicitur ab opinione SERGII alieniſſimus, eamque novam dicit, & contra antiquam Fidem; quoniam SERGIUS duas utriusque Naturæ Chriſti diſtinctas Voluntates negavit; quod novum erat, & in quo HONORIUS SERGIO nunquam conſenſerat.

349 Ad III. Epiſtolam HONORII *primum* poſt 40. Annos productam fuiſſe, falſum omnino exiſtimo. HONORII Factum dudum ante Concilium in toto Oriente ac Occidente erat divulgatum. vid. Reſponſ. N. 341. & 342. Jam S. MAXIMUS M., jam JOANNES IV. HONORII Famam vindicare conabantur: Jam MACARIUS Imperatori Epiſtolas illas HONORII obtulerat, cum authenticis deinde Exemplaribus a Concilio collatas & convenire judicatas. Cum Monothelitæ HERACLIUM & CONSTANTIUM Imperatores Hæreſis ſuæ Fautores eſſe noſcerent; ab illis potius, quam a Rom. Pontifice Silentium imperandum fore confidebant. Quod autem illi Imperatores in ſuis Edictis Silentii ab HONORIO indicti, nullam fecerint Mentionem; Argumentum denuo *mere negativum* eſt, eidemque oppono totam Antiquitatem, cui ex eo præſertim capite HONORIUS vapulat, quod improvida œconomia uſus, unius, aut geminæ Operationis ſubpreſſione, hæreticam Flammam non primo ſtatim in Ortu extinxerit, ſed ei magis Fomenta præbuerit.

Ad

Ad IV. Nego *min.* Haud perfunctorie 350
evolvi STEPHANI Dorenſis Sermonem, relatum Tom. X. Concil. *Manſi* col. 891. non contigit tamen mihi tam eſſe felici, ut Verba in Objectione allegata invenirem: Imo ne Nomen quidem HONORII ibidem occurrit.

RESOLUTIO II. HONORIUS a ſexta Sy- 351
nodo vere quidem, non tamen ut Hæreticus formalis, ſed ut Hæreſeos Fautor, damnatus fuit.

PROB. I. Pars. HONORIO non minus, quam THEODORO, CYRO, SERGIO, PYRRHO, & PAULO anathema dictum fuit in Concil. VI. Act. 16. & 18. *Honorio hæretico anathema.* Poſtquam Act. XII. lecta & a JOANNE Epiſcopo Portuenſi, Legato Pontificio, collata fuerat Epiſtola HONORII; PP. Act. 13. pronuntiarunt: „ Re„ tractantes dogmaticas Epiſtolas, quæ „ tanquam a Sergio quondam Patriarcha „ hujus urbis ſcripta ſunt tam ad Cyrum ... „ quam ad Honorium quondam Papam ... „ Similiter autem & Epiſtolam ab illo „ (HONORIO) reſcriptam ad eundem Ser„ gium; hasque invenientes omnino alie„ nas exiſtere ab apoſtolicis dogmatibus, „ & a definitionibus ſanctorum Concilio„ rum & cunctorum probabilium Patrum, „ ſequi vero falſas doctrinas Hæretico„ rum; eas omnino abjicimus, & tan„ quam animæ noxias execramur ...

„ Cum his vero (id eſt, SERGIO, CYRO, „ PYRRHO & PAULO Monothelitis) ſimul „ projici a ſancta Dei catholica Eccleſia, „ ſimulque anathematizari prævidimus & „ HONORIUM, qui fuerat Papa antiquæ „ Romæ; eoquod invenimus per ſcripta, „ quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia „ in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, „ & impia dogmata confirmavit. „ Iidem Concilii Patres in Epiſtola ad AGATHONEM ſcripſere: „ Fundamenta execrandæ „ eorum hæreſeos convellentes .... ac „ ipſos ut lapſos circa fidem ac Peccatores .... anathematis interfecimus ... „ Videlicet Theodorum Epiſcopum, Pharam, Sergium, Honorium &c. „

Neque dici poteſt cum BARONIO, & aliis, Acta Concilii VI. fuiſſe corrupta & Fraude Græcorum Nomen HONORII intruſum fuiſſe.

352 CONTRA eſt I. Omnes, quotquot hactenus reperiri potuerunt, Codices in eo concordant. II. Non poterant a Græcis corrumpi omnia Exemplaria, ad Sedes Patriarchales, & Romam quoque transmiſſa. Imo ſi corrumpi potuiſſent; utique ſaltem Legati Apoſtolicæ Sedis, qui Concilio intererant, excepiſſent contra corruptionem Codicum, ſi non in ipſo Concilio damnatus fuiſſet HONORIUS. III. CONSTANTINUS *Pogonatus* in ſuo Edicto Synodi VI. confirmatorio, HONORIUM cum

cete-

ceteris damnavit: quod idem etiam præstitit LEO II. Ep. ad Constantinum, ubi pariter sua Authoritate Synodum confirmat, & HONORIUM damnat. An hæc quoque Scripta fuerunt corrupta: aut nemini usque ad BARONIUM fraus ista suboluit? IV. Author vitæ LEONIS II. scribit de eodem Papa: „ Hic suscepit sanctam VI. Syno-„ dum . . . in qua & condemnati sunt „ Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus &c. „ V. Concilium generale VII. confirmat Sextum, & HONORIUM cum reliquis damnat. Act. 6. Idem præstitit Concilium *Quinisextum*; & Concilium generale VIII. Act. X. VI. HADRIANUS Papa II. ex Sententia Synodi Romanæ scribens Epistolam, quæ lecta fuit. Act. 7. Concilii octavi, ita edisserit: „ Ro-„ manum Pontificem de omnium Ecclesia-„ rum Præsulibus judicasse legimus, de eo „ vera quemquam judicasse, non legimus. „ Licet enim Honorio ab orientalibus post „ mortem anathema sit dictum &c. „ VII. In solenni Fidei professione, quam per plura Sæcula in Die suæ consecrationis edere solebant RR. PP. inter ceteros Hæreticos etiam HONORIUM damnabant. Ergo nulla ratione verosimile est, Codices Conciliorum fuisse corruptos; consequenter HONORIUS vere a Concilio damnatus fuit.

PROB. II. Pars. Quod HONORIUS non 353
fuerit Hæreticus, consequenter neque ut

talis a Concilio damnatus fuerit, patet ex Resolutione I. ubi Epistolas ejus, Catholico Sensu expositas ostendi. Quod autem fuerit damnatus ut *Fautor* & *Promotor*, *Prob.* Mentem Concilii, damnantis HONORIUM, haud dubie probe introspexit CONSTANTINUS POGONATUS, qui Synodo ipse intererat, & LEO II. P. R. cui Legati Sedis Apostolicæ totam Rei in Concilio gestæ Seriem exposuere. Atqui uterque ait, HONORIUM fuisse damnatum ut *Fautorem*, & *Promotorem*; nam sic scribit Imperator in Edicto de Episcopis, qui Ecclesiæ nocuerunt. „ Hi sunt Theodo-
„ rus, Sergius, Honorius . . . *hujusmodi*
„ *Hæreseos confirmator* . . . Anathematiza-
„ mus eos, qui novorum dogmatum Au-
„ thores & Fautores sunt, Theodorum,
„ Sergium . . . Atque etiam Honorium,
„ qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum
„ *Fautorem*, & *Adjutorem* & *Confirmatorem*
„ hæreseos. „ Ubi expresse Authores, a Fautoribus distinguit. LEO autem Epist. ad Imperat. scribit in hæc Verba: „ Ana-
„ thematizamus novi dogmatis inven-
„ tores, Theodorum, Cyrum, nec non
„ Honorium: qui hanc Apostolicam Ec-
„ clesiam non Apostolicæ Traditionis do-
„ ctrina illustravit, sed profana Proditio-
„ ne immaculatam, maculari permisit: „
Idem in Epistola ad Episcopos Hispaniæ:
„ Condemnatione multati sunt Theodo-
„ rus, Cyrus, Sergius; cum Honorio,

„ qui

„ qui Flammam hæretici Dogmatis non „ ut decuit Apoſtolicam Authoritatem „ incipientem extinxit, ſed Negligentia „ confovit; „ quia nempe Silentium utri- que Parti intempeſtive indixit, & geminæ Voluntatis Profeſſionem ſuppreſſit, ſicque Monothelitarum Errori Fomenta ſubminiſtravit. Idem LEO epiſt. ad *Ervigium* Regem ſcribit de Honorio: „ Qui immaculatam Apoſtolicæ Traditionis Regulam, „ quam in Prædeceſſoribus ſuis accepit, „ maculari conſenſit. „ Denique Pontifices in ſua Fidei profeſſione a GARNERIO edita, ita loquebantur: „ Anathematizamus Authores novi hæretici Dogmatis, „ Sergium, Pyrrhum . . . unacum Honorio, qui pravis eorum Aſſertionibus „ Fomentum impendit. „

OBJIC. I. HONORIUS a Concilio damnari non potuit: ergo Acta Concilii, quæ ejus Damnationem referunt, oportet fuiſſe corrupta. *Ant. prob.* Superior ab Inferiore judicari non poteſt: atqui Pontifex eſt ſuperior Concilio, uti ſupponitur. *Ergo* &c. 354

RESP. Cum HADRIANO ſupra allegato: „ Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos

„ ſenſus

„ ſenſus libere reſpuendi: Quamquam ibi „ nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuiquam de eo quamlibet fas „ fuerit proferendi Sententiam, niſi ejusdem primæ Sedis Pontificis conſenſus „ præceſſiſſet Authoritas. „ Itaque in forma *Diſt. Maj.* Superior non poteſt judicari ab Inferiore, in omni caſu. *Conc.* In nullo caſu, etiam Hæreſeos, de qua incuſatur, & quem excipit HADRIANUS Papa. *Neg.* Et nego ſuppoſitum, quod HONORIUS proprie ab Inferiore, ſeu Concilio, fuerit judicatus. Proprie enim fuit judicatus a Pontifice AGATHONE, ejusque Succeſſore LEONE II. qui ſua Authoritate & confirmatione Vim definitivam Concilio dederunt.

Reſpondent alii, HONORIUM erraſſe, ut Perſonam privatam; ſub qua Formalitate non eſt ſupra Concilium, nec infallibilis.

355 OBJIC. II. Aut HONORIUS fuit hæreticus; aut erravit Concilium, dum dixit, quod *in omnibus ſecutus ſit mentem Sergii, & impia ejus Dogmata confirmavit.* Quid enim eſt ſequi Mentem Hæretici, ejusque Dogmata confirmare, quam eſſe Hæreticum? Atqui neutrum a Catholicis admitti poteſt; qui & Pontificis, & Concilii Oecumenici legitime celebrati & confirmati Infallibilitatem propugnant: ergo ut utriusque ſalvetur Honor; dicendum,

vel

vel Acta Concilii fuisse corrupta; aut Patres Concilii Errore Facti fuisse deceptos, nec penetrasse Sensum Verborum HONORII.

RESP. Nec Honorius Hæreticus fuit; nec Concilium erravit, quod eum, non *ut Hæreticum*, sed Hæreseos *Fautorem*, qualis erat, damnavit. Hinc cum Veritate pronuntiavit Concilium, quod *secutus fuerit Mentem Sergii*; non quidem in Errore hæretico, sed in imperando ad Mentem SERGII Silentio.

OBJIC. III. Concilium eodem modo loquitur de Epistolis SERGII & HONORII, quod sint *alienæ ab Apostolicis Dogmatibus, & sequantur falsas Doctrinas Hæreticorum*: atqui Epistolæ SERGII, ut & ipse SERGIUS, hæretica Lue erant infecti: ergo etiam HONORIUS. 356

RESP. *Dist. Maj.* Quod sint alienæ, diverso modo. *Conc.* Eodem. *Neg.* SERGII Epistola erat aliena ab Apostolicis Dogmatibus, quoad Sensum plane hæreticum: Epistola vero HONORII tantum quoad modum loquendi, qui *videbatur* hæreticus, sed non *erat*.

OBJIC. IV. Dicit Synodus: *Utriusque Epistolas in unam eandemque impietatem tendere*: atqui Epistola SERGII tendebat in Impietatem hæreticam, ergo etiam Epistola HONORII. 357

RESP.

Resp. *Dist.* Tendere in unam eandemque Impietatem, diversa ratione. *Conc.* Eadem ratione. *Neg.* Monothelitæ tendebant in Hæresin asserendam; Honorius solum peccabat, Veritatem non manifestando, sicque incautus hæreticam Impietatem fovit.

358 Objic. V. Monothelitæ iisdem utebantur Ratiociniis, quibus Honorius; ergo par fuit utrorumque causa; cumque Monothelitæ veri fuerint Hæretici; etiam talem fuisse Honorium, consequitur.

Resp. Utebantur iisdem Ratiociniis, sed diverso Fine & Consilio. Monothelitæ negabant Pugnam Voluntatum, ut inde *unicam* Voluntatem totius *Suppositi* inferrent; negabat eandem Honorius, ut inde *unicam* Voluntatem, non *Christi*, sed *humanæ* ejus *Naturæ* adstrueret.

359 Objic VI. Honorius a PP. appellatur *Hæreticus*: ergo ut talis fuit damnatus.

Resp. *Dist.* Appellatur *Hæreticus*, late, pro Fautore hæreseos. *Conc.* Stricte & proprie. *Neg.*

360 Objic. VII. De Honorio, uti de reliquis Monothelitis, dicitur: *Quorum ore Dæmon venenum Impietatis effudit.* Ergo.

Resp. *Dist.* Venenum effudit, diverso modo. *Conc.* Eodem. *Neg.* Monothelitæ effundebant Venenum, spargendo & docendo Errorem hæreticum: Honorius

vero

vero tantum ſupprimendo Veritatem, imperando Silentium; non affirmando falſum.

OBJIC. VIII. Juxta ADRIANUM II. HONORIUS fuit *de Hæreſi accuſatus*. Ergo ob eam etiam damnatus; quia Sententia Judicis correſpondere debet Libello Actoris. 361

RESP. *Diſt.* Fuit accuſatus de hæreſi; quam docuiſſet: *Neg.* Quam imprudenter foviſſet. *Conc.*

OBJIC. IX. HONORIUS ſuis Litteris approbans Epiſtolam SERGII Hæreticam, aut bene eam intellexit: atque ita *erravit in Jure*, adprobando Dogma hæreticum de unica Chriſti Voluntate, quod in illa Epiſtola vere continebatur. Aut eam non rite intellexit, accipiendo in Senſu Catholico, quod SERGIUS ſcripſerat in Senſu hæretico? Et ſic ad minimum erravit in Facto dogmatico. 362

RESP. HONORIUS non rite intellexit Epiſtolam SERGII, quoad *Senſum* Authoris *mere internum*; & ſic erravit in *Facto*, non *dogmatico*, ſed *mere perſonali*. Circa quod univerſa Eccleſia falli poteſt, defectu Revelationis divinæ. Scripſerat SERGIUS, eſſe, qui *contrarias* in Chriſto prædicarent Voluntates: expedire, ut nec una, nec duplex Operatio prædicaretur; Ne inde NESTORIANI *duas* in Chriſto *Perſonas*, aut EUTYCHIANI *unam* Chriſti *Naturam*

ram confuſam atque permixtam inferrent: Hoc Silentio indicto, oppoſitas Partes ad Concordiam reduci poſſe. Nihil mali ſuſpicatus HONORIUS, Sergio aſſentitur, cujus latentes in Animo Fraudes non advertit, qui Corda & Renes ſcrutari non poterat; ſicque in *Facto perſonali* innocue erravit.

363 OBJIC. X. HONORIUS juſtam Cauſam habuit iſta utendi Oeconomia, & imperandi Silentium; ne unius, vel geminæ Voluntatis profeſſione oppoſiti firmarentur EUTYCHIS, vel NESTORII Errores de unica Natura, vel duabus Perſonis: Ergo neque ut *Fautor* Hæreſeos damnari potuit.

RESP. HONORIUS SERGII Fraude inductus, equidem exiſtimavit, hoc Silentio oppoſitas Hæreſes opprimi, & ad Eccleſiaſticam Unionem reduci poſſe; ſed potius fidere, ac magis credere debuiſſet Sophronio, qui Doli latentis commonefecerat: Hinc impegit in Regulas Prudentiæ, & conſcientia, forte invincibiliter erronea, ſerpenti Hæreſi Fomenta ſubminiſtravit.

OBJIC. XI. SOPHRONIUS Hieroſolym. 364 Patriarcha, pariter probavit Silentium; nec tamen propterea fuit damnatus: ergo neque damnari debuit HONORIUS.

RESP.

Resp. Sophronius ab Initio quidem Turbarum, Metu Schismatis, probavit Silentium: at ubi detexit Fraudes, Monothelitarum & Virus late ferpens; rupto Silentio primus fere apertum Errori Bellum indixit: non ita Honorius.

Objic. XII. Romani Pontifices litiganti- 365
bus ex oppofito Partibus non raro indixerunt Silentium; quamvis alterutra Opinionum, contradictorie oppofitarum, foret in Fide erronea. Sic in Materia de Efficacia Gratiæ, Molinistas inter & Dominicanos acerrime ventilata: In Quæftione de B. V. Mariæ Conceptione, ejusque Immunitate ab originali Peccato, impofitum fuit Silentium; nec tamen illi Pontifices Imprudentiæ & Favoris, Errori impenfi, argui poffunt, fed potius commendabatur eorum Oeconomia: ergo idem dicendum de Honorio.

Resp. *Dift.* Ufi funt Pontifices Romani non raro Oeconomia, & impofuere Silentium, quando Veritas nondum clare patebat; vel dum agebatur de *Vocabulis*, *Factis*; *Sententiis*, non omnino indubitatis. *Conc.* Quando agebatur de *Dogmate* neceffario & evidenti, e cujus Suppreffione Eutychiana Lues apertum acciperet Incrementum, uti contigit in caufa Monothelitarum. *Neg.*

CAPUT VI.

De duarum Naturarum hypostatica Unione, ejus Proprietatibus & Consectariis.

366 Geminam in CHRISTO Naturam fuisse, divinam, & humanam, inconfusam atque inpermixtam, hactenus ostensum fuit; cum autem utraque in eodem Supposito exstiterit, hinc de ipsa Unione hypostatica nunc pertractandum venit. Et quidem §. I. inquirendum, quid, & qualis hæc Unio sit, & quæ a VERBO fuerint assumta? §. II. Quæ hujus Unionis fuerint consectaria? §. III. Quæ & qualis sit Idiomatum communicatio, & Regulæ circa eam observandæ?

§. I.

Quid, & qualis sit hypostatica Unio, & quæ a Verbo fuerint assumta?

367 UNIONIS *hypostaticæ* nomine, intelligitur intima, realis & physica Naturæ humanæ cum Verbo conjunctio; quam quidem perfecte a nobis comprehendi non posse, nemo mirabitur, qui consideraverit, ne eam quidem, quæ nobis ipsis inest,

Ani-

Animæ corporisque conjunctionem liquido concipi & explicari posse. Litigant de ea imprimis, an hæc Unio aliquid ab Extremis distinctum sit per modum Qualitatis absolutæ supernaturalis : aut per modum Relationis realis : vel an sit Entitas quædam *modalis* : aut an ipsa Actio, qua producta fuit Humanitas CHRISTI? Probabilius illi sentire videntur, qui eam nihil ab Extremis distinctum, sed ipsam Naturam humanam, & Verbum, unita definiunt : quemadmodum plerique hodie statuunt, Animam in Homine uniri corpori per semetipsam, absque ulla superaddita Entitate. Sed hanc Quæstionem modicæ, & vix ullius utilitatis, vel insinuasse sufficiat.

Ex dictis utroque Capite præcedente fa-368
cile consequitur, Unionem hypostaticam factam fuisse, non in Natura, sed in Persona ; si enim facta fuisset in Natura : tunc, quia Divina Natura eadem est in tribus SS. Personis, sequeretur, Patrem quoque, & Spiritum S. humanæ Naturæ fuisse unitum, quod falsum est. Sequeretur insuper, quod ex duabus Naturis una coaluisset *composita* : quod iterum erroneum est.

Cum etiam ex dictis, una fuerit in369
Christo Persona ; contra PAULUM Samosatenum, & NESTORIUM, qui existima-

runt, CHRISTUM prius fuisse perfectum Hominem, antequam meruerit fieri Templum Divinitatis; & contra ORIGENEM, qui docuit, Animam CHRISTI prius fuisse creatam, eamque suis Meritis obtinuisse, ut postea cum Verbo & humana carne uniretur, contra istos, inquam, sequitur, humanam CHRISTI Naturam nulla sui parte exstitisse ante Unionem cum Verbo: cujus Ratio est; quia si humana CHRISTI Natura prius per se complete exstitisset; tunc nunquam fuisset unita *hypostatice*, sed fuissent duæ Personæ: 2. Quia Anima CHRISTI ejusdem cum nostris Animabus conditionis fuit: atqui Animæ nostræ non prius creantur, quam Corpori infunduntur. Ergo nec Anima CHRISTI prius exstitit.

370 Quod attinet *Extrema* Unionis, nimirum Personam assumentem, & Naturam assumptam, plures agitantur Quæstiones parum utiles: v. g. an una Persona possit assumere plures Naturas: aut plures Personæ eandem? utrum potuerit assumi Natura Angelica; quod est indubium: vel an etiam irrationalis? de quo disputare pudet. An Natura humana CHRISTI habuerit peculiarem Existentiam: quod affirmandum; quia, quod per se est aliquid reale, illud etiam per se existit, cum, ut ex Philosophia supponitur, Exsistentia & Essentia, inter se non distinguantur. An

a Verbo assumpta fuerit Natura singularis, an vero quædam communis, universalis, ab omnibus individuis abstracta? quod negandum; cum Natura universalis & præcisa, non nisi in Intellectu, non autem a parte rei existat: a CHRISTO autem assumpta fuerit Natura realis & positiva, & CHRISTUS vere fuerit Suppositum singulare ac individuum. Quæ de hac UNIONE Theologo scitu magis necessaria sunt, distinctis Resolutionibus dilucidabitur.

RESOLUTIO I. Quamvis Verbum eodem 371
Temporis instanti assumpserit Corpus & Animam, prioritate tamen Naturæ, vel quasi prius, assumpsit Animam, & hac mediante corpus.

PROB. I. Pars. Humana CHRISTI Natura, nulla sui parte exstitit ante Unionem cum Verbo, ut ostendi contra NESTORIUM: ergo eodem Instanti reali assumtum fuit a Verbo Corpus & Anima; secus aliqua sui parte, vel secundum Corpus, vel secundum Animam, Natura exstitisset. Ita omnino loquuntur Patres: v. g. FULGENTIUS lib. de fide ad Petrum cap. 18. „ Firmissime tene, & nullatenus
„ dubites, carnem Christi non sine Divi-
„ nitate conceptam in utero Virginis,
„ priusquam susciperetur a Verbo; sed
„ ipsum Verbum Deum suæ carnis ac-
„ ceptione conceptum, ipsamque carnem

„ Verbi Dei incarnatione conceptam. „ S. LEO M. Epiſt. 25. „ Natura noſtra „ non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata „ poſt aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptio„ ne crearetur. „

372 Ratio eſt. Anima CHRISTI ejusdem cum noſtra fuit conditionis : atqui non prius creatur noſtra Anima, quam infundatur, ſeu uniatur Corpori : *ergo*. Hac tamen cum Differentia; quod corpora noſtra ordinaria generatione ſucceſſive diſponantur, ſuisque præparentur Organis, donec apta fiant, ut per illa Anima ſuas operationes exercere, ſeu corpus informare valeat : Corpus autem CHRISTI, operatione Spiritus S. ſimul ac ſemel ex Subſtantia MARIÆ perfectum, efformatum, Animæ ac Verbo adaptatum, eodemque formationis Inſtanti Animæ ac Verbo unitum fuit.

373 PROB. II. Pars. Sic enim loquuntur Patres, GREGORIUS Nazian. AMBROSIUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS M. a TOURNELLIO relati, Corpus fuiſſe unitum Verbo, mediante Anima; tum ut obviarent Paganis, cavillantibus, Deum, ſpiritum ſimpliciſſimum, ut volebant Chriſtiani, intime uniri non poſſe cum craſſo corpore : quin ejus Sordibus contaminetur divina Majeſtas; tum ut refellerent APOLLINARISTAS, CHRISTUM Anima humana privantes.

vantes. Si enim Anima, quamquam ſpiritualis, per ſe uniri poteſt corpori materiali, quin inde maculetur; multo minus fœdabitur Divinitas per unionem cum corpore: cum Deus uniatur primo Animæ, & hac mediante corpori.

PROB. Ratione I. Subſtantia ſpiritualis 374
completa & perfecta, quæque ad hoc ex ſe ordinata non eſt, ut cum alia comparte conſtituat aliquod totum; non poteſt concipi immediate conjuncta cum Subſtantia corporea: atqui Verbum eſt talis Natura ſpiritualis completa, & ad aliud ex ſe non deſtinata. Ergo.

II. Divinitas per ſe eſt Sapientia, Sanctitas, Veritas &c. caro autem ratione ſui, & immediate, non eſt capax Sapientiæ. *Ergo* debuit fieri capax mediante Anima, quæ eſt capax Gratiæ, Sanctitatis, & Sedes Sapientiæ.

III. Tota Incarnationis Vis conſiſtit in eo, quod Divinitas intime pervadat & immeet in carnem; hæc autem Pervaſio & immeatio in carnem, concipi aliter non poteſt, niſi per interventum Animæ ſpiritualis. *Ergo*.

RESOLUTIO II. Verbum hypoſtatice aſ- 375
ſumpſit Animam & Corpus, omnesque Partes ad corporis Perfectionem requiſitas.

PROB. I. Pars. Verbum hypoſtatice ſibi univit Naturam humanam *perfectam*: atqui hæc conſtat ex Corpore & Anima. *Ergo.*

376 PROB. II. Pars. Verbum aſſumpſit Corpus perfectum, noſtro ſimile: ergo etiam hypoſtatice aſſumpſit omnes Partes, ad corporis humani perfectionem requiſitas. Sunt autem iſtæ triplicis generis. 1. Quæ pertinent ad integritatem, ut Oſſa, Nervi, Membra. 2. Quæ pertinent ad Vitam & Functiones vitales: ut Sanguis, Spiritus, Humores. 3. Quæ pertinent ad Ornatum, ut Ungues, Capilli &c.

377 PROB. Specialiter de Sanguine aſſumpto hypoſtatice. In S. Scriptura ſæpius fit mentio Sanguinis CHRISTI: ut Hebr. II. 14. *Pueri communicaverunt Carni & Sanguini, & ipſe ſimiliter participavit eisdem.* De eodemque Sanguine dicitur, quod fuerit Pretium noſtræ Redemptionis ut ad Eph. I. 7. *Habemus Redemptionem per Sanguinem ejus.* Et I. Petri I. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine* &c. Conſequenter Sanguis CHRISTI fuit infiniti Valoris, qualis requirebatur ad condignam Satisfactionem: atqui Valor infinitus Sanguinis CHRISTI non aliunde haberi poterat, quam ab Unione hypoſtatica cum Verbo. Ergo. Hinc ait CLEMENS VI. cap. 2.

de

de Pœnit. & Remiſſ. inter extravagantes commun. Gutta Sanguinis modica propter ſuam cum Verbo unionem ſuffeciſſet pro Redemptione totiùs humani Generis.

RESOLUTIO III. Unio hypoſtatica, ſuo378 ſenſu eſt *naturalis*, *ſubſtantialis*, omniumque unionum *maxima*.

PROB. I. Pars. *Naturalis* eſt 1. quia vera eſt & phyſica, non ſolum *moralis*. 2. Quia eſt unio duarum *Naturarum*, non vero Perſonarum: cetera autem eſt ordinis *ſupernaturalis*.

PROB. II. Pars. EX S. JOANNE Dama-379 ſceno lib. 3. cap. 3. „ Subſtantivam uni-
„ tionem dicimus, hoc eſt, veram, non
„ ſecundum Imaginationem. Subſtantivam
„ porro non ſic, tanquam Naturæ duæ
„ unam Naturam compoſitam effecerint,
„ ſed ita, ut unitæ ſint invicem revera
„ in unam hypoſtaſin compoſitam filii Dei. „
Ratio eſt; quia revera duæ Subſtantiæ invicem immediate uniuntur. Igitur Unio eſt *ſubſtantialis*.

PROB. III. Pars. Illa Unio dicenda eſt380 *maxima*, cujus Extrema maxime inter ſe diſtant: atqui Extrema Unionis hypoſtaticæ, nimirum Natura humana & Divina, maxime, utpote infinite, inter ſe diſtant. *Ergo*. 2. Deus non potuit modo præ-

ſtantiore ſeſe communicare creaturæ, quam eandem in Unitatem Suppoſiti aſſumendo, quod fit per Unionem hypoſtaticam: ergo eſt *maxima*.

381 Resolutio IV. Unio hypoſtatica, *perpetua*, & *indiſſolubilis* eſt. Contra Origenem, qui ut reliqua corpora, ita & humanam Chriſti Naturam aliquando interituram aſſeruit. Eſt etiam contra Marcellum Ancyranum, qui & ipſe exiſtimavit, Verbum nonniſi ad Tempus aſſumpſiſſe humanam Naturam; donec Christus Officio ſuo eſſet perfunctus; poſt ultimum vero Judicii Diem Corpus & Animam eſſe depoſiturum, illis in nihilum redigendis, & Regno ſe abdicaturum, deinceps a Patre adminiſtrando. Eſt etiam contra quosdam Arianos, aſſerentes, Divinitatem Christi Tempore Paſſionis ita fuiſſe conterritam, ut eum ante Obitum plane deſeruerit; forte illis Christi verbis abuſi: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

382 Prob. S. Scriptura & ipſum Chriſtum, & ejus Regnum ac Sacerdotium deſcribit, & prædicit fore *perpetuum*; atqui Christus, eſt ipſum Verbum, Naturæ humanæ hypoſtatice unitum: ergo ita unitus erit *perpetuo*, & *indiſſolubiliter*. *Maj. prob.* Joan. XII. 34. *Chriſtus manet in æternum.* Et Rom. VI. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non domi-*

dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Luc. I. 33. *Regni ejus non erit finis.* Quod etiam antea prodierat *Daniel* VII. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum, quod non corrumpetur.* De Sacerdotio ejus prædixit David Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Et Paulus Hebr. VII. 27. *Christus, eoquod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ibid. XIII. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.*

PROB. II. CHRISTUS sua Passione meruit 383
tantam Corporis sui gloriam, qua nunc fruitur: atqui gloria Beatitudinis, uti reliquorum Hominum æterna est, ita & CHRISTI æterna erit. Ergo unio hypostatica est *indissolubilis.* Hinc etiam ortum est Adagium inter Theologos receptum: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

Hinc vero gemina oritur Difficultas. I. 384
Utrum in Triduo Mortis CHRISTI, dum Anima fuit separata a corpore, Verbum manserit hypostatice unitum Corpori & Animæ, & utrum CHRISTUS eo tempore verus homo fuerit? II. Utrum Sanguis CHRISTI, Tempore passionis effusus, manserit Verbo hypostatice unitus, fueritque a CHRISTO resurgente iterum assumptus?, Quæ quidem controversia an-

no

no 1462. ſub Pio II. agitata fuit inter Dominicanos & Franciſcanos; his negantibus, Sanguinem effuſum Triduo mortis manſiſſe hypoſtatice Verbo unitum; illis affirmantibus. Poſt triduanam Diſputationem coram ipſomet Pontifice habitam, Pontifex tandem utrique Parti impoſuit Silentium, addita lege, ne alterutra litigantium Pars ulterius Opinionem Cenſura notare audeat, donec a ſumma Sede lis fuerit deciſa; quod hactenus non contigit. Hinc diſputant adhuc Theologi, affirmantibus quibusdam, nonnullas quidem Sanguinis Particulas in Terris fuiſſe relictas, quæ tamen hypoſtatice Verbo unitæ non amplius ſint: aliis exiſtimantibus, illas Sanguinis Guttas, quæ Inſtrumentis Dominicæ Paſſionis adhærere videntur, non eſſe verum Sanguinem, ſed ejus a CHRISTO reaſſumpti loco, ſubſtitutum fuiſſe aliquid ejusdem coloris, ad perpetuam Paſſionis Memoriam: aliis cum communiori aſſerentibus, Chriſtum omnem in Paſſione effuſum Sanguinem reſurgendo reaſſumpſiſſe, ut jam nihil ejusdem in terra ſuperſit; illum autem Sanguinem, qui variis in locis aſſervatur, & a Populo fideli colitur, non eſſe Sanguinem, e Chriſti patientis Corpore, ſed ex Imagine crucifixi, BERYTHI a Judæis confixa, mirabiliter manaſſe. Nec deſunt tamen, qui Sanguinis, Tempore Paſſionis effuſi, Reliquias, v. g. Mantuæ, & in imperia-

li

li Monaſterio Vinearum, aut alibi ſuper-eſſe, & Verbo adhuc hypoſtatice conjunctas, adeoque cultu Latriæ abſoluto adorandas eſſe, contendunt.

RESOLUTIO V. Triduo mortis CHRISTI 385
dum anima fuit ſeparata a corpore, Divinitas corpori & Animæ unita manſit; tunc autem Chriſtus verus Homo non fuit.

PROB. I. Pars. CHRISTUM mortuum eſſe, & S. Scriptura expreſſe teſtatur, & Eccleſia in Symbolo confitetur. Atqui Mors conſiſtit in ſeparatione Animæ a corpore: ergo Anima Chriſti illo Triduo a corpore ſeparata fuit; quod & ipſe Chriſtus inſinuat in cruce exclamans: Luc. XXIII. 46. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: & inclinato capite emiſit Spiritum.* Et Pſal. XV. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: quæ Incorruptio corporis, utique provenit ab Unione Divinitatis permanente.

PROB. II. Pars. Juxta Scripturam & Fi- 386
dei Symbola, CHRISTUS fuit in Sepulchro, & fuit in Inferno, ſeu, Limbo Patrum: Mortuus & ſepultus eſt, deſcendit ad Inferos. Atqui CHRISTUS dicit Divinitatem, ſeu Verbum; conſtat enim CHRISTUS ex Divinitate & Humanitate, vel aliqua ſaltem Humanitatis Parte: ergo Verbum manſit unitum corpori ſepul-

to,

to, & Animæ in Inferno existenti. Id insinuant Verba S. PETRI Ep. I. cap. III. 19. *Christus pro peccatis nostris mortuus est .... mortificatus quidem Carne, vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant Spiritibus veniens prædicavit.* Neque hoc mirum; Verbum enim propter suam Immensitatem in pluribus locis esse, & tam Animæ, quam corpori, quamquam ab invicem sejunctis, unitum esse potest. Quod etiam Patres passim affirmant. Et licet nonnulli, ut TERTULLIANUS, EUSEBIUS, HILARIUS, EPIPHANIUS, AMBROSIUS, videantur asserere, Verbum a corpore Triduo Mortis recessisse; exponi tamen benigne debent, quod voluerint, Verbum recessisse ab Humanitate, subtrahendo suam singularem Protectionem, utpote permittendo Christum interfici: non autem quod voluerint affirmare Separationem quoad Substantiam. Quod si commode ita exponi non possint; hoc in capite cum reverentia a paucis illis recedendum, & inhærendum trito Theologorum Adagio: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

387 PROB. III. Pars. Homo neque est Anima sola, neque Corpus solum, sed hæc duo unita: ergo quia Tempore Mortis & toto Triduo Anima corpori unita non fuit; Christus verus homo non fuit, contra MAGISTRUM Sententiarum, PETRUM Lombardum. RESO-

RESOLUTIO VI. Sanguis CHRISTI in Passione effusus, toto Tempore mansit Verbo hypostatice unitus, & CHRISTUS resurgens illum totum reassumpsit; ut adeo Corpus Christi ne nunc quidem sine Sanguine sit, uti tamen contendunt nonnulli CALVINIANI. 388

PROB. I. Pars. Sanguis CHRISTI præcipuum fuit Redemptionis nostræ Pretium: & Sanguis non aliter fuit Redemptionis Pretium, quam prout pro nobis *effusus*, ut patet ex Formula consecrationis Calicis: *Hic est Sanguis novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*, seu, effunditur, *in remissionem peccatorum*. Atqui Valor & Pretium infinitum Sanguinis effusi, non aliunde provenit, quam ab hypostatica cum Verbo Unione: ergo Sanguis effusus, Verbo mansit unitus.

II. Ista Propositio: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, etiam intelligi potest de Sanguine *effuso*: ergo ejus Incorruptio provenit ab Unione cum Verbo permanente. 389

III. Sanguis, qui e CHRISTI mortui Latere aperto fluxit, a Patribus quandoque vocatur *salutaris*, & *vivificus*: utique propter Unionem hypostaticam cum Verbo. 390

IV.

391 IV. Si Triduo Mortis CHRISTI quidam Apoſtolorum Euchariſtiam conſecraſſet; tunc utique *vi Verborum* præſens fuiſſet Sanguis, & cultu Latriæ adorari debuiſſet, utique propter Divinitatem, Sanguini junctam.

392 PROB. II. Pars. 1. ex S. THOMA, qui pluribus in locis & præcipue in IV. Sent. Diſt. 44. Q. 1. a. 2. quæſtiuncula 2. & 3. & Quodlibeto V. Q. 3. a. 5. ubi ex Inſtituto quærit, utrum totus Sanguis Chriſti, qui in Paſſione ejus eſt profuſus, ad corpus ejus in reſurrectione redierit: quod affirmat: Item P. III. q. 54. a. 3. ad 1.

393 II. Non eſt ulla Ratio convincens, cur Sanguis ſemel hypoſtatice aſſumptus, potius debuerit a Verbo dimitti, quam corpus, aut aliæ Corporis Partes: & cur ad Sanguinem extendi non debeat receptum in Scolis Theologorum Adagium: *quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

394 III. Uti ratiocinatur D. THOMAS Quodlibeto cit. Quidquid ad Veritatem humanæ Naturæ pertinet, in Reſurrectione CHRISTI fuit aſſumptum: atqui Sanguis in Paſſione effuſus, ad veritatem humanæ Chriſti Naturæ pertinet; paſſus eſt enim in perfectiſſima Ætate.

IV.

IV. Juxta cit. S. Th. ſi Sanctorum Mar-395
tyrum illæ Partes, in quibus Paſſionem pro CHRISTO ſuſtinuerunt, quemdam privilegiatum Fulgorem in reſurrectione habent, ut AUGUSTINUS dicit XXI. de civit. Dei: utique multo magis Sanguis Chriſti, quem pro ſalute humani generis effudit, ad glorioſam Reſurrectionem reparatus eſt.

Quintam rationem deſumit S. D. ex vir-396
tute Paſſionis. „ Sanguis enim ille pro-
„ fuſus, humanum genus ſanctificavit,
„ juxta Heb. ult. 12. *Jeſus ut ſanctificaret*
„ *per ſanguinem ſuum populum, extra por-*
„ *tam paſſus eſt*: Humanitas autem Chriſti
„ ſalutiferam virtutem habuit ex virtute
„ Verbi ſibi uniti. . . . Unde manifeſtum
„ eſt, quod Sanguis in Paſſione effuſus,
„ qui maxime fuit ſalubris, fuit Divinita-
„ ti unitus: & ideo oportuit, quod in
„ reſurrectione jungeretur aliis humanita-
„ tis partibus. „ Ita S. Thomas. Sed hæc dicta ſint de Sanguine quoad Subſtantiam. Quod enim quasdam minores attinet Sanguinis Reliquias hinc inde aſſervatas, nolim piæ Fidelium Devotioni quidquam præjudicii generare.

PROB. III. Pars. De Chriſto dicitur Hebr.397
IX. 12. *Per proprium Sanguinem introivit in Sancta*: ergo nunc non eſt ſine Sanguine; fuit enim verus Sacerdos. Sicut

autem ſummus Pontifex Sanguinem fundebat extra Sancta, deinde vero eundem Sanguinem inferebat in Sancta Sanctorum pro Peccatorum Remiſſione: ita etiam CHRISTUS ſanguinem in Terra fuſum, cœlo quoque intulit.

398 Ratio eſt eadem; quia ex dictis, *quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam poſtea dimiſit.* Dein Euchariſtiæ Myſterium in futura ſæcula fuit inſtitutum: atqui Euchariſtia eundem Chriſtum continet, qualis nunc eſt in cœlo, nimirum verum Corpus & Animam, Carnem & Sanguinem habens. *Ergo.*

399 OBJIC. Contra hujus Reſolut. Partem II. Sanguis effuſus corrumpitur: atqui ſi fuit unitus Verbo, non fuit corruptus, propter illud: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ergo.

RESP. *Diſt.* Sanguis effuſus corrumpitur, ordinarie, quando hypoſtatice Verbo non eſt unitus. *Conc.* Si ſit unitus. *Neg.* Imo per Miraculum etiam alius Sanguis humanus ab incorruptione ſervari poteſt.

400 OBJIC. II. Naturæ humanæ Partes aſſumuntur propter Totum: atqui illo Triduo non fuit Totum; quia Anima erat ſeparata a corpore.

RESP. Aſſumuntur propter Totum; ſed ſemel aſſumptæ, retinentur, propter id, quod

quod eſt nobilius, nempe propter Hypoſtaſin. Quamvis autem Tempore Mortis non fuerit Totum unitum; Divinitas tamen erat unita Corpori & Animæ, licet ſeparatis: cur non potuerit eſſe unita Sanguini a Corpore ſeparato?

OBJIC. III. Illæ Sanguinis Partes, quæ 401
CHRISTO vivente naturali Calore continuo ſolvebantur, non manebant Verbo hypoſtatice unitæ: ergo nec Sanguis in Paſſione effuſus.

RESP. Nego *conſeq.* Nam illæ neque in Reſurrectione fuerunt aſſumptæ; eoquod fuerint Partes excrementitiæ, ſuperfluæ, & ad Integritatem Corporis humani non neceſſariæ.

OBJIC. IV. Aqua, quæ e CHRISTI La- 402
tere poſt Mortem fluxit, non manſit unita Verbo: ergo nec Sanguis.

RESP. Si Aqua illa prius fuit hypoſtatice unita, antequam e Latere aperto flueret; tunc nego quod non manſerit hypoſtatice unita. Si autem fuit alius Humor de novo creatus, nec unquam Verbo unitus; tunc concedo, quod non manſerit unita, & quæro, utrum illa Aqua a CHRISTO reſurgente fuerit reaſſumpta, vel non? Si fuit; tunc idem dico quod de Sanguine, nempe etiam in Triduo fuiſſe hypoſtatice unitam. Si non fuit a

Chriſto reſurgente aſſumpta ; tunc nunquam fuit unita.

403 OBJIC. V. Præputium CHRISTI in Circumciſione ſeparatum , non manſit unitum hypoſtatice : ergo neque Sanguis.

RESP. *Tranſ. ant.* Variæ enim ſunt Authorum Sententiæ de illa Cuticula reſciſſa : & variæ Urbes de ea , tanquam pretioſiſſimo Theſauro , apud ſe repoſito ſibi gratulantur , de quo vid. Card. GOTTI de circumciſione agens Lib. de Verit. Relig. Chriſtianæ Tom. IV. P. I. cap. 9. §. IV. & SANDINI de vita Chriſti. Nego *conſequentiam* : Diſparitas eſt ; quia illa Cuticula non pertinebat ad Integritatem Corporis , hinc , ſi in Terris adhuc exſtet , a CHRISTO reſurgente non fuit aſſumpta , ſicut & plures aliæ Corporis Partes minus perfectæ in Reſurrectione corporum non aſſumuntur. Contra totus Sanguis pertinet ad Integritatem & perfectionem Naturæ. Ulterior Diſparitas eſſe poteſt ; quia Sanguis in Circumciſione effuſus , & Cuticula abſciſſa , non fuit Pretium Redemptionis : hinc Unione hypoſtatica deſtitui potuit.

404 OBJIC VI. Verbum aſſumpſit Carnem & Sanguinem mediante Anima : ergo ſeparata per Triduum a corpore Anima , Sanguis effuſus non manſit Verbo unitus.

RESP.

Resp. Etiam corpus pro priori Naturæ fuit assumptum mediante Anima, & tamen ab Anima separatum, mansit unitum Verbo: ergo & Sanguis.

Objic. VII. Non est verosimile, quod 405
Verbum omnibus Sanguinis Guttis, in Passione effusis & sparsis, manserit hypostatice unitum; quia pro Numero Guttarum debuisset multiplicari Unio hypostatica.

Resp. Nullam opus est fingere Unionis multiplicationem; cum idem Verbum per se immediate unitum sit Naturæ humanæ, ejusque Partibus.

Objic. VIII. Ex hypostatica Unione 406
Verbi cum Humanitate, sequitur communicatio Idiomatum; ut dici possit, Deus natus, passus, mortuus: at dici non potest, Deus *effusus*: ergo Sanguini effuso Verbum non mansit unitum.

Resp. Cum communicatio Idiomatum cadat solum in Totum, non in Partem; hinc non obstante Sanguinis cum Verbo hypostatica Unione, dici tamen non debet, *Deus effusus*.

Objic. IX. Hoc Theologorum Effatum: 407
Quod Verbum assumpsit, non dimisit, intelligendum solum est de Partibus essentialibus & integrantibus: secus etiam Verbum dici deberet unitum cum Humori-

bus, Pilis, Unguibus, quod videtur absurdum.

Resp. Hoc Effatum intelligi debet de omnibus Partibus, sive ad Essentiam, sive ad Integritatem, sive ad Ornatum & Decorem spectantibus. Hinc D. Thomas expresse docet: Pilos quoque & Ungues a Christo fuisse assumptos, & a nobis in corporum Resurrectionem esse accipiendos; quia, ut dixit Christus Math. X. 30. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*: Et Luc. XXI. 18. *Capillus de capite vestro non peribit.*

§. II.

De Consectariis Unionis hypostaticæ.

408 Pro intelligendis variis Patrum loquendi Modis, Quæritur I. An recte dicatur: *Christus est duæ naturæ*?

Resp. Affirmative: Nam duæ Naturæ, divina & humana, unum constituunt Suppositum quod est Christus. Atque ita locuti sunt Augustinus, Leo M. Maximus M. Gregorius Nazian. Joannes Damascen. Improbatus quidem fuit iste loquendi modus in Wiclefo & Husso, qui volebant, duas Naturas divisim, non conjunctim spectatas, esse Christum.

Quæ-

QUÆRITUR II. An recte dicatur: CHRI-409
STUS est *ex* duabus, & *in* duabus Naturis?

RESP. Utrumque recte dicitur; nam ita quoque Patres locuti sunt. Revera enim CHRISTUS constat *ex* duabus Naturis, & subsistit *in* duabus. Quoniam vero EUTYCHES pravo Sensu dixerat, CHRISTUM esse *ex duabus naturis*, nempe *confusis* & conflatis in unam, non vero *in* duabus; hinc maluerunt Patres dicere, Christum esse duas Naturas, & esse *in* duabus.

QUÆRITUR III. An Christus possit dici410
ex *tribus Substantiis*?

RESP. Pro diverso Sensu CHRISTUS dici potest, & ex *duabus Naturis*, nempe divina & humana, & ex *tribus Substantiis*, videlicet Divinitate, corpore & Anima. Atque posteriore modo loquendi usi sunt Patres adversus APOLLINARISTAS. Tres tamen Naturas dicere, fas haud est.

QUÆRITUR IV. Rectene dicatur CHRI-411
STUS, *compositus ex duabus Naturis*?

RESP. CHRISTUS potest dici compositus, compositione improprie tali, quæ vocatur *cum his*: non autem proprie tali, quæ dicitur *ex his*. Nam Compositio proprie talis est, quæ fit ex Partibus incompletis, & ad invicem ordinatis, ubi una habet rationem Materiæ & Potentiæ, altera ra-

tionem Actus & Formæ : ut Anima & Corpus , ex quibus proprie componitur Homo. Taliter CHRISTUS non poteſt dici compoſitus ; quia neque Natura humana ad divinam , nec hæc ad illam *per ſe* ordinata eſt , nec divina incompleta eſt. Dein Totum ex partibus proprie dictis compoſitum , qualibet comparte ſeorſim ſpectata perfectius eſt : atqui CHRISTUS in duabus Naturis non eſt aliquid perfectius Natura divina ſeorſim ſpectata. *Ergo*. Quod vero dici poſſit compoſitus compoſitione *cum his* , ſeu , per modum Numeri , Ratio eſt ; quia illud dicitur compoſitum *cum his* , quando duo inter ſe diſtincta , nec ad invicem ordinata uniuntur. Atqui in CHRISTO duæ Naturæ inter ſe diſtinctæ , nec ad invicem ordinatæ , uniuntur , ut unum conſtituant Suppoſitum. *Ergo*.

412 QUÆRITUR V. An Perſona Verbi poſſit dici *compoſita*.

RESP. Poteſt dici , Senſu mox expoſito. Vere enim CHRISTUS , ut Suppoſitum , compoſitus , ſeu unitus eſt cum duabus Naturis. Ubi tamen Nomen Perſonæ non ſumitur in *abſtracto* pro Perſonalitate , ſed in *concreto*.

§. III.

De Communicatione Idiomatum.

Nomine *Idiomatis* hic intelligitur quod-413
vis *Attributum*, *Prædicatum*, divinæ vel humanæ Naturæ proprium, ſic, eſſe *æternum*, *immenſum*, eſt Idioma, ſeu Prædicatum, Naturæ divinæ proprium. Contra eſſe *creatum*, *limitatum*, *paſſibile*, &c. Prædicata ſunt, Naturæ humanæ propria. Itaque Communicatio Idiomatum eſt reciproca Attributorum divinæ & humanæ Naturæ de ſe invicem & de Chriſto Prædicatio. Hæc autem Prædicatio fieri poteſt, vel *in abſtracto de Natura*: ut, Natura divina eſt mortalis, vel Divinitas mortua eſt: aut *in concreto de Perſona* v. g. Deus mortuus eſt: Homo factus eſt Deus. Hinc oppoſiti evitandi ſunt Erro-res. Primus eſt NESTORII, qui communicationem Idiomatum neque *in concreto* admiſit, ideoque dici noluit, Deum eſſe natum, trimeſtrem, paſſum, mortuum &c. Alter eſt LUTHERANORUM, qui communicationem Idiomatum de Natura etiam *in abſtracto* ſtatuunt, voluntque humanam CHRISTI Naturam eſſe ubique præſentem, dicti propterea UBIQUITÆ, ſeu UBIQUITARII.

414 Notandum insuper I. Nomina alia esse *abstracta*, quæ Formas solum significant: ut Divinitas, Humanitas. Alia esse *concreta*, quæ Subjectum simul, & Formam complectuntur: ut Deus, Homo &c. quod idem est, ac habens Divinitatem, vel Humanitatem. II. Nomina *concreta* alia esse *substantiva*, ut Homo, Deus: alia *adjectiva*: ut immensus, passibilis. III. Nomina *concreta adjectiva* alia esse derivata ex substantivis, uti divinus, humanus: alia, quæ denotant Proprietates, Actiones, Passiones, uti mortalis, natus &c.

415 Resolutio I. In Christo vi unionis hypostaticæ admittenda est Idiomatum communicatio *in concreto*, seu respectu Personæ.

Prob. Ex dictis contra Nestorium Christus est unica Persona in duabus Naturis subsistens: ergo de eodem prædicari possunt Attributa, utrique Naturæ competentia. Sic dicit Scriptura: Joan. I. *Verbum caro factum est.* Apocal. I. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, dicit Dominus Deus . . . Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus.* Patrum Textus innumeri extant passim apud Theologos: ut, dum dicitur *Deus mortuus*: *Homo est Deus* &c.

416 Resolutio II. In Christo admitti nequit Idiomatum communicatio *in abstracto*,

vi

vi cujus divinæ Naturæ Proprietates de humana, & Proprietates Naturæ humanæ de divina *in abſtracto* prædicari poſſent. Hinc falſum eſt, Naturæ humanæ per Unionem hypoſtaticam communicatam eſſe *Ubiquitatem* ſeu, ut Lutherani loquuntur, *Omnipræſentiam*, *Omnipotentiam*, *Omniſcientiam* &c. contra *Ubiquitas*.

PROB. I. Quæ realiter diſtincta ſunt, illa de ſe invicem prædicari non poſſunt; quia hoc ipſo, quod realiter diſtincta ſint, unum non eſt alterum. Atqui Natura divina & humana realiter diſtinctæ ſunt: & quamvis in Chriſto unitæ ſint; ea tamen Lege fuerunt conjunctæ, ut quælibet Natura ſervaret ſuas Proprietates, quod PP. clare docent adverſus EUTYCHEN: Ergo neque Natura divina de humana, neque Naturæ divinæ Proprietates de humana prædicari poſſunt: conſequenter non datur Idiomatum communicatio *in abſtracto*. Sic falſo dicitur: Divinitas eſt Humanitas, vel Divinitas eſt paſſibilis: Humanitas eſt impaſſibilis, æterna, immenſa. Ergo.

PROB. II. Quod *Omnipræſentia* non fue- 417
rit communicata humanæ CHRISTI Naturæ, nec de ea prædicari poſſit. Conſtat ex pluribus S. Scripturæ locis, quod CHRISTUS ſecundum Naturam humanam *alicubi* non fuerit, etſi ut Deus, propter ſuam Immenſitatem ſemper *ubique* ſit. Nec

mirum;

mirum ; assumpsit enim corpus *circumscriptum* , consequenter secundum Naturam humanam nonnisi uno in loco fuit. Sic dum loquitur de Morte LAZARI Joan. XI. 15. ait: *Gaudeo propter vos , ut credatis , quoniam non eram ibi.* Erat utique ibi secundum Divinitatem : ergo non erat ibi secundum Humanitatem. Dum quæreretur in Sepulchro : respondit Angelus Math. XXVIII. 5. *Jesum , qui crucifixus est quæritis. Surrexit , non est hic.* Dixit & ipse Math. XXVII. 11. *Pauperes semper habetis vobiscum , me autem non semper habebitis :* Item *relinquo mundum , & vado ad Patrem ;* & de eo ascendente dicit Lucas XXIV. *Recessit ab eis , & ferebatur in Cœlum.* Et Act. I. *Videntibus illis elevatus est , & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Et Act. III. 21. *Quem oportet cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Atque hinc oritur etiam Ratio Theologica. Si CHRISTUS secundum humanam Naturam & Corpus , omnipræsens , seu , ubique est ; tunc falsum est , quod sit *natus* ex utero Virginis , quod fuerit sepultus , descenderit ad Inferos , ascenderit in cœlum ; qui enim ubique est, ille non transfertur de uno loco in alium : sicut , quia Verbum ubique est , non potest , alicubi non esse.

418 Respondent LUTHERANI , duplicem in CHRISTO distingui Præsentiam : unam vocant

cant *physicam*, naturalem, & visibilem, quæ corpus facit in loco esse *circumscriptive*, & quam humana Natura haberet, etiamsi non foret unita Divinitati; & secundum hanc CHRISTUS tantum erat in Utero Virginis, inde exivit, in Terris ambulavit, in Sepulchrum, in Infernum, in Cœlum abiit. Aliam vocant *hyperphysicam* & divinam, quæ vi unionis personalis, cum Humanitate communicata est; & secundum hanc, humanam Christi Naturam *omnipræsentem* esse dicunt: sed

CONTRA est I. Omnipræsentia, seu Im-419
mensitas, est Proprietas Divinitatis: atqui Proprietates unius Naturæ non sunt communicatæ alteri Naturæ: secus fuissent Naturæ confusæ: ergo omnipræsentia non fuit communicata Naturæ humanæ: hinc nec prædicari de illa potest.

CONTRA est II. Si humanæ Naturæ com-420
municata fuit *Omnipræsentia*, & reliqua naturæ divinæ Attributa; tunc illa Idiomatum communicatio vel fuit *perpetua*, vel Natura humana aliquando iisdem caruit? Neutrum potest dici, si enim fuit *perpetua*; tunc Natura humana uti fuisset omnipræsens, ita etiam fuisset impassibilis, sicque totum ruit Redemptionis opus. Nec potest dici secundum; nam Idiomatum communicatio, secundum Lutheranos, fundatur in communione Naturarum, hæc autem

tem in Unione perſonali, ſeu, hypoſtatica. Ut ergo nunquam deſiit Unio Naturarum perſonalis; ita nunquam ceſſare potuit Idiomatum communicatio. Ergo falſum eſt, divinæ Naturæ Proprietates, fuiſſe communicatas humanæ, ſicque hanc fuiſſe omnipræſentem.

421 Reſpondent Lutherani, humanam CHRISTI Naturam quoad *Poſſeſſionem* nunquam carere potuiſſe illa Idiomatum communicatione: Chriſtum tamen, ut Opus Redemptionis perficeret, ſecundum humanam Naturam *plenario* ſaltem uſu Idiomatum divinorum quorumdam ſe abdicaſſe in *Statu Exinanitionis*, id eſt, ab Inſtanti Conceptionis usque ad Statum Mortis & Sepulturæ, eum tamen in *Statu Exaltationis* plenarie reaſſumpſiſſe; & ideo nunc humanam Chriſti Naturam plenario Uſu Idiomatum gaudere, & eſſe omniſciam, omnipotentem, omnipræſentem &c.

422 CONTRA eſt. Ex hoc ſequeretur, quod Natura humana *actu* quidem *poſſederit* divina Idiomata, ſed iis tamen in Statu Exinanitionis *uti noluerit*, ſicque Idiomata illa fuerint tantum *in Potentia*, ita ut ſecundum Naturam humanam *potuerit* eſſe omnipræſens, omnipotens, ſi voluiſſet. Atqui hoc falſum eſt. Ergo & ipſa Reſponſio. *Min. prob.* Repugnat, ut Attributum

butum divinum non ſit ſemper in actu, ſed aliquando ſolum in potentia; nam quodlibet Attributum divinum, eſt convertibile cum Deo, & eſt ipſe Deus, & vera eſt hæc Propoſitio: *Deus eſt omnipræſentia, omnipotentia, omniſcientia, æternitas, immenſitas ſanctitas* &c. & viciſſim: *omnipræſentia eſt Deus* &c. Ergo ſicut Deus non poteſt non eſſe ſemper in actu, cum ſit actus puriſſimus; ita etiam Attributum, quod eſt ipſe Deus, non poteſt non eſſe ſemper in actu. Cum enim Attributa divina non diſtinguantur *realiter*, ſed tantum *virtualiter* a Natura, & inter ſe; hinc in recto de ſe invicem prædicari poſſunt.

Nec juvat, ſi reſpondeant, Attributa 423
divina, quatenus ſunt in Deo, ſemper quidem eſſe in actu; quia divinæ Naturæ competunt *ex neceſſitate eſſentiæ ſuæ*, quæ non poteſt non eſſe in actu, ſecus non eſſet quod eſt: contra prout ſunt in Natura humana, poſſe aliquando non eſſe in actu, quia Natura humana illa tantum habet *communicative*, propter Unionem perſonalem.

Contra eſt I. Attributa divina, per 424
communionem Naturæ & Unionem perſonalem non mutantur, ſed permanent, quod ſunt: atqui ſunt ipſe Actus puriſſimus, quia in recto & convertibiliter prædicantur

dicantur de Deo Actu puriſſimo. Hinc verum eſt: *omnipræſentia eſt Deus, ſed Deus eſt actus puriſſimus: ergo omnipræſentia eſt actus puriſſimus.* Ergo Idiomata divina, Naturæ humanæ ſecundum Lutheranos communicata, ſunt Actus puriſſimus; ſed quod eſt Actus puriſſimus, nunquam poteſt eſſe ſine actu & ſolum in potentia. Ergo.

425 CONTRA eſt II. Si Naturæ humanæ non communicatur Idioma prout eſt in Deo; tunc vera non eſt Naturarum communio: III. Secundum LUTHERANOS, Idiomata communicata ſunt Naturæ humanæ propter communionem Naturæ divinæ & Unionem perſonalem: ergo ſicut nunquam ceſſavit Naturarum communio & unio perſonalis; ita nunquam ab actu ceſſare potuit Idioma communicatum.

426 CONTRA IV. Si Idioma communicatum, non ſemper fuiſſet in actu, ſed in potentia; tunc non fuiſſet communicatum *totaliter*, ut eſt in ſe, ſed tantum *participative*, quod eſt, partem accipere, partem relinquere; quia tantum fuiſſet communicata *Facultas* Idiomatis, non ejus *actus*: atqui hoc admitti non poteſt a LUTHERANIS, juxta quos Idioma communicatum, eſt divinum: quod autem eſt divinum, ex partibus conſtare non poteſt; cum Deus ſit Ens ſimpliciſſimum. *Ergo.*

PROB.

PROB. III. Si corpus Chriſti eſſet ubi-427
que præſens, tunc illud quoque eſſet immenſum, ſupernaturale & ſimpliciſſimum. Sed hoc falſum eſt. Ergo.

Reſpondent LUTHERANI *Diſt.* Sequelam, ſi corpori CHRISTI *per ſe*, & ex natura ſua, competeret Omnipræſentia; tunc eſſet immenſum &c. *Conc.* Si tantum propter participationem divinæ hypoſtaſeos, a qua ſeparari non poteſt omnipræſentia divina. *Neg.* Quod, qua ratione fieri poſſit, ajunt, noſtrum non eſt definire: ſufficit nullum eſſe Axioma Philoſophicum, ex quo certo conſtaret, ne quidem propter Unionem cum Divinitate Naturam quamdam finitam & corpoream, omnipræſentem eſſe poſſe.

CONTRA eſt I. Secundum Lutheranos, 428
Natura humana CHRISTI haberet omnipræſentiam, propter Participationem divinæ Hypoſtaſeos, a qua illa eſt inſeparabilis. Ergo ex eadem ratione deberet habere Immenſitatem, ſpiritualitatem, & Simplicitatem, quia hæc quoque Attributa a divina Hypoſtaſi ſeparari nequeunt. Atqui hæc tamen communicata non ſunt Naturæ humanæ: ergo neque omnipræſentia.

CONTRA eſt II. Etiamſi nullum obſtaret 429
Axioma Philoſophicum; obſtat tamen Regula Fidei, qua conſtat, diſtinctas Naturas

turas ita in CHRISTO fuiſſe unitas, ut quælibet ſuas Proprietates ſervaverit, nullaque orta fuerit Naturarum & Proprietatum confuſio, quod eſt definitum adverſus EUTYCHIANOS.

430 CONTRA eſt III. Non quæritur hic, utrum Natura humana *poſſit* eſſe omnipræſens: ſed utrum ob hypoſtaticam cum Verbo Unionem *actu* omnipræſens facta fuerit? quod Lutheranorum ratio non evincit, ex dictis.

431 PROB. IV. Non eſt major ratio, cur ſolum quædam Idiomata, v. g. Omnipotentia, Omniſcientia, Omnipræſentia fuerint communicata, poſſintque prædicari de Natura humana Chriſti, & non omnia reliqua? atqui fatentibus Lutheranis non omnia fuerunt communicata: aut ſaltem non omnia prædicari poſſunt. Sic, Natura Chriſti humana non poteſt dici *æterna*, *infinita*, *increata*, *immutabilis* &c. quamvis hoc veriſſime dicatur de CHRISTO ſecundum Naturam divinam. Ergo.

432 Reſpondent: Fuiſſe quidem omnia communicata, ſed non omnia prædicari: Ratio eſt; quia Attributa divina ſunt duplicis generis: quædam ſunt *operativa*: alia *quieſcentia*. Operativa ideo prædicantur, quia *immediate* communicantur & *per ſe*, cum eodem modo Filio Dei inſint, ut

ipſa

ipſa Hypoſtaſis : contra Attributa quieſcentia ſunt tantum Affectiones Operationum, & communicantur *mediate*. Hinc dici poteſt, Naturam CHRISTI humanam eſſe omnipræſentem, omniſciam &c. non autem eſſe *æternam* &c. quamvis dici poſſit, Naturam humanam habere Omnipræſentiam æternam ; nam quæ *mediate*, hoc eſt, mediantibus aliis Attributis communicata ſunt, etiam mediate, hoc eſt, mediantibus aliis Attributis prædicari debent. Rationem hujus diverſæ Prædicationis hanc reddunt ; quia verendum eſt, ne manifeſta contradictio oriatur, ſi Attributa *non operativa* immediate de CHRISTO ſecundum Naturam humanam prædicentur.

CONTRA eſt I. Ideo Attributa *quieſcentia*, 433
immediate prædicata de humana Chriſti Natura, involverent contradictionem; quia ſequeretur, illam in ſe eſſe æternam, immutabilem, abſolute neceſſariam &c. quod falſum foret: Ergo etiam Attributa *operativa* non poſſunt immediate prædicari de Natura humana, & contradictionem involveret iſta Prædicatio; quia pariter ſequeretur, illam in ſe eſſe omniſciam, omnipræſentem : quod pariter falſum eſt.

CONTRA eſt II. Ideo Omnipræſentia, &434
reliqua Attributa *operativa*, prædicari poſ-

ſent immediate de Natura humana ; quia ſecundum LUTHERANOS ab Hypoſtaſi divina, Naturæ humanæ communicata, ſeparari non poſſunt. Atqui etiam Attributa *quieſcentia*, tum ab Hypoſtaſi, tum a ſe invicem, ſeparari nequeunt, ſi conſequenter loqui velint: aut Rationem reddere debent Lutherani, cur hæc, non illa, ſeparari queant; cum quodlibet Attributum ſit ipſe Deus, vereque dicatur: *Deus, ut eſt omnipræſentia; ita & æternitas.* Ergo eſſent immediate communicata, conſequenter immediate prædicari poſſent.

435 Neque dicat aliquis, hac Reſponſione etiam everti Catholicorum Principia, qui & ipſi docent, Attributa divina ſeparari non poſſe a Natura Divina; hinc cum Natura divina ſit unita humanæ, ex communicatione Idiomatum ſequi, divina Attributa communicata eſſe Naturæ humanæ, illaque de hac prædicari poſſe. Nam

CONTRA eſt. Admittimus quidem illam communicationem Idiomatum *in concreto*, & prædicamus de *Suppoſito*: non autem *in abſtracto*, & de *Natura.* Quamvis enim Attributa non diſtinguantur *realiter* a Natura, diſtinguuntur tamen *virtualiter*, quod ſufficit. Sicut enim, licet tres Hypoſtaſes non *realiter*, ſed tantum *virtualiter* diſtinguantur a Natura Divina; Natura tamen divina cum Hypoſtaſi Filii communicari

nicari potuit Naturæ humanæ, absque hypostasi Patris & Spiritus S. quia Unio facta fuit in Persona, non in Natura.

OBJIC. Contra hanc Resolut. I. Cui om- 436
nia data sunt; huic nihil denegatum est: CHRISTO Homini omnia data sunt. Math. XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra.* Ergo. Atqui inter ceteras partes Majestatis hæc non est postrema, ut pro ratione & natura Dextræ Dei ubique præsens sit. Ergo CHRISTO Homini data etiam fuit Omnipræsentia.

RESP. *Dist. min.* Omnia data sunt *Christo* Homini, accipiendo *Christum* pro Persona vel Suppositio in concreto. *Conc.* Pro Natura in abstracto. *Neg.*

OBJIC. II. Deus est omnipræsens: Ho- 437
mo in Christo factus est Deus: ergo Homo Christus est omnipræsens.

RESP. *Dist. min.* Homo factus est Deus, sumendo Hominem pro Natura humana in abstracto. *Neg.* Sumendo Hominem pro Suppositio. *Conc.*

OBJIC. III. In Christo *inhabitat omnis* 438
plenitudo Divinitatis corporaliter. Coloss. II. 9. Ergo quæcunque sunt Divinitatis, communicata fuerunt Christo Homini.

RESP. *Dist. ant.* In CHRISTO, accepto pro Suppositio. *Conc.* Pro Natura humana in abstracto. *Neg.* το *corporaliter*, hic

ſolum denotat, quod Divinitas vere, realiter, ac *ſubſtantialiter* unita fuerit Humanitati, non ſolum *moraliter*, ut dixi adverſus NESTORIUM. In hoc ergo peccant Proteſtantes, quod Attributa, quæ a Scriptura & Patribus tribuuntur CHRISTO *Suppoſito*, illi approprient *Naturæ* humanæ in *abſtracto* conſideratæ. Sed Traditionem quoque Lutheranis adverſari, demonſtrat PETAVIUS, qui lib. X. de Incarnat. cap. 8. & 9. Græcorum, Latinorumque Patrum Teſtimonia clariſſima adducit.

439 OBJIC. IV. CHRISTUS dixit Math. ult. *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi*: & promiſit ſe adfuturum, *ubi duo vel tres eſſent in ejus nomine congregati.* Math. XVIII. 20. Atqui hoc non intelligitur de Natura divina, quam omnipræſentem eſſe, jam alias norant Diſcipuli. Ergo de Natura humana.

RESP. *Diſt. maj.* Promiſit CHRISTUS ſuam Præſentiam Humanitatis *realem*, ac *phyſicam*, ſeu, Divinam. *Neg.* Promiſit ſuam Præſentiam per Auxilia gratiæ aſſiſtendo, protegendo, inſpirando. *Conc.*

440 OBJIC. V. Verbum divinum eſt ubique: CHRISTUS eſt Verbum: ergo CHRISTUS eſt ubique. Atqui CHRISTUS, dicit etiam Naturam

turam humanam: ergo etiam habens Naturam humanam, eſt ubique.

Resp. *Diſt. maj.* Verbum eſt ubique, ratione ſuæ Perſonæ & Naturæ divinæ. *Conc.* Ratione Naturæ humanæ aſſumptæ. *Neg. Diſt.* etiam *min.* Christus eſt Verbum, duas habens Naturas, ſecundum quarum unam non eſt ubique. *Conc.* Secus. *Neg. Diſt.* conſequens: Ergo Christus eſt ubique, ſumendo Christum pro Perſona. *Conc.* Pro Natura humana. *Neg.*

Objic. VI. Quæ intime unita ſunt, illorum unum ſine altero eſſe non poteſt: atqui natura divina & humana in Christo intime & phyſice unitæ ſunt: ergo una ſine altera eſſe non poteſt. Atqui Natura divina eſt ubique; ergo & humana.

Resp. Retorqueo in Attributa, quæ Lutherani appellant *quieſcentia*, quæ quamvis intime unita ſint Humanitati, de Humanitate tamen prædicari non poſſunt. *Diſt. maj.* Quando ita adæquate uniuntur, ut unum altero latius non pateat. *Conc.* Secus. *Neg.* Sic Oculus & Anima, intime & phyſice in Homine uniuntur; neque tamen oculus ubique eſt, ubi eſt Anima, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Hinc Augustinus Ep. 187. ad Dardan. ait: *Non eſt conſe-*

consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus.

442 OBJIC. VII. Si humana Christi Natura non est ubique; tunc Verbum aliquando dimittit, quod semel assumpsit: cum enim Verbum sit ubique: hinc alicubi erit sine Humanitate, nisi & ipsa Humanitas sit ubique: atqui sequela est falsa. *Ergo.*

RESP. Nego Sequelam. Nullibi enim est Verbum, quin sit Homo: non sequitur tamen, ibi esse Hominem, ubi est Verbum; Verbum enim non ubique localiter includit Humanitatem, nec eam assumpsit per localem coexistentiam, sed per Unionem hypostaticam. Cumque Deus sit in loco per Operationem: Verbum autem non ubique operetur per Humanitatem; sequitur, Humanitatem non esse ubique, ubi est Verbum. Hinc hujus Propositionis: *Verbum alicubi non est homo*: duplex Sensus esse potest: 1. Verbum alicubi Humanitatem deseruit, quod falsum: 2. Verbum alicubi est, ubi non est Caro, seu, Natura humana Verbi: & hoc verum est.

Pro recta intelligenda Idiomatum communicatione a Theologis sequentes Regulæ tradi solent.

443 REGULA I. Nomina *abstracta Naturæ divinæ*, de Persona Christi identice prædicari possunt: v. g. Verbum est Divinitas, Æter-

Æternitas &c. non autem Nomina abſtracta *Naturæ humanæ*, v. g. Verbum eſt Humanitas, Mortalitas &c. Ratio eſt; quia Perſona Verbi eſt quod idem realiter cum Natura: Attributa autem Naturæ *realiter* non diſtinguuntur. Econtra Perſona non eſt idem realiter cum Natura humana.

REGULA II. Nomina abſtracta & Pro-444 prietates unius Naturæ, non poſſunt alteri tribui: hinc dici nequit: Divinitas eſt Humanitas. Ratio eſt; quia ut ipſe Naturæ, ita utriusque Naturæ Proprietates, diſtinctæ ſunt. Non raro tamen Patres Nomina abſtracta, v. g. Humanitatis, adhibuerunt pro concreto.

REGULA III. Nomina concreta *ſubſtan-445 tiva*, ſeu, quæ Naturam ipſam tanquam Formam cum Subjecto exprimunt, de CHRISTO, ac de ſe invicem, prædicari poſſunt. V. g. Homo eſt Deus, Deus eſt Homo. Ratio eſt; quia Nomina concreta proprie ſignificant Subjectum: atqui *idem* eſt in Chriſto Subjectum, quod omnia complectitur. Ubi tamen triplicem cautelam ſuggerunt Theologi: 1. Ut Nomina ſubſtantiva non inferant Suppoſitum *creatum*: v. g. hic Homo factus eſt Deus: quia ſenſum faceret, extitiſſe quoddam Suppoſitum, quod lapſu Temporis factum fuiſſet Deus, nec ante fuiſſet. 2. Ut non fiat *reduplicatio* v. g.

Deus, *qua Deus*, in Christo est Homo. 3. Ut evitentur Propositiones suspectæ, quæ licet suo Sensu veræ sint: alicui tamen Hæresi favere videntur. E. g. *Christus est Creatura*; quod verum est secundum Naturam humanam: quia autem hac Propositione usi fuerunt ARIANI pro Natura divina: vitandam monuere Patres.

446 REGULA IV. Nomina concreta *adjectiva*, quæ ex substantivis derivata sunt, non ita proprie attribuuntur CHRISTO. V. g. Non recte dicitur: *Deus factus est humanus*: aut Homo in Christo factus est divinus. Ratio est; quia ista non Naturam integram, sed aliquam tantum ejus Participationem significant: in CHRISTO autem utraque Natura integra est: quamvis negari non possit, Patres aliquando hoc loquendi modo usos fuisse.

447 REGULA V. Nomina adjectiva *absoluta* de Christo, & de se mutuo prædicantur, v. g. *Christus est mortalis*, immortalis, passibilis & impassibilis; modo nulla adhibeatur *Reduplicatio*. Ratio est; quia Nomina ista insinuant subjectum, quod est commune omnium Fundamentum.

448 REGULA VI. Nomina adjectiva unius Naturæ, nec de altera, nec de ejus Partibus recte dicuntur v. g. *Divinitas est nata*,

ta, *paſſa*. Ratio eſt; quia Naturæ in CHRISTO manſerunt diſtinctæ, uniusque Proprietates non tranſierunt in alteram.

REGULA VII. Nomina adjectiva, quæ 449
non Proprietates, nec Actiones, nec Paſſiones denotant, ſed meros defectus; nec CHRISTO, nec Verbo tribui debent. Sic Verbum non debet dici, *in Incarnatione mutatum* &c. quamvis Natura humana fuerit mutata.

REGULA VIII. Quæ ſunt ipſius Unionis, 450
non poſſunt promiſcue de Deo & Homine in CHRISTO viciſſim prædicari: Sic dici quidem poteſt, *Deus incarnatus*, non autem, *Homo incarnatus*. Ratio eſt; quia Idiomatum communicatio non ſpectat ad ipſam Unitionem, ſed eam ſequitur: hinc in iis ſolum locum habet, quæ ejus ſunt conſectaria.

Pro coronide QUÆRITUR I. Quid ſit 451
ſentiendum de hac Propoſitione: *Unus e Trinitate paſſus eſt?*

RESP. Vera & Catholica eſt hæc Propoſitio; vere enim Chriſtus, una eſt e SS. Trinitate Perſona: verum quoque eſt, Chriſtum eſſe paſſum: igitur veriſſimum eſt, *unum e Trinitate paſſum eſſe*, quod & Patres plures, ac Pontifices aſſeruerunt. Equidem quando EUTYCHIANI hac Propoſitione delectari cœperunt; ſuſpecta fie-

ri

ri cœpit Catholicis, arbitrantibus, Eutychianos unam CHRISTI Naturam, quæ passa sit, iis Verbis designare. Eadem Propositione frequenter usus fuerat PETRUS Gnapheus dictus *Fullo*, Patriarcha Antiochenus, Secta EUTYCHIANUS & Theopaschitarum Princeps, qui naturam divinam ipsam passam fuisse volebant. ANASTASIUS quoque Imperator Eutychiani Erroris Fautor, eandem Propositionem confirmare sua authoritate studuit. Atque hæc erant hujus Propositionis a multis damnatæ Fata Sæculo V. medio. Sæculo VI. a Monachis Scythis catholicis, restaurari cœpit ista Propositio in tantum quidem, ut NESTORIANI Erroris reum arguerent VICTOREM quemdam Diaconum, quod huic Propositioni: *unus e Trinitate crucifixus est carne*, assentiri nollet. Ipsi autem Monachi Romæ apud HORMISDAM R. P. tanquam Hæreseos Eutychianæ Fautores delati fuerunt. Postquam varii varie de Monachis Scythis, hujusque Propositionis Sensu disceptassent; tandem JOANNES II. & AGAPETUS RR. PP. eam catholicam esse, declararunt. Vid. Natal. ALEXANDER. Dissertat. II. ad Hist. Eccles. Sæc. VI.

452 QUÆRITUR II. Quid censendum de Clausula: *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*: addita Trisagio, *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*?

RESP.

RESP. Hoc *Trisagium*, seu, Hymnus perantiquus, & maxime in Ecclesiis orientalibus celebratissimus, imo, ut quidam perhibent, cælo delapsus est. Cum autem PETRUS *Gnapheus* huic hymno, ad totam SS. Trinitatem directo clausulam subnecteret: *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*, eaque intenderet ipsam Divinitatem, adeoque totam SS. Trinitatem passam fuisse; hinc ob istam Impietatem apertam ab omnibus passim catholicis improbata fuit. At vero CALENDIO Catholicus Gnaphei Successor in sensum catholicum inflectere studuit dictam clausulam addendo, *Rex Christe, qui passus pro nobis, miserere nobis*; ut sic ad unum Christum referretur. Atque ita deinceps usus invaluit; ut cum totus Hymnus ad solum CHRISTUM referretur, illum Orientales, etiam sine CALENDIONIS Cautione, pronuntiare solerent.

CAPUT VII.

De Satisfactione & Merito Christi.

SOCINIANI, qui CHRISTUM non vere & proprie, sed metaphorice Deum credunt, circa ejus quoque Satisfactionem errant, docentes, CHRISTUM proprie pro

nobis

nobis non ſatisfeciſſe, ad quem errorem refutandum obſervari meretur I. Duobus modis aliquem dici poſſe ſatisfacere: *primo*, vere & *proprie*, quando ad ſtrictos Juſtitiæ apices Pretium pro altero ſolvit, & Debitum ab ipſo contractum expungit. *Altero* modo *improprie*, quando Debiti Remiſſionem a Creditore, ſeu Parte læſa, gratuito impetrat, aut ad Debitum expungendum omnia ea exequitur, quæ Creditor imperaverat.

454 Obſervandum II. Duobus modis poſſe aliquem dici *Servatorem* alterius: *uno* modo, ſolum Præconio, Conſilio, Exemplo: *altero* modo, ſuo Merito, Opere, & Efficacia.

455 Obſervandum III. Gemina quoque ratione poſſe aliquem pro altero mori: 1. ut dicatur pro eo *utiliter* mori, id eſt, pro ejus Bono. 2. Ut dicatur *alterius loco*, & vice mori.

456 SOCINIANI ergo docent 1. CHRISTUM pro nobis ſatisfeciſſe, ſed tantum *improprie* & metaphorice; quia nempe omnia ea executus fuerat, quæ ipſi impoſita fuerunt a Deo ad impetrandam peccatorum noſtrorum Remiſſionem, gratis tamen a Deo conceſſam; non autem ad rigorem perfectæ Juſtitiæ æquivalens perſolviſſe pro nobis Pretium. 2. Docent, CHRI-

STUM

STUM dici noſtrum Servatorem, ſed tantum Præconio, Exemplo viam monſtrando: non ipſo Opere, Merito, & Efficacia nos reparando & redimendo. 3. Docent, CHRISTUM mortuum eſſe *noſtro Bono & commodo*, non vero *loco noſtri*, & per veram in locum noſtrum Subſtitutionem.

His omnibus contraria docet Eccleſia 457
Catholica. Peccatum enim humani generis, pro quo Satisfactio fuerat præſtanda, ut habet rationem Debiti, 1. nos reddebat Divinæ Juſtitiæ obligatos: 2. ut erat *Offenſa*, ſeu, Injuria, induxerat Dei Iram ſuper nos, & Inimicitiam Deum inter ac Hominem. 3. Ut erat *Crimen*, reos nos faciebat Mortis & Maledictionis æternæ; ita ut vere fuerimus Dei *Debitores*, *Inimici*, & *Rei*, ſeu, Malefactores: Hinc Deus habebat 1. rationem *Creditoris*, cui debebat Homo, & cui facienda erat Solutio. 2. Habebat rationem *offenſi* & *irati*, qui fuerat placandus. 3. Habebat rationem *Judicis*, qui Pœnam expetebat, ut Reatus expiaretur. Quoniam vero hæc tria præſtare non poterat purus Homo; egebamus 1. *Sponſore*, qui pro nobis Debitum ſolveret. 2. *Reparatore* & Mediatore, qui Iram Dei placaret, & nos eidem reconciliaret. 3. *Sacerdote* & *Victima*, qui loco noſtri ſua Morte Pœnas nobis debitas expiaret. Quod has

omnes

omnes partes Christus adimpleverit, ficque pro nobis vere satisfecerit, §. I. ostendam. §. II. inquiram, utrum hæc Satisfactio CHRISTI fuerit perfecta ad omnem rigorem Justitiæ, æquivalens, superabundans, & ex vera Justitia, §. III. Agam de Merito CHRISTI. §. IV. De Fructu Meriti & Mortis Christi.

§. I.

De vera & propria Christi Satisfactione.

458 RESOLUTIO. CHRISTUS vere & proprie pro nobis satisfecit.

PROB. I. Ille vere ac proprie dicitur pro altero satisfacere, qui 1. alterius Debita tanquam *Sponsor*, seu *Fidejussor* & *Vas* in se suscepit, & actu exsolvit: qui 2. tanquam *Mediator* Iram offensi placat, ipsumque offensum Reo reconciliat: 3. Qui tanquam *Sacerdos* in *Victimam* piacularem Debitoris loco se offert Judici, & Pretium Redemptionis, quo indiget Debitor, exsolvit. Atqui hæc tria præstitit CHRISTUS: ergo *vere* & *proprie* pro nobis satisfecit. *Maj.* Constat ex natura Satisfactionis proprie talis. *Min.* Habet tres partes singillatim probandas. Itaque probatur I. Pars. Ut quis tanquam *Sponsor* proprie pro alio satisfaciat, requiritur 1.

ut

ut ſatisfaciens Pœnas ab altero debitas ferat : 2. ut eas ferat non propter ſua, ſed propter alterius, pro quo ſatisfacit, Delicta. 3. Ut illæ Pœnæ ab offenſo, cui ſatisfaciendum eſt, imponantur Sponſori: 4. ut ab eodem Sponſore ſuſcipiantur : 5. ut ſic Peccata expientur & Debitum cenſeatur expunctum. 6. Ut Salus inde conſequatur. Atqui hæc omnia occurrunt in Satisfactione CHRISTI, deſcripta ab ISAIA Propheta cap. LIII. quod de CHRISTO agere, non inficientur SOCINIANI; Dicitur enim 1. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros*, ſeu, nobis debitos, *ipſe portavit* : ſeu ut eſt in græco : *Peccata noſtra ipſe fert & pro nobis affligitur. Et nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo & humiliatum* verſu 4. hinc patet *prima* conditio, quod Chriſtus Pœnas Peccatis noſtris debitas tulerit.

Dicitur 2. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* ℣. 5. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* ℣. 8. *Eoquod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* ℣. 10. Et hæc eſt *ſecunda* conditio, quod Chriſtus non propter ſua, quia nulla habere poterat, ſed noſtra Peccata, Pœnas ſuſtinuerit.

Dicitur 3. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* ℣. 6. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* ℣. 10. Et hæc eſt *tertia* conditio, quod a Deo

offenſo Pœnæ nobis debitæ CHRISTO, velut Sponſori, impoſitæ fuerint.

Dicitur 4. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum* &c. ℣. 7. Hæc eſt *quarta* conditio, quod Pœnæ a CHRISTO ſponte acceptatæ fuerint.

Dicitur 5. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit Semen longœvum*, ſeu, ut eſt hebraice, *ſi poſuerit ſe ipſum Sacrificium pro delicto, anima ejus videbit ſemen, quod prolongabit dies.* ℣. 10. Hæc eſt *quinta* conditio, quod Peccata noſtra hac ratione expiata, & Debita expuncta fuerint.

Dicitur 6. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* ℣. 5. Quæ eſt *ſexta* conditio, quod ſic Salus nobis fuerit reddita. Ergo CHRISTUS exacte perfunctus eſt omnibus officiis *Sponſoris.*

459 Affinia huic ſunt alia Scripturarum Teſtimonia, idem demonſtrantia. Sic Paulus II. Cor. V. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum*, id eſt, Victimam pro peccato, *fecit, ut nos efficeremur Juſtitia Dei in ipſo.* Ad Gal. III. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis: factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: maledictus omnis qui pendet in ligno.* I. Timoth. II. 6. *Qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus.* Ad Hebr. VII. 22. *Melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.* Et cap. IX. 15. *Ideo novi Teſta-*

menti

menti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. Item 1. Petri II. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, Juſtitiæ vivamus.* Equidem SOCINIANI variis modis falſisque Interpretationibus infringere adlaborant hæc Teſtimonia: quas tamen expendere nimis longum foret; cum videantur aliunde eſſe clariſſima.

PROB. II. Pars Minoris. CHRISTUS tan-460 quam *Mediator* Iram Dei offenſi placavit, eumque nobis reconciliavit; hinc vere functus eſt *Mediatoris* officio. Et inprimis quidem Deus erat peccatis noſtris *offenſus*, & ad juſtam Iram provocatus, fueratque olim Sacrificiis veteris Legis placandus: ut ex omni fere pagina S. Scripturæ conſtat; & inſanum fuerit hoc negare. 2. CHRISTUS ut Numen iratum placaret, & Pœnas Peccatis noſtris debitas averteret, Piaculum pro nobis Divinæ Juſtitiæ ſe obtulit: ita enim dicitur Rom. III. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus Propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Et I. Joan. II. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris*

tantum, ſed etiam pro totius mundi. 3. CHRISTUS ſua Morte has Dei Inimicitias extinxit. Sic dicitur Rom. V. 10. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.* Ad Coloſſ. I. 19. *In ipſo* (Chriſto) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt. Et vos cum eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* 4. Hinc in S. Scriptura proprie vocatur *Mediator*: 1. Timoth. II. 5. *Unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem*, ſeu, redemptionis pretium, *pro omnibus.* Ergo.

461 PROB. III. Pars minoris. CHRISTUS tanquam *Pontifex* in *Victimam* piacularem ſemetipſum pro nobis obtulit: ergo functus eſt officio *Sacerdotis*, & tertium Munus Satisfactionis, vere & proprie talis, explevit. Ut *ant.* pateat, ſequentia ſunt oſtendenda. 1. Sacerdotum Munus apud omnes fere gentes in eo præcipue fuiſſe ſitum, ut Sacrificiis Numen placarent: & hoc conſtat tum ex Paulo Hebr. V. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat Dona & ſacrificia pro peccatis.* 2. Victimas in Hominum locum fuiſſe ſubſtitutas.

ſtitutas. Id conſtat ex Levit XVII. 11. *Anima carnis in ſanguine eſt. Ego illum dedi vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* Hinc & gentes omnes cruenta offerebant Sacrificia, Naturæ inſtinctu, aut Traditione perſuaſi, *ſine Sanguinis effuſione non fieri Remiſſionem*, ut loquitur PAULUS, Hebr. IX. 22. eo autem placari Deos iratos. 3. CHRISTUM in terris degentem, Sacerdotio fuiſſe functum, & ſe ipſum in cruce Sacrificium Deo pro nobis obtuliſſe; Id probat PAULUS tota Epiſtola ad Hebræos. Sic cap. VII. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet* PONTIFEX.... *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Et cap. IX. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta Sanctorum per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Et cap. X. Chriſtum ex Pſalmo inducit loquentem Patri: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: tunc dixi: ecce venio: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.... In qua Voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie*

miniſtrans, & easdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextra Dei. . . . Una enim oblatione *conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.*

4. CHRISTUM ſeïpſum obtuliſſe in *victimam* piacularem; quod quidem patet ex textibus hactenus adductis, maxime ex ISAIA & Epiſtola ad Hebræos & ad Epheſ. V. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis hoſtiam Deo.*

5. CHRISTUM pro nobis, id eſt, loco noſtrum, fuiſſe mortuum. Id conſtat ex PAULO Rom. V. 7. *Vix pro Juſto quis moritur.* . . . *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et I. Petri III. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, Juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo.* Si, ut volunt SOCINIANI, iſti loquendi modi non exprimerent veram ſubſtitutionem, ſed ſolum, quod Chriſtus mortuus fuerit pro Bono noſtro, in Exemplum Patientiæ; tunc iſta Mors Chriſti non foret aliquid *ſingulare*; cum & Apoſtoli & SS. Martyres in Bonum Eccleſiæ, in Doctrinæ chriſtianæ confirmationem, in Exemplum Patientiæ & Fortitudinis mortem oppetierint. Atqui Mors CHRISTI citatis Scripturæ locis adducitur tanquam aliquid *ſingulare*: quod indigi-

tat

tat Paulus I. Cor. I. *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro nobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Econtra de Chriſto: *unus pro omnibus mortuus eſt.*

6. CHRISTUM nos redemiſſe Pretio Sanguinis ſui perſoluto; quod tum ex citatis, tum aliis Scripturæ locis conſtat. Sic ipſe ait Math. 20. non venit filius miniſtrari, ſed *miniſtrare, & dare Animam ſuam redemptionem*, (id eſt, Redemptionis Pretium, græce λυτρον) *pro multis.* I. Cor. VI. 20. *Empti eſtis pretio magno.* Gal. III. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* Eph. I. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus.* Coloſſ. II. 13. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis .... convivificavit cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci.* I. Petri I. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.*

PROB. II. ex Ratione, & ex abſurdis, quæ ſequuntur ex Errore SOCINIANORUM. 462

1. Si CHRISTUS tantum mortuus eſt ad noſtrum Exemplum; tunc nihil, aut parum amplius præſtitit, quam SS. Martyres, qui & ipſi tot Tormenta & crudeliſſimam Mortem ſubiere, ut nobis Imi-

tationis Exemplum præberent. 2. Si Mors CHRISTI non alium habet Finem, quam ut inde confirmaretur Veritas Doctrinæ; tunc nihil habet præcipui a reliquis CHRISTI Operibus, Miraculis, quæ itidem ab eo patrata fuere ad confirmandam ſuam Doctrinam. Sed Sequela eſt abſurda, & Scripturæ contraria, quæ Mortem CHRISTI tanquam aliquid *prorſus ſingulare*, & extraordinarium commendat. 3. In Syſtemate SOCINIANORUM ſequitur, Mortem CHRISTI non fuiſſe Sacrificium, ſicque Religionem chriſtianam, omnium perfectiſſimam, vero carere Sacrificio, quo tamen vix ulla alia carere voluit, etſi ſuperſtitioſa, Religio; haud dubie ex Inſtinctu Naturæ Gentibus omnibus indito. 4. Sequitur, Patres omnes, cum tota Eccleſia, a Tempore Apoſtolorum, qui Mortem CHRISTI ut Sacrificium, ut verum Redemptionis Pretium agnoverunt, CHRISTUMQUE verum Sacerdotem fuiſſe prædicarunt, usque ad noviſſima SOCINI Tempora in præcipuo ac fundamentali Fidei articulo graviter erraſſe: quod credat Judæus Apella. Porro PP. Teſtimonia, ubique fere obvia, in medium proferre nimis longum foret, & ſupervacaneum; cum fateantur Sociniani, eos ſibi adverſari.

463 OBJIC. I. Satisfactio proprie talis & accurata, repugnat ex parte Dei: *ergo. Ant. prob.*

prob. Qui Peccata gratis condonat, nullam expetit Satisfactionem ; nam gratuita condonatio, & accurata ſatisfactio, ſe invicem excludunt : atqui Deus gratuito condonat Peccata ; dicimur enim paſſim in S. Scriptura *gratis juſtificari* : ergo.

RESP. *Diſt. min.* Gratis condonat Peccata, reſpectu noſtrum. *Conc.* Reſpectu *Sponſoris* noſtri CHRISTI. *Neg.* Excludunt ſe invicem *gratuita condonatio*, & *rigoroſa Satisfactio* : quando tantum ſunt duæ Perſonæ, Creditor & Debitor ; non autem quando intervenit Tertius, qui fidejuſſit. Hoc apte exprimit PAULUS Rom. III. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.*

OBJIC. II. Si Deus Satisfactionem exe-464
git a CHRISTO, tanquam SPONSORE loco noſtri exhibendam ; tunc non poteſt dici, peccata gratis condonaſſe ; ſi enim Fidejuſſor ſolvat totam Summam Creditori debitam, non poteſt dici Creditor debitum gratis relaxaſſe : ergo.

RESP. Nego *ſequelam.* Ad *prob. diſt.* In materia *Reſtitutionis*, ubi ſolum attenditur ad æqualitatem rei, ſive a Debitore, ſive ab ejus Sponſore inductam. *Conc.* In materia *Satisfactionis.* Nego. Hic enim Noxa ipſum Reum tenet, & Offenſus poteſt

non acceptare Satisfactionem personalem ab altero nomine Rei oblatam, si voluerit. Hinc solius gratiæ Dei erat, quod, cum nos ei satisfacere non possemus, CHRISTI pro nobis Satisfactionem voluerit acceptare. Atque in tantum *gratis justificamur*, quamquam Christus proprie dictam Satisfactionem præstiterit. Est insuper ex alio duplici capite *gratuita* nostra Justificatio, 1. quia sola Dei gratia nobis CHRISTUM donavit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joan. III. 16. 2. Quia etiam supposita CHRISTI Satisfactione, Peccata nobis absque ullis nostris Meritis remittuntur.

465 OBJIC. III. Ibi non datur vera Satisfactio, quando totum, quod Creditori offertur, ab eodem Creditore, & quidem eo animo, ut sibi satisfiat, provenit: atqui ipse Deus dedit nobis CHRISTUM, & quidem, ut sibi offerretur: ergo est potius tacita Condonatio, quam Satisfactio.

RESP. *Dist. maj.* Ibi non est vera Satisfactio, ex parte illius, *cui* a Creditore Pretium datur, id est, ex Parte Hominis. *Conc.* Ex parte illius, *qui* datur, scil. CHRISTI. *Neg.* Deus poterat a nobis Pœnas exigere; sed has nobis condonavit, eas autem, a CHRISTO, tanquam nostro SPONSORE exegit, & accepit; hinc Remissio facta est Debitori: Satisfactio a Sponsore facta est Creditori.

OBJIC.

OBJIC. IV. Dum gratis remittitur De-466
bitum, hoc fit ex sola Liberalitate Creditoris: atqui dicimur *gratis justificari:* ergo ex sola liberalitate Dei: ergo exulat propria Satisfactio CHRISTI.

RESP. *Dist.* Ex sola Liberalitate, respectu nostrum. *Conc.* Respectu Sponsoris. *Neg.*

OBJIC. V. Si Deus exactam pro Pecca-467
tis Satisfactionem postulavit; tunc vel id fecit, quia aliter noluit: & hoc sapit Immisericordiam; vel quia aliter non potuit; & hoc repugnat Omnipotentiæ: quorum neutrum admitti potest.

RESP. Deus Satisfactionem pro Peccatis postulavit, quia aliter noluit. Neque hoc sapit Immisericordiam: quin contra maxime elucent ejus Perfectiones Divinæ 1. Justitia. 2. Omnipotentia. 3. Sapientia excogitando modum, quo & ipsi fieret satis, etiamsi hoc Debitoris superaverit vires. 4. Misericordia, acceptando alienam pro nobis Satisfactionem, quod non tenebatur. 5. Charitas, dando nobis proprium suum Filium &c.

OBJIC. VI. Satisfactio proprie talis re-468
pugnat ex parte CHRISTI; injustum enim est, ut Innocens puniatur pro Reo. Atqui satisfactio CHRISTI concipi non potest, nisi dicatur, Innocentem fuisse pro Peccatoribus mortuum: ergo. *Maj. prob.* 1. Repugnat rationi, ut Reo, qui Pestis

est

eſt Reipublicæ, impune dimiſſo, Innocens alter, qui omnium Bono, Exemplo ſuo, vivit, puniatur. 2. Repugnat Legi divinæ; nam ſcriptum eſt Deut. XXIV. 16. *Non occidentur Patres pro filiis: nec filii pro parentibus: ſed unusquisque pro peccato ſuo moriatur.* Et Ezech. XVIII. 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur . . . Juſtitia Juſti ſuper ipſum erit, & Impietas impii ſuper eum.* 3. Apud Barbaras quoque Nationes Innocentis pro nocuo ſubſtitutio iniqua habebatur. Ergo.

Resp. *Diſt. maj.* Iniquum eſt, Innocentem pro Reo puniri, niſi Innocens libere pro Reo Sponſor eſſe voluerit, aut quando id Leges prohibent, aut quando alia ſequuntur Incommoda. *Conc.* Secus. Nego *maj.* Generatim quidem iniquum eſt, Innocentem ſubſtituere Reo inter homines; quia 1. non conſentiunt in hoc Innocentes: Imo 2. nec conſentire ordinarie poſſunt, cum nec ipſi, nec alii, jus in vitam ſuam habeant. 3. Quia divinæ & humanæ leges id prohibent. 4. Quia ſic multa in Republica orirentur Incommoda, utpote quæ foret ſenſim deſtituenda Viris probis, & obrueretur malis: neque ſic tollerentur Scandala. Deus autem non raro punivit Peccata Patrum in filiis; habet enim jus ſupremum etiam in vitam Innocentis: ut dum petiit ab Abrahamo ſibi immolari Filium Iſaac, innocentem utique: Christus quoque Jus habuit in ſuam vitam;

tam; hinc potuit se præstare Sponsorem & mori pro nobis. Voluit quoque, ut probatum est, & Pater comprobavit hanc Filii oblationem. Hinc nulla obstabat Lex divina aut naturalis: humanis autem Deus aliunde non subest. Insuper CHRISTUS & se ipsum ex Interitu gloriosius restituere potuit, nosque ipsos, qui eramus Rei, sua morte ad optimam Frugem & Statum longe meliorem evexit.

OBJIC. VII. Pœna sequitur ad Peccatum: 469
In Christo nullum fuit Peccatum: ergo nec Pœna locum habere potuit, hinc nec Satisfactio.

RESP. *Dist. maj.* Pœna sequitur Peccatum, vel proprium & personale, quo Christus caruit: vel alienum, quod Christo imputatum fuit. *Conc.* Aliter. *Neg.*

OBJIC. VIII. Si Filius pro nobis satis- 470
fecit; tunc plus eidem, quam Patri, sumus obstricti, quod videtur absurdum.

RESP. Nego *Sequel.* Utriusque enim æque infinita Charitas erat; Patris, donando Filium, ejusque Satisfactionem acceptando; Filii, eandem præstando.

OBJIC. IX. Repugnat Satisfactio ex par- 471
te Hominis. Non potuit Christus satisfacere pro omnibus hominibus, quin totidem oppeteret Mortes, quot erant Rei: atqui CHRISTUS semel tantum mortuus est:

est: ergo non nisi pro uno Homine satisfeciisset.

RESP. *Dist. maj.* Nisi una Mors CHRISTI æquivaleat omnibus. *Conc.* Secus. *Neg.* Revera una Mors Christi, utpote infiniti valoris & meriti, idem præstitit, ac si pro Singulis in individuo singularem Mortem oppetiisset.

472 OBJIC. X. Si satisfecit proprie; tunc debuit sustinere Pœnam, Peccatis nostris debitam; atqui hanc non sustinuit; nam nobis debetur Pœna æterna Inferni, quam CHRISTUS passus non fuit.

RESP. *Dist.* Pœnam, Peccatis debitam, aut æquivalentem. *Conc.* Præcise & determinate debitam. *Neg.* Est autem Mors CHRISTI Pœnæ æternæ æquivalens; quia etsi non fuerit *infinita* quoad *Durationem*, fuit tamen infinita quoad *Dignitatem* Personæ satisfacientis, qua ratione Pœna æterna nunquam est infinita.

473 OBJIC. XI. Si CHRISTUS pro nobis satisfecit; tunc Satisfactiones nostræ sunt superfluæ & non necessariæ: atqui hoc est contra Catholicos. *Ergo* &c.

RESP. *Dist.* Non sunt necessariæ, ad promerendam reconciliationem, & remissionem Peccati. *Conc.* Ad applicandam nobis Christi Satisfactionem, nostra cooperatione & usu Mediorum a Christo porrectorum meritoriam futuram. *Neg.* CHRI-

STUS

stus equidem ad sufficientiam satisfecit: voluit autem ut ejus Satisfactio ab omnibus, vel sua propria cooperatione, & usu Sacramentorum, ut in Adultis: vel saltem per usum Baptismi, ut in Parvulis, Meritum Passionis applicetur, ne fiant socordes & otiosi. Hinc ait Paulus Coloss. 1. 14. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea.* Sed & ipsa opera nostra satisfactoria, per gratiam facta, omnem suum valorem habent ex Merito Christi, unde & ipsa gratia manat.

Objic. XII. Si Christus vere satisfecis-474 set; debuisset nos liberare ab omnibus Pœnis, Peccato debitis: atqui non liberavit; hujus enim Vitæ Ærumnæ, Fames, Morbi, Mors, Fomes Concupiscentiæ &c. Pœnæ sunt Peccati, quas aduc patimur.

Resp. *Dist.* Debuit nos liberare statim in Tempore. *Neg.* Aliquando. *Conc.* Istæ interea ad Pugnæ occasionem, Meritum, & Præmium relictæ fuerunt, in Resurrectione penitus abolendæ.

§. II.

De Perfectione Satisfactionis Christi.

Satisfactio duplici sensu potest dici *per-*475 *fecta.* 1. Hoc sensu, ut nostræ Satisfactiones

factiones non amplius neceſſariæ ſed ſuperfluæ ſint, & CHRISTI mediationi derogent, uti contendunt Proteſtantes, qui propterea in Opera Catholicorum ſatisfactoria, ut ſunt Pœnitentiæ & Opera pœnalia, vel ſponte ſuſcepta vel a Confeſſario impoſita: aut eorum per Indulgentias relaxatio &c. calumnioſe declamant. Sed de hoc actum fuit Prælectionibus de Sacram. Pœnitentiæ. 2. Eo Senſu, quod Satisfactio CHRISTI habuerit omnes conditiones, ad veram & proprie dictam Satisfactionem requiſitas. Et de hoc diſceptatur in Scolis. Etſi enim omnes Theologi orthodoxi fateantur, Satisfactionem CHRISTI de facto fuiſſe ſufficientem; exiſtimant tamen nonnulli, eam non fuiſſe *ex ſe* perfectam & æquivalentem, ſed *ex ſola liberalitate* Dei fuiſſe acceptatam. Alii putant, eam quidem fuiſſe *per ſe* dignam & idoneam, non tamen ex Virtute & titulo *Juſtitiæ* ortam. Alii quidem ex Juſtitia profectam dicunt, ſed tamen non fuiſſe exactam ad *ſtrictos Juſtitiæ apices*; eoquod aliqua ex conditionibus ad Rigorem Juſtitiæ requiſitis ei defuerit. Diſtinctis Reſolutionibus hæc Scolæ controverſia, quæ tamen ad Dogma dilucidandum ſervit, complanabitur.

476 RESOLUTIO I. CHRISTI Satisfactio *ex ſe* fuit æquivalens, ſeu, condigna, & non *ex ſola* Dei acceptantis *liberalitate*.

PROB.

PROB. I. Ex Dignitate Perſonæ ſatisfacientis. Illa Satisfactio eſt *condigna* & *æquivalens*, quæ fit a Perſona ſanctiſſima; & per Opera valoris infiniti; Satisfactionis enim valor ex Dignitate Perſonæ ſatisfacientis menſuratur: quemadmodum Gravitas Injuriæ deſumitur ex Dignitate Perſonæ offenſæ. Atqui CHRISTUS erat Perſona ſanctiſſima, & quidem *ut Deus*, ipſa Sanctitas eſſentialis: & *ut Homo* etiam, ab omni Peccato non ſolum immunis, ſed & impeccabilis erat, ac ſubſtantialem quandam Sanctitatem, a Verbo derivatam, anima ejus humana poſſidebat; hinc opera ejus, utpote a Perſona infinita profecta, infiniti erant Valoris. Ergo Satisfactio *ex ſe* erat *condigna* & æquivalens, non *ex ſola liberalitate* Dei acceptantis.

PROB. II. Ex Unitate Sacrificii a CHRISTO oblati in Cruce. PAULUS enim Epiſt. ad Hebræos ideo probat, Sacrificia veteris Legis non fuiſſe ſufficientia & æquivalentia ad præſtandam Satisfactionem æquivalentem; quia quotannis iterari debebant: econtra Excellentiam Sacrificii CHRISTI cruenti in eo commendat & extollit; quod UNA *oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Hoc fecit* SEMEL *ſe ipſum offerendo.* Ergo fuit *æquivalens* Satisfactio, iſthoc Sacrificio exhibita. 477

Nec dicat aliquis, etiam CHRISTI Sacrificium quotidie repeti in Eccleſia; Nam Sacrificium Miſſæ eſt ſolum Commemoratio Sacrificii *unius* cruenti, idemque CHRISTUS incruento modo ſe offert Patri per manus Sacerdotis, qui ſemel in cruce cruento ſe obtulerat modo, & Meritum ſuæ Paſſionis nobis applicat.

478 PROB. III. Ex Gravitate Pœnæ CHRISTO impoſitæ. Illa Satisfactio perfecta eſt, & condigna, quæ æquivalet Pœnæ a Reo alioquin ſubeundæ, & Debito exſolvendo; atqui Satisfactio CHRISTI his æquivalet. Per Peccatum enim ſubditi eramus Legi, Pœnis, ac ipſi Morti: atqui CHRISTUS ſe ſubjecit Legi, Mandata Patris ex vera Obedientia obſervavit, Pœnam Mortis ſubiit, noſtrosque Dolores portavit in Corpore ſuo ſuper Lignum: *ergo*.

479 PROB. IV. Ex Fructibus Satisfactionis. Illa Satisfactio perfecta eſt & æquivalens, quæ 1. Deo Homines reconciliat. 2. Quæ Peccatum plene expiat. 3. Quæ Hominem plene redimit. Atqui talis erat Satisfactio CHRISTI. Nam 1. *Reconciliavit nos Patri* Rom. V. 10. & II. Cor. V. 18. 2. Expiavit noſtra Delicta quoad Reatum Culpæ & Pœnæ æternæ: 3. Humanum genus e Servitute & Captivitate Dæmonis redemit: quæ omnia conſtant ex Textibus §. præcedente adductis, & quibusdam infra adducendis, ubi

ubi oſtendam, Satisfactionem CHRISTI fuiſſe ſuperabundantem. *Ergo* &c.

OBJIC. I. Satisfactioni CHRISTI aliquid deeſt; nam ait Paulus ad Colloſſ. I. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea*: ergo non fuit æquivalens. 480

RESP. *Diſt.* Aliquid deeſt, ex parte CHRISTI ſatisfacientis: *neg.* Ex parte noſtra, quibus illa Satisfactio per noſtram Cooperationem eſt applicanda. *Conc.* Satisfactio CHRISTI in ſe ſufficientiſſima eſt pro omnibus; ut autem cuidam in particulari proſit, debet eidem in particulari applicari, quod fit per Uſum Sacramentorum, quæ conferunt & continent Gratiam ex CHRISTI Merito, & per opera noſtra bona ac meritoria, quibus Fructum Paſſionis ejus conſequimur.

OBJIC. II. CHRISTUS Luc. XXIII. 24. oravit Patrem, ut dimitteret illis, quia neſciunt quid faciunt: ſed ſi fuiſſet æquivalens; nulla oratione opus fuiſſet, ſed debuiſſet eam Pater acceptare. Ergo ſolum liberaliter acceptata fuit. 481

RESP. *Diſt.* CHRISTUS oravit Patrem, ut nos doceret Orationis neceſſitatem & utilitatem. *Conc.* Præciſe ut Pater oblatam Satisfactionem acceptaret gratuito. *Neg.* Hanc enim ſuppoſito Incarnationis ac Redemptionis Decreto non potuit acceptare: Ipſa quoque Oratio erat ſatisfactoria.

482 OBJIC. III. Si Satisfactio CHRISTI foret æquivalens; tunc superflua forent Sacramenta & reliqua nostræ Salutis Media; superflue etiam novæ nobis imponerentur Pœnæ: atqui hoc dici nequit. *Ergo.*

RESP. Nego Sequelam. Non enim Sacramenta necessaria sunt ad solvendum Pretium Redemptionis, sed ad illud Sacramentis utenti applicandum; quia sunt quasi quidam Canales, per quos Meritum & Gratia CHRISTI in nos derivatur. Quod attinet Pœnas temporales; eæ nobis non infliguntur in Supplementum Satisfactionis CHRISTI, quæ in se est infiniti valoris; sed ut illa nobis applicetur. Voluit enim CHRISTUS nos efficere Cohæredes, sed conditionate: *si tamen compatimur, ut & conglorificemur*; idque ex sapientissima Ratione: 1. Ut Membra conformentur suo Capiti. 2. Ut per Occasionem Pugnæ augeretur Meriti Præmium. 3. Ut a Curis temporalibus abstracti, nec otio inhærentes, ardentius ad cœlestia inquirenda incitaremur &c.

483 OBJIC. IV. Si Satisfactio CHRISTI fuisset æquivalens; tunc ideo, quia fuit *infinita*. sed non fuit *infinita*. Ergo. Prob. *min.* CHRISTUS satisfeciisset per humanæ naturæ actiones: atqui hæ non erant infinitæ. Ergo.

RESP. Neg. *min.* Ad *prob. dist. min.* Actiones humanæ *Christi* non erant infinitæ,

quoad

quoad *entitatem*, & *quatenus* erant operationes naturæ humanæ. *Conc.* Non erant infinitæ, quoad *Valorem*, & quatenus erant actiones Suppositi & Personæ divinæ infinitæ: *Neg.* Entitas est aliquid physicum; Valor aliquid morale. Ut enim Valor Monetæ sæpe exsuperat Entitatem ejus physicam, ob pretium æstimationis; ita etiam Valor Actionum CHRISTI earum exsuperabat Entitatem, quia procedebant a Persona infinita.

OBJIC. V. Ut Valor personalis sit *infini-*484 *tus*, debuisset ipsa *Persona* CHRISTI se subjicere ad satisfaciendum: atqui Persona divina non potest se subjicere; quia impassibilis est. *Ergo.*

RESP. *Dist. Min.* Persona divina non potest se subjicere ad Satisfactionem, si spectetur seorsim. *Conc.* si consideretur ut unita humanæ Naturæ. *Neg.*

OBJIC VI. Si CHRISTUS Valorem infini-485 tum communicaret suis Actionibus; tunc nulla esset altera nobilior: at hoc est absurdum; cum utique Mors CHRISTI sit Actio dignior, quam v. g. unum Suspirium, vel una Lachryma. Ergo.

RESP. *Dist.* Non esset una altera nobilior, quoad *Valorem personalem*; sic enim omnes erant Actiones Personæ divinæ infinitæ. *Conc.* Quoad Valorem *objectivum*, aut *derivatum*. *Neg.* Valor *objectivus* positus in ipsa

Actionis entitate, Tendentia voluntatis in Objectum, in Objecto circa quod versatur, & modo, quo in illum tendit: hæc autem in variis Actionibus varia sunt. Valor *derivativus* est, qui fluit ex Principiis *quod* & *quo*. Principium *quod*, erat ipsa Persona: Principium *quo* substantiale, erat duplex, nimirum Natura divina, & humana: Principium *quo* accidentale, erat Gratia CHRISTI accidentalis. Hinc patet, quomodo Valor *derivatus*, secundum quod Actiones procedebant ex variis Principiis, varius, & unus altero major esse potuerit.

486 RESOLUTIO II. CHRISTI Satisfactio non solum *æquivalens*, sed *superabundans* erat.

PROB. I. ex Scriptura. Rom. V. 15. *Non sicut Delictum, ita & Donum; si enim unius Delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & Donum in gratia unius hominis JEsu Christi in plures abundavit. . . . Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Psalm. CXXIX. 7. *Apud Dominum misericordia, &* COPIOSA *apud eum Redemptio.* Ipse CHRISTUS dixerat: Joan. X. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, &* ABUNDANTIUS *habeant.* Consentiunt & SS. Patres, & CLEMENS VI. Cap. 2. de Pœnit. & Remiss. inter Extravag. Comm. ait: „ Cum Gutta modica Sangui-
„ nis illius propter unionem ad Verbum
„ pro Redemptione totius humani generis
„ sufficeret, copiose velut quoddam pro-

flu-

„ fluvium effudit, ut thesaurum militanti
„ Ecclesiæ adquireret (cui Indulgentiæ
„ innituntur) . . . De cujus consumptione,
„ seu minutione, non est aliquatenus formi-
„ dandum propter infinita Christi merita. „

PROB. II. Ratione. Valor Satisfactionis 487
desumitur a dignitate Personæ satisfacientis: cum ergo Persona CHRISTI fuerit simpliciter infinita; etiam Valor Satisfactionis simpliciter erat infinitus: cum econtra Peccatum, etsi forte fuerit infinitum, non fuerit tamen infinitum *intrinsece*, sed *extrinsece*, & *objective*, ac ob Infinitatem Personæ offensæ infinitæ Gravitatis. Dein, Humiliatio ipsius Divinæ Personæ, majoris videtur æstimationis, quam Superbia Peccatoris contra Deum insurgentis: hinc illa plus potuit movere ad Deum placandum, quam hæc ad Iram Dei provocandam.

OBJIC. I. Si Satisfactio CHRISTI fuerit 488
superabundans, & una Gutta Sanguinis sufficisset; tunc CHRISTUS sine Ratione totum effudit Sanguinem: sed CHRISTUS nihil facere potuit sine Ratione sufficiente. Ergo.

RESP. Nego *Maj.* Plures enim Rationes habuit CHRISTUS, & hanc præcipue, ut nimiam suam ostenderet Charitatem, sicque ad redamandum fortius nos adstringeret.

489 OBJIC. II. *Hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam* Luc.XXIV.26. quod autem *oportet* fieri, non est superabundans.

RESP. *Dist. Oportuit* pati hæc omnia, ex necessitate Satisfactionis, quasi non fuisset sufficiens & æquivalens, nisi totum effudisset Sanguinem. *Neg.* Oportuit pati, ob Decretum Patris, cui sponte, tum etiam ex Obedientia se subjecit Filius. *Conc.* Voluit autem Pater id totum exigere a Filio, & Filius in se suscipere, non ex necessitate Satisfactionis: sed 1. quia Pœna Peccati erat Mors: hinc Pœnam Peccato debitam Deus imposuit CHRISTO, & hic ut *Sponsor* noster in se suscepit. 2. Ut demonstraretur Gravitas Peccati, quod Morte Filii Dei erat expiandum. 3. Ut ostendatur Indignatio Dei offensi hac ratione placanda. 4. Ad declarandam manifestius Patris, Filiique, imo totius SS. Trinitatis erga Peccatores immeritos Charitatis abundantiam.

490 RESOLUTIO III. CHRISTI Satisfactio fuit ex vera *Justitia.*

PROB. I. ex S. Scriptura Rom. III. 25. *Quem* (Christum) *proposuit Deus Propitiationem per Fidem in Sanguine ipsius ad ostensionem Justitiæ suæ.*

II. Ut Patres testantur, Homo per Peccatum vere fuerat Diaboli Servituti mancipatus: hinc erat lege Justitiæ redimendus. Ita S. AUGUSTINUS l. 3. de lib. arbit. cap. 10.

„ Dei

„ Dei unicus Filius Diabolum homine in-
„ dutus ſubjugavit, nihil ei extorquens
„ violento Dominatu, ſed ſuperans eum
„ lege Juſtitiæ. „ Et lib. 13. de Trinit.
„ Placuit Deo, ut propter eruendum Ho-
„ minem de Diaboli Poteſtate, non Po-
„ tentia Diabolus, ſed Juſtitia vinceretur. „
S. Leo M. Serm. 12. de Paſſ. „ Ad Do-
„ minationem Diaboli deſtruendam magis
„ uſus eſt Juſtitia rationis, quam Poteſta-
„ te virtutis. „ Eccleſia quoque canit:
„ Qui Salutem humani generis in Ligno
„ Crucis conſtituiſti, ut unde Mors orie-
„ batur, inde Vita reſurgeret: & qui in
„ Ligno vincebat, in Ligno quoque vin-
„ ceretur &c.

Prob. III. Ratione. Quando Æqualitas491
debita reſtituitur, vera exercetur Juſtitia:
atqui Christus ſua Satisfactione Æqua-
litatem Deo debitam reſtituit; Deus enim
Peccato offenſus fuerat, & Jure poſtula-
bat, læſum ſibi Honorem compenſari.
Ut hæc reſarciretur Æqualitas; infinita
opus erat Submiſſione, qua repararetur
Honor læſus: quod præſtitit Chriſtus, qui
*humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque
ad mortem: mortem autem crucis*; hinc Deo
Jus ſuum reddit, omneque Debitum ex-
ſolvit, quod eſt actus veræ Juſtitiæ.

Objic. I. Inter Patrem, & Filium, Do-492
minum & Servum non datur vera Juſtitia.

Atqui Christus erat Filius, &, ut Homo, Servus Dei. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quando Filius, aut Servus non habent Bona distincta. *Transf.* Si habent. *Neg.* Hinc si Filius habeat Bona castrensia, aut sit emancipatus, & sui Juris: si Servus habeat Peculium; Justitia locum habet. Christus autem sui Juris erat, quatenus satisfecit, habuitque Bona a Patre distincta.

493 Objic. II. Inter Deum & Hominem non datur vera Justitia; quia nulla datur inter utrumque Æqualitas: atqui Christus satisfeciſſet *ut Homo*: ergo non satisfecit ex Justitia.

Resp. *Dist.* Inter *purum* Hominem, & Deum, non datur Justitia, ob inæqualitatem. *Transf.* Inter Hominem, qui simul verus Deus est, & ex cujus Persona Actiones humanæ consequuntur suum valorem infinitum. *Neg.*

494 Objic. III. Ubi Satisfactio fit ex Justitia; nulla opus est ex parte Creatoris liberali Acceptatione: atqui in Satisfactione Christi opus erat liberali acceptatione ex parte Dei offensi: ergo non erat ex Justitia.

Resp. *Dist.* Non est opus acceptatione, quando de Re *pecuniaria* agitur. *Conc.* Quando de Pœnis. *Subdist.* Ab ipso Reo

ſubeundis. *Tranſ.* Ab alieno *Sponſore* perferendis. *Neg.*

OBJIC. IV. Satisfactio, & Peccatum 495
ſunt in eodem Genere; atqui Peccatum, ſaltem omne, non erat contra Juſtitiam: ſecus quodlibet involveret duplicem Malitiam & Speciem. *Ergo.*

RESP. Nego *min.* Quacunque enim ſpecie Peccati offendatur Deus; ejus læditur Honor, & hinc oritur eidem Jus ſtrictum, Satisfactionem poſtulandi; quam, qui præſtat, actum Juſtitiæ exercet. Nec tamen ſequitur, omne Peccatum eſſe in duplici Specie; ſed Jus, exigendi condignam Satisfactionem a Reo, oritur ex Injuria, quæ in quolibet Peccato involvitur. Diſtincta enim Peccati *Injuſtitiæ* Species oritur ex objecto: Injuria autem ex eo, quod in quolibet Peccato Deus privetur ratione ultimi Finis, & Honoris eidem debiti.

RESOLUTIO IV. Satisfactio CHRISTI ad 496
omnem Rigorem & Apices Juſtitiæ exacta fuit.

PROB. Ut Satisfactio ſit exacta ad Rigorem Juſtitiæ *ſtricte* talis, ſequentia requirunt Theologi. 1. Ut ſit voluntaria; debet enim eſſe meritoria: Meritum autem absque voluntario non datur. 2. Ut ſit ex Bonis *propriis*. 3. Ex alias *indebitis*. 4. Ut ſit *æquivalens*: 5. Ut ſit *ad alterum*; cum Nemo ſui ipſius Creditor poſſit eſſe,

&

& Debitor ſimul. 6. Ut ab illo, cui præſtatur, acceptari debeat. Atqui has omnes conditiones habuit Satisfactio CHRISTI: ergo fuit exacta ad ſtrictos Juſtitiæ Apices. *Min. prob.* quoad 1. CHRISTUS *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, ut dicit Iſaias LIII. 7. Et ipſe CHRISTUS Joan. X. 17. *Ego pono Animam meam . . . Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo.* Patetque hoc etiam ex eo; quia Satisfactio CHRISTI, eſt ipſa Mors & Paſſio: atqui *libere* paſſus, & mortuus fuit, ut dicetur cap. ſequente, conciliando CHRISTI Libertatem cum Præcepto Patris & propria Impeccabilitate.

497 *Min. prob.* quoad 2. Tum ex citatis Textibus, tum ex Ratione. Nam ille ſatisfacit ex *propriis* Bonis, qui ſatisfacit ex Bonis, quæ ſunt *Juris ſui ſingularis*: Atqui CHRISTUS ſatisfacit ex Bonis, quæ erant ipſius *Juris ſingularis*. Duo enim includit ejus Satisfactio; 1. Ipſius *Perſonam*, quæ ſatisfecit; quæ utique CHRISTI propria fuit, & realiter a Patre diſtincta. 2. *Opera*, quibus ſatisfecit; atqui hæc, ſi non quoad Entitatem, ſaltem quoad valorem & Pretium, Chriſti erant propria, maxime ob Jus ſingulare, quod ex Unione hypoſtatica in Naturam humanam acquiſierat: cumque illas Actiones alio fine elicere potuiſſet, v. g. ad exorandam Dei Miſericordiam, vel ad ſolum dandum

Exem-

Exemplum, sequitur, eas fuisse proprias.

Min. prob. quoad 3. Imo sequitur ex 498 mox dictis. Illa enim sunt Bona *indebita*, quæ singulari & absoluto CHRISTI Dominio subjacebant. 2. Ille satisfacit ex *indebitis*, qui plus præstat, quam necesse sit ad expungenda Debita: atqui Satisfactio CHRISTI fuit superabundans, ex N. 486. quia seipsum obtulit, id est, Pretium in se simpliciter & omni ex parte *infinitum*: qua ratione infinita non erant nostra Peccata. 3. Etiamsi Actus, quibus CHRISTUS satisfecit, Deo forte debiti fuerint ex alio Titulo, Gratitudinis, Obedientiæ, Religionis &c. eoquod Humanitas CHRISTI conjuncta Verbo, Deo Jure naturali subdita fuerit, & Beneficia plurima ab eo acceperit: per hoc tamen nihil decedit Rigori Justitiæ; nam Satisfactio, quæ est infinita, explere potest Titulos omnes cujuscunque Speciei, cum nullo horum Titulorum exhauriatur; secus eo ipso *infinita* non foret. Aliunde autem Beneficia, quæ Deus Humanitati contulerat, omnia erant *finita*: vel quoad Entitatem, ut Gratia, scientia &c. vel quoad modum, ut communicatio Divinitatis: vel infinita solum in Potentia. V. g. Unionis hypostaticæ continua conservatio. Igitur alii Tituli non exigebant Actiones Pretii infiniti. Ergo quia opera CHRISTI satisfacto-

ria

ria erant infinita; etiam alio Titulo indebita erant.

499 *Quarta* Pars conſtat ex RESOLUT. I. Quinta autem probatur. Satisfactio CHRISTI, qua parte ſpectat Patrem, & Spiritum S. indubie fuit *ad alterum*; ſed etiam, qua parte ſpectat Naturam divinam, ſibi ipſi cum Patre & Spiritu S. communem, adeoque totam SS. Trinitatem, cujus communis Majeſtas fuerat violata, & ipſi etiam Filio ſatisfaciendum erat, etiam eſt *ad alterum*. Nam Satisfactio tunc ſufficienter eſt *ad alterum*, quando is, qui ſibi ipſi ſatisfacit, habet Dominia ac Bona diſtincta, & Perſonam quaſi duplicem gerit: Atqui CHRISTUS habuit Bona Naturæ humanæ, a Bonis & Dominio Naturæ divinæ diſtincta: & ipſe, ut ſubſiſtens in Natura humana, virtualiter diſtinguitur a ſe ipſo, ut ſubſiſtente in Natura divina. Ergo CHRISTI Satisfactio, etiam quantum ſpectat Verbum, ſatis erat *ad alterum*.

Quod autem hæc virtualis Perſonarum
500 Diſtinctio ſufficiat, illuſtratur Exemplo. In Republica, Princeps qui ex Ærario publico Pecuniæ Summam ad uſus communes extraxiſſet, poſtea ab omnibus pro rata Portione Ærario reſtituendam; poſſet ut privatus debitam ſuam Portionem ſolvere, ſicque ſibi, ut Principi, ipſe ſatisfacere, ob duplicem, quam ſuſtinet, Principis, & Privati Perſonam.

Min.

Min. prob. quoad 6. Pater non potuit501
non exaudire ſuum Unigenitum; hoc enim poſtulabat infinita ejus Dignitas, & Pretii oblati non ſolum Æquivalentia, ſed Superabundantia, Hinc ait Paulus Hebr. V. 7. de CHRISTO in Cruce clamore valido exſpirante, *exauditus eſt pro ſua reverentia.* Cumque hanc ipſam Satisfactionem Filio ut Sponſori impoſuerit Pater ex N. 458. ſicque quaſi Contractum cum eo inierit; non potuit eam non acceptare. Et ideo dicitur Iſai. LIII. 10. de hac conditione: *Si poſuerit pro peccato* (noſtro) *animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Hanc conditionem ſtipulatam CHRISTUS implevit. Ergo debuit Pater ſtipulatam Remiſſionem concedere & Satisfactionem acceptare: quamvis etiam ſecluſo hoc Pacto ob ipſam Pretii infinitatem eam acceptaſſet.

OBJIC. I. CHRISTUS non ſatisfecit *ex*502 *propriis.* Illa enim Satisfactio non fit *ex propriis*, quæ fit ex gratia creditoris; atqui Satisfactio CHRISTI, erat ex gratia Creditoris, Dei ſcilicet, hypoſtaticam Unionem largientis. Ergo.

RESP. *Diſt. maj.* Quæ fit ex gratia Creditoris, Pretium, aut Pretii partem ſupplente. *Conc.* Solum per modum conditionis prævіæ, & Pretium non ſupplendo. *Neg.* Equidem prævie per modum Conditionis requirebatur hypoſtatica Unio;

hac

hac autem ſuppoſita, Perſona Verbi in Natura humana ſubſiſtens, ſatisfacit *ex propriis*, quia eſt ſui Juris. Nec obſtat, quod Unio hypoſtatica ſit a Patre, ſeu a tota SS. Trinitate. Quemadmodum enim Debitor induſtrius, qui Creditori centum debet, ſi inſuper ab eodem alia centum mutua accipiat, ex quibus lucratur ducenta; utrumque Debitum ex propriis expungit; ita & CHRISTUS, ſuppoſita ſemel Unione, ex propriis ſatisfacit offerendo ſe ipſum, qui erat ſui Juris.

503 OBJIC. II. CHRISTUS ſatisfecit Actionibus *humanis*: atqui Actiones *humanæ* non erant Chriſto *propriæ*, ſed ſub Dominio SS. Trinitatis.

RESP. *Diſt. min.* Erant ſub Dominio SS. Trinitatis, *univerſali*, & quoad Entitatem. *Conc.* Sub Dominio *particulari*, & quoad valorem. *Subdiſt.* Quoad aliquem valorem. *Conc.* Quoad omnem. *Neg.* Nam præter valorem *finitum*, *derivatum* ex Principiis humanis, & præter valorem *infinitum*, derivatum ex Natura divina humanam regente, duplex alius valor inerat Actionibus CHRISTI humanis, nempe *perſonalis*, & uterque infinitus, radicalis nimirum, & derivatus, qui erat Chriſti ſatisfacientis proprius.

504 OBJIC. III. CHRISTUS, etiam ut Perſona Verbi, eſt Patris, utpote ab eo generatus: ergo. RESP.

RESP. *Dist.* Est Patris, sed tamen sui Juris. *Conc.* Secus. *Neg.*

OBJIC. IV. Actiones CHRISTI satisfacto- 505
riæ, debebantur Deo variis aliis Titulis, Obedientiæ, Gratitudinis &c. Ergo non satisfecit ex *indebitis.*

RESP. *Dist.* Debebantur aliis titulis, quoad Entitatem physicam, quæ erat *finita.* *Conc.* Quoad Pretium & valorem, qui erat infinitus. *Neg.*

OBJIC. V. CHRISTUS *infinita* debebat 506
Patri, ob collatam unionem hypostaticam, quæ erat Beneficium infinitum. *Ergo.*

RESP. *Dist.* Unio hypostatica est beneficium infinitum, ratione Termini, qui est ipsa Persona Verbi, quæ erat sui Juris, nec Patri debita. *Conc.* Ratione Modi. *Neg.* Sic enim *finita* erat; quia Divinitas modo finito communicata fuit Humanitati.

OBJIC. VI. Satisfactio CHRISTI non 507
fuit *ad alterum*: secus daretur in Christo *alterum & alterum*, quod NESTORIANUM est. Ergo.

RESP. *Dist.* Daretur alterum & alterum, *virtualiter.* *Conc.* Realiter, quasi duæ fuissent in Christo Personæ, quod volebant Nestoriani. *Neg.*

508 OBJIC. VII. Si Christus sibi ipsi satisfecit, tunc etiam debuit satisfacere sibi, ut Homini, ipse enim, ut Homo, pluribus fuerat affectus Injuriis: sed si satisfecit sibi, ut Homini; tunc non est *ad alterum*, neque *virtualiter*. Ergo.

RESP. Nego Sequelam. Quod enim debebatur Christo, ut Homini, hoc gratis remisit: quod autem debebatur sibi, ut Deo, satisfactione eluit.

509 OBJIC. VIII. Satisfactionis CHRISTI acceptatio nititur Pacto: sed quodlibet Pactum destruit condignitatem Satisfactionis. *Ergo.*

RESP. *Dist.* Nititur Pacto, intrinseco. *Neg.* Extrinseco. *Conc.* Intercedere quidem debuit Pactum inter Patrem, & Christum Sponsorem de acceptanda Satisfactione aliena; quia poterat Deus Satisfactionem ab ipso Reo præstandam exigere, & hoc est Pactum *extrinsecum*, consistens in mutuo contrahentium consensu, quod non supponit Defectum Pretii supplendum, nec destruit condignitatem, seu, Æquivalentiam Satisfactionis; cum Pretium in se fuerit infinitum. Pactum *intrinsecum* dicitur, quod supplet Defectum Pretii: & hinc nocet strictæ Justitiæ. Tale autem inter Patrem, & Christum non intercessit; cum supposito Consensu de acceptanda Satisfactione *Sponsoris*, loco Rei, Pretium a Sponsore persolutum,

solutum, omnino fuerit æquivalens, imo superabundans, quia infinitum.

§. III.

De Merito Christi.

Suppositа Notione *Meriti*, quod in ge-510
nere est *Condignitas operis ad Præmium promissum*, ejusque Divisione in Meritum *de condigno* & *congruo*: observandum. In Actionibus CHRISTI satisfactoriis quatuor distinguenda sunt. 1. *Entitas* physica Actionis, quæ efficienter & elicitive a Natura humana provenit. 2. Ejus *valor* & Pretium, cujus infinita condignitas oritur a Persona Verbi, junctа Naturæ humanæ. 3. *Satisfactio* præstita Deo, a CHRISTO solvente pro nobis, quam divinæ Justitiæ debebamus. 4. *Meritum*, cui Deus debebat rependere condignam Mercedem. Quæritur ergo. 1. An Christus meruerit? 2. Quando mereri incœperit? 3. Per quos actus meruerit? 4. Quidnam meruerit sibi, & aliis?

RESOLUTIO I. CHRISTUS mereri potuit; 511
& a primo conceptionis Instanti usque ad ultimum halitum, actu fuit promeritus.

PROB. I. Pars. Actiones Christi humanæ, habebant omnes conditiones, ad verum Meritum requisitas. Ergo. *Ant. prob.*

Prima Conditio eſt STATUS VIATORIS, qualis fuit CHRISTUS; *Exivit* enim *a Patre, & venit in Mundum: in Terra viſus eſt, & cum Hominibus* per annos 33. *converſatus eſt. Secunda*, SANCTITAS OPERIS, ut fiat ex Gratia ſanctificante, & Charitate. Atqui Opera CHRISTI omnia, erant ſanctiſſima, e Gratia & Charitate perfectiſſima procedebant. *Tertia.* CONDIGNITAS Operis ad Præmium. *Empti eſtis pretio magno*, ut ait PAULUS. *Quarta.* LIBERTAS. Hanc autem CHRISTO vindicabo cap. ſeq. *Quinta.* Promiſſio ex parte Remuneratoris. Atque hæc interceſſit, de qua Iſaiæ LIII. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum &c. Hæc oportuit pati Chriſtum; & ita intrare in gloriam* SUAM, id eſt, promiſſam. Hinc etiam in Concilio TRIDENTINO Seſſ. VI. cap. 7. CHRISTUS dicitur, noſtræ Juſtificationis *cauſa meritoria.* Nec obſtat, quod ſimul fuerit *comprehenſor*, Deique frueretur Viſione intuitiva tanquam eſſentialiter Beatus; fuit enim *Viator* quoque, utpote nondum adeptus accidentalem Nominis ſui Gloriam, quam primum obtinuit poſt Reſurrectionem.

512 PROB. II. Pars. CHRISTUS a primo Conceptionis Inſtanti pleniſſimo fruebatur uſu Rationis, & Libertate, tum *a neceſſitate*, tum *a coactione*, omniaque reliqua in primo Momento habuit, ad vere merendum requi-

requisita; hinc in illo jam Instanti incepit esse *Viator*, talisque permansit, donec in Cruce emisit Spiritum. Ideo etiam scribit Apostolus PAULUS Hebr. X. 5. *Ingrediens in mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam* &c. Hic habemus perfectissimam in primo in Mundum Ingressu Oblationem, utique perfectissime meritoriam.

OBJIC. I. CHRISTUS adhuc meretur sedens in cœlis ad Dextram Patris: nam qui impetrat, meretur: atqui CHRISTUS pro nobis intercedit & impetrat, utpote *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ut ait Apostolus Hebr. VII. 25. Ergo. 513

RESP. *Dist.* Qui *proprie* impetrat. *Conc.* Qui *late* impetrat, Meritum antecedens offerens Patri, ut nobis applicandum. *Neg.*

OBJIC. II. CHRISTUS per vulnus Lateris post mortem aperti meruit, ut inde fluerent Sacramenta *Baptismi* & *Eucharistiæ*, ut insinuant Patres. *Ergo.* 514

RESP. Meruit per illud vulnus, quatenus ante Mortem jam prævisum, & tunc Patri pro nobis oblatum. *Conc.* Aliter. *Neg.* Potest etiam dici, Vulnus illud Fons Sacramentorum, eoque nostra Peccata

fuisse abluta, *repræsentative*; quatenus Sacramenta novæ Legis illo Sanguine & Aqua figurabantur. Sic etiam CHRISTUS dicitur resurrexisse propter Justificationem nostram; Non, quod Resurrectio CHRISTI fuerit causa *meritoria* nostræ Justificationis; sed quia eam *repræsentabat*, tanquam Resuscitationem e Morte Peccati ad Vitam Gratiæ.

515 RESOLUTIO II. Christus meruit, per solas Actiones, Naturæ humanæ proprias.

PROB. Solæ Actiones Naturæ humanæ, erant Meriti capaces; quia liberæ, Viatoris, ad Superiorem ordinatæ, eique subjectæ: quod de Divinis dici non potest. Hinc Actus Amoris, procedens ex Visione beatifica, meritorius haud erat; quia necessarius erat, & *Comprehensoris*, non Viatoris, ut observat S. THOMAS.

516 RESOLUTIO III. CHRISTUS sibi meruit Gloriam corporis sui; Nominis sui Exaltationem; Gentium conversionem; Ecclesiæ Splendorem, Diffusionem: non tamen meruit primam Gratiam actualem, aut habitualem, aut Visionem beatificam.

PROB. I. Pars. CHRISTUS de se ipso post Resurrectionem dixit duobus Discipulis euntibus in Emaus: Luc. XXIV. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et PAULUS ad

Philip.

Philip. II. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem . . . . Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur: quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Hanc ipſam gloriam ob ſua Merita petiit a Patre Joan. XVII. 4. *Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me Pater apud temetipſum, claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet apud te.* Paulus de eodem Act. XX. *Eccleſiam acquiſivit Sanguine ſuo.* Et Eph. V. 27. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata:* quod quidem *inchoative*, & quoad Doctrinam Fidei, Morum, ac Sacramenta, imo, quoad Sanctitatem internam quorumdam Membrorum, de Eccleſia militante; *complete* autem de *triumphante*, intelligendum eſt, ut obiter moneam. Ratio eſt; quia omnia hæc poterant habere Rationem Præmii & Mercedis; hinc ea potuit mereri & actu meruit CHRISTUS.

517 PROB. II. Pars. Gratia *prima* actualis, eſt Principium Meriti, quod non cadit ſub Meritum. Etſi enim hypoſtatica Unio, CHRISTI Actionibus contulerit Pretium; non fuerunt tamen elicitæ, niſi ex actuali gratia ſupernaturali, qua humana Voluntas determinabatur ad illos Actus. Gratia habitualis, & beatifica Viſio CHRISTO in primo Inſtanti fuerant conceſſæ, tanquam Proprietates connaturaliter debitæ ob unionem hypoſtaticam: hinc nec iſta meruit, etſi mereri potuiſſet; quia per Unionem hypoſtaticam erat infinite ſanctus, actionesque ex ea ſine gratia habituali procedentes, infinite gratæ fuiſſent, ob Dignitatem operantis; hinc iis debitæ fuiſſent Gratia habitualis, & Viſio beatifica, niſi Deus impediiſſet, ne ex illa Unione effluerent: quemadmodum impedivit, ne Gloria corporis, alioquin debita, ex illa unione manaret; quia ſecus fuiſſet impeditum Meritum Paſſionis.

518 RESOLUTIO IV. CHRISTUS nobis meruit Salutem, & omnia gratiæ Dona, quæ Juſtificationem noſtram antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur.

PROB. Ex Scriptura. Paulus Eph. I. 3. ait: *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati .... in quo habemus Redemptionem per ſanguinem ejus,*

Remiſ-

Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus. Id ipsum definivit Concil. Trident. Sess. VI. 3. *Nisi in Christo* homines *renascerentur nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Et cap. 10. *Cum enim ille ipse Christus* JESUS *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona, eorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto grata & meritoria esse possunt.* A contrario, Angelis & Adamo innocenti, gratiam non meruit; utpote cum CHRISTUS incarnandus, ejusque Merita nonnisi post Angelorum creationem, & Hominis lapsum, prævisa & decreta fuerint. Quod autem est posterius, tam in Intentione, quam Exsecutione, illius, quod prius est, causa esse non potest: Dum vero Apostolus dicit I. Colossi. 20. Christum reconciliasse *omnia quæ in cœlis & quæ in terris* &c. hoc intelligendum de implenda per Homines prædestinatos, Angelorum lapsorum Ruina & vacuis Sedibus.

§. IV.

De Fructu & Merito Mortis Christi.

519 Mors Christi, noſtra Redemptio fuit; hinc inquiritur, pro quibus mortuus ſit, & quos redemerit Christus? Ubi primum notandus eſt veterum quorumdam Hæreticorum Error, a Tertulliano commemoratus, aſſerentium, Christum non pro Hominibus ſolum, ſed pro Dæmonibus quoque paſſum fuiſſe. Origenes poſtea docuit, Christum nondum quidem pro Dæmonibus paſſum fuiſſe, ſed pro illis aliquando paſſurum, illosque a ſuis Pœnis liberandos fore: in quo conſentientem ſibi habuit Didymum Alexandrinum, etſi in reliquis Adverſarium acerrimum.

520 Alius inſuper erat Origenis Error, in eo repoſitus, quod Christum diceret paſſum pro Aſtris, utpote quæ ex ejus Opinione eſſent animata, hinc Vitii & Virtutis, Pœnæ ac Præmii capacia. Ab iſta abſurditate procul recedit illa recentiorum quorumdam Philoſophorum Hypotheſis, qui Planetarum Incolas ſtatuunt. Etſi enim ibi Creaturas rationales exſiſtere ſupponatur, inde tamen non conſequitur, pro illis quoque Chriſtum mortuum fuiſſe.

fuiſſe. Nam I. determinari nequit, an illi, ſi qui dantur, Planeticolæ ad ſupernaturalem Beatitudinem ſint elevati, an in ſtatu Naturæ puræ creati? an aliquando peccaverint, aut unius Peccatum omnes Poſteros eidem Ruinæ involverit? an Redemtore aut indiguerint, aut lapſis Deus ſuccurrere, vel potius in Maſſa damnata relinquere voluerit? Alii erant, qui exiſtimarunt, CHRISTUM, dum ad Inferos deſcendit, non piorum modo, qui in gratia deceſſerant, ſed Damnatorum quoque, ſi non omnium, illorum ſaltem Paganorum, qui etſi Revelatione & Lege ſcripta deſtituti, conformiter Legi Naturæ vixerant, Animas inde liberaſſe.

Chriſtiani hodie facile conſentiunt, 521
CHRISTUM non niſi Homines redemiſſe, illumque eſſe Mediatorem Dei & Hominum: cumque PAULUS expreſſe doceat, illum *pro omnibus* mortuum eſſe, hoc & Calviniani negare non audent, ſed per *omnes* non niſi Prædeſtinatos intelligunt, hoc Senſu, quod Chriſtus pro *omnibus*, & *ſolis* Prædeſtinatis Mortem oppetierit, idque ex hoc Principio, quod Juſtificationem conſtituant in ſola Peccati non Imputatione. Cumque Deus Reprobis Peccata ſemper imputet, non autem Prædeſtinatis; ideo hos ſolum a CHRISTO redemptos fuiſſe dicunt. Huc pertinet quoque illa JANSENII damnata Propoſitio:

Semi-

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus Hominibus mortuum fuiſſe, aut Sanguinem fudiſſe.

522 Inter THOMISTAS quoque, & MOLINIANOS diſceptatur, an CHRISTUS pro omnibus, tam Prædeſtinatis, quam Reprobis *æqualiter*, hoc eſt, æque efficaciter mortuus ſit? quod affirmant MOLINISTÆ, in quorum Syſtemate ideo aliqui prædeſtinantur & ſalvantur, quia Gratia verſatili, quam cum Reprobis habent communem, bene utentes, eam ſuo Conſenſu reddunt efficacem, ſicque ad Gloriam prædeſtinari merentur, quod Reprobi negligunt. AUGUSTINIANI & THOMISTÆ ex oppoſito ſtatuunt, CHRISTUM *Voluntate antecedente*, & quantum eſt de ſe, quoad Sufficientiam, pro omnibus æqualiter, *Voluntate* autem *conſequente* & quoad efficacem Meritorum applicationem, pro ſolis Prædeſtinatis mortuum fuiſſe.

523 RESOLUTIO I. Chriſtus pro ſolis Hominibus, non pro Aſtris, aut Dæmonibus mortuus eſt, nec pro his unquam morietur.

PARS I. Conſtat e S. Scriptura, quæ de CHRISTO, ut Hominum ſolum Redemptore ubique loquitur.

PARS II. Probatur ex Eccleſiæ Traditione, damnantis ORIGENIS & PRISCILLIANISTARUM Errorem, Aſtris quoque Animas affin-

affingentium ; cum tamen Spiritus Vitæ rationalis ſoli Homini a Deo inſpiratus fuerit, ut patet ex Hiſtoria Creationis.

PROB. Pars III. PAULUS Hebr. II. 16. de 524
Chriſto ait: *Nusquam Angelos apprehendit, ſed Semen Abrahæ apprehendit.* II. Hoc ipſum Eccleſia profitetur in Symbolo: *Qui propter nos Homines, & propter noſtram Salutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt* &c. III. Pœnæ Dæmonum perpetuæ ſunt, ut probatum fuit Tom. II. P. I. §. VI. pag. 288. Ergo Chriſtus nec illos redemit, nec unquam redempturus eſt.

RESOLUTIO II. Chriſtus deſcendens ad 525
Inferos, non Animas Damnatorum inde liberavit, ſed Juſtorum, qui in Gratia & Charitate deceſſerant, & tamdiu carebant Viſione beatifica, donec Cœli Porta, Adami Peccato concluſa, per Chriſtum aſcendentem foret reſeranda.

PROB. I. S. Scriptura de CHRISTI ad Inferos Deſcenſu loquens, eos ſolum inde liberatos inſinuat, qui ſperabant in CHRISTUM Redemptorem: atqui Damnati omni Spe deſtituti ſunt. Ergo. *Maj. prob.* Eccli. XXIV. 45. de æterna Sapientia, Filio Dei, dicitur: *Penetrabo omnes inferiores partes Terræ & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Zach. IX. 11. *Tu quoque in Sanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de*

Lacu,

Lacu, in quo non est Aqua. Convertimini ad munitionem vincti Spei.

526 Prob. II. Immutabilis est Sententia Judicis, quæ immediate post Separationem Animæ a Corpore in Judicio particulari fertur; ita, ut sicut Justorum plene purgatorum æterna est Gloria Beatitudinis, ita Reproborum æterna sit pœna Damnationis, quod *prob.* ex Eccle. XI. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Igitur nulla est ex Inferno Redemptio.

527 Ratio est. Peccatum non remittitur, nisi per conversionem ad Deum retractetur: hoc autem fieri non potest, nisi per gratiam Christi; quam solis Viatoribus promisit, non iis, qui sunt in Termino, juxta Joan XII. & IX. *Ambulate dum Lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant: venit Nox, in qua nemo potest operari.* Et Eccle. IX. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

528. Objic. I. 1. Petri III. 18. dicitur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est ... mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerunt aliquando, quando exspectabant Dei patientiam*

tientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca. Cum ergo conſtet, nonniſi octo animas, ſeu, Familiam Noe tunc fuiſſe ſalvatos; ſequitur, omnes, qui aquis diluvii fuerunt abſorpti, fuiſſe damnatos: ergo hos Chriſtus, aut aliquos ſaltem illorum, ex Inferno liberavit.

Resp. Petrum loqui de iis, qui ad Monita Noe prædicentis Diluvium fuerant increduli: poſtea vero videntes invaleſcere nimium Aquas, per veram Pœnitentiam ad Deum converſi, Aquis præfocati ſunt, & poſt ſuperatas forte Purgatorii temporales Pœnas, cum reliquis Juſtis exſpectabant promiſſum Redemptorem.

Objic. II. Pergit Petrus cap. IV. 5.529 *Qui paratus eſt judicare vivos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt, ut: judicentur quidem ſecundum homines in Carne, vivant autem ſecundum Deum in Spiritu.*

Resp. Ut prius. Quod autem S. Petrus dicat, octo ſolum Animas fuiſſe ſalvatas, intelligendum eſt de præſervatione ab Aquis Diluvii, non de Salute æterna: Hinc non ſequitur, omnes Diluvio abſorptos, etiam fuiſſe damnatos.

Resolutio III. Chriſtus non pro ſolis ſ30 Prædeſtinatis, ſed pro *omnibus* omnino Hominibus mortuus eſt, quantum ad ſufficientiam Pretii.

Prob.

PROB. I. Pars. Non ſolum Prædeſtinati, ſed & Reprobi, Fructum ex Merito Paſſionis CHRISTI reportant: ergo pro his quoque mortuus eſt. *Ant. prob.* Multi, quantumvis Reprobi, gratiam Juſtificationis conſequuntur, licet in ea non perſeverent: Imo omnes Adulti, Rationis capaces, gratias habent ſupernaturales ad Salutem *ſufficientes*, ut oſtendi Tom. VI. pag. 275. Atqui in hoc Statu Naturæ lapſæ, ſecundum modernam Providentiam, omne Donum ſupernaturale ad Salutem ordinatum, provenit ex Merito Mortis CHRISTI: ergo non ſoli Prædeſtinati, ſed Reprobi quoque ratione utentes, Fructum inde conſequuntur.

531 PROB. II. Pars. Pro omnibus iis mortuus eſt CHRISTUS, quantum ad ſufficientiam Pretii, qui mortui erant in ADAMO: atqui omnes omnino Homines mortui ſunt in ADAMO, & originali labe infecti, ut ſuppono e Prælect. de Peccatis Tom. IV. *Maj. prob.* ex PAULO Rom. V. ubi CHRISTUM comparat cum ADAMO: *Sicut per unius Delictum in omnes homines in condemnationem: ſic per unius Juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et II. Cor. V. *Charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Iterum 1. Tim. II. *Unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus:*

ſus : qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus . . . ſperamus in Deum vivum, qui eſt ſalvator omnium hominum, maxime fidelium. Ipſe Chriſtus ait Joan. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et I. Joan. II. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*; nempe quoad ſufficientiam. Jam autem Mundus non complectitur ſolos Prædeſtinatos, ſed omnes prorſus in individuo Homines.

PROB. Ratione. Ille quantum ad ſuffi- 532
cientiam pro omnibus mortuus eſt, qui Pretium obtulit, expiandis omnibus Peccatis, & promerendæ ſingulorum Saluti ſufficiens, atque æquivalens : atqui tale obtulit CHRISTUS, utpote infiniti valoris, ob Dignitatem Perſonæ offerentis. *Ergo* &c.

OBJIC. I. CHRISTUS ſolum pro *Ovibus* 533
ſuis mortuus eſt : atqui *Oves* ejus, ſunt Prædeſtinati : ergo. *Maj.* & *Min prob.* Ipſe dicit Joan. X. 15. *Animam meam pono pro Ovibus meis . . . . Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me : & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

RESP. *Diſt. maj.* Pro ſolis Ovibus mortuus eſt, quantum ad *conſequentem* & *effi-*

cacem Voluntatem, applicandi Meritum ſolis Electis. *Conc.* Quantum ad Sufficientiam Pretii, *Voluntate antecedente* pro omnibus oblati. *Neg.* Reſponſio patet ex dictis.

534 RESOLUTIO IV. CHRISTUS ratione Voluntatis *divinæ antecedentis*, *mortuus eſt pro omnibus æqualiter*; ſed pro ratione voluntatis *conſequentis* & *humanæ* efficaciter ſolum mortuus eſt pro Prædeſtinatis, quibus Meritum Paſſionis efficaciter & finaliter applicari voluit. *Contra Moliniſtas.*

PROB. I. Pars. Pro iis omnibus CHRISTUS mori, & Pretium ſuum ſufficiens offerre voluit, quos Deus Voluntate antecedente ſalvari voluit: atqui ſic Deus *vult omnes Homines ſalvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire*, ut loquitur PAULUS I. Tim. II. Ergo. *Maj.* patet; quia Voluntas *antecedens* Patris, eadem eſt, ac Filii. Minoris uberior Probatio ſupponitur ex Prælect. de *Deo uno.* pag. 124.

535 PROB. II. Pars. Voluntas Dei *conſequens* habet infallibilem Effectum: ergo quia non omnes ſalvantur; ſequitur, CHRISTUM Voluntate *conſequente* omnium Salutem non voluiſſe *efficaciter*, ſed illorum ſolum, qui fuerant Prædeſtinati, quam gratuitam fuiſſe, iterum ſupponitur ex Prælect. de *Deo uno.* pag. 166.

II. CHRISTUS *efficaciter* ſolum oravit pro *Prædeſtinatis*, iisque Meritum ſuæ Mortis actu applicari voluit, ut conſtat ex illa oratione, quam habuit ad Patrem ante Paſſionem. Toto cap. XVII. Joan. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi; quia tui ſunt . . . . Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in Veritate. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro iis, qui credituri ſunt, & perſeveraturi per Verbum eorum in me . . . Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam.*

III. Docet Concilium TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 3. „ Etſi CHRISTUS pro „ omnibus mortuus ſit; non omnes ta„ men mortis ejus beneficium conſequun„ tur, ſed ii tantum, quibus meritum „ paſſionis illius communicatur. „ Atqui hoc non omnibus communicatur, v. g. Infantibus ante Baptismum decedentibus: Non omnibus applicatur Defectu Gratiæ efficacis, & Doni Perſeverantiæ, quod ſolis Prædeſtinatis confertur. *Ergo* &c.

OBJIC. I. Si CHRISTUS Voluntate ante-536
cedente, & quoad ſufficientiam, pro omnibus *æqualiter* fuiſſet mortuus; tunc omnes deberent æqualiter accipere gratias ſufficientes ad Salutem: atqui non omnes accipiunt, uti patet de Parvulis ante Baptis-

mum decedentibus: Infidelibus, qui nihil audierunt unquam de Evangelio: de quibusdam Induratis: ergo &c.

Resp. Nego *maj.* Ut enim dicatur, pro omnibus mortuus, sat est, quod Mortem, tanquam Pretium sufficientissimum, pro omnibus obtulerit, & gratias sufficientes omnibus præparaverit, & Deus, quantum est de se, omnibus conferre paratus sit: etiamsi non teneatur invertere Ordinem causarum: quæ aliquando impediunt, ne actu conferantur. Quod spectat Parvulos, concedo: iis non omnibus conferri gratiam Baptismi; hæc autem non est mere *sufficiens*, sed *efficax*, quam non omnibus debet. Sufficientis autem, Defectu ætatis, capaces non sunt. Hujusmodi itaque Parvuli de Numero Reproborum sunt, quos e Massa Perditionis efficaciter extrahere non tenebatur, sed voluit quosdam relinquere, ad ostendendam Justitiam, & respectu aliorum Misericordiam gratuitam. Quod attinet Adultos ratione utentes; illis omnibus, cum in primo Instanti morali Usus Rationis teneantur se convertere ad Deum, non denegantur gratiæ sufficientes supernaturales: neque etiam tunc, quando urget obligatio Præcepti, quod sine Gratia observari nequit, ut dictum est Tom. VI. pag. 275.

CAPUT

CAPUT VIII.

De quibusdam Christi Titulis, Officiis, Donis & Virtutibus.

Cum varia Christo attribuantur Elogia, 537
multisque Donis & Virtutibus fuerit exornatus; hæc omnia isto capite complectar, acturus §. I. de ejus Prædestinatione. II. De officio Mediatoris. III. Sacerdotis & Pontificis. IV. De Dignitate Capitis. V. De ejusdem Donis ad Intellectum pertinentibus. VI. De ejus Gratia & Virtutibus. VII. De ejus Sanctitate, Libertate, & Inpeccantia, & qua ratione utraque cum Præcepto Mortis, ac Merito combinari possit?

§. I.

De Prædestinatione Christi.

Cum de CHRISTO PAULUS dicat Rom. 538
I. 3. *Qui factus est ei ex Semine David secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*; hinc quærunt Theologi, qua ratione CHRISTUS, an secundum Naturam humanam, an vero secundum Personam Verbi, & ad quid, dici queat.

queat *Prædeſtinatus*? Equidem Patres græci, qui loco, *prædeſtinatus*, legunt *declaratus*, nullam habent Difficultatem ut dictum eſt Num. 270. Atvero quoniam Patres latini cum noſtra vulgata conſtanter legunt, *prædeſtinatus*, non autem *manifeſtatus*; hinc ad exponendum Textum Pauli ſtatuitur

539 Resolutio I. Christus vere dicitur *Prædeſtinatus*, ita ut Verbum, prout ſubſiſtens in Natura humana, habeat rationem *Subjecti*: Filiatio autem Divina, rationem Termini.

Prob. Ille eſt, & vere dicitur *Prædeſtinatus*, de quo ab æterno fuit decretum, ut eſſet in Tempore: atqui ab æterno decretum fuit, ut Christus eſſet in Tempore: ergo &c. Hinc dici poteſt, Humanitatem, ſeu, humanam Naturam, ſeorſim a Verbo conceptam, fuiſſe prædeſtinatam ad unionem hypoſtaticam cum Verbo: non vero ad Filiationem divinam; Filiatio enim cadit in Perſonam: humana autem Natura *in abſtracto*, non eſt Perſona. Ideo S. Thomas P. III. Quæſt. XXIV. Art. 1. ad 2. ait: „ Eſſe Filium Dei, non „ convenit naturæ humanæ: Eſt enim „ hæc falſa propoſitio: *Humana natura* „ *eſt filius Dei*: niſi forte quis velit ſic „ exponere . . . *qui prædeſtinatus eſt* &c. ut „ humana natura uniretur filio Dei in Perſona. „

Objic.

OBJIC. Ad Prædeſtinationem requiritur 540
1. ut adſit Subjectum, ante Prædeſtinationem prævisum: 2. Terminus ad quem ante quam Exiſtentiam ordinetur. 3. Ut non ſit ex Meritis, ſed gratuita. Atqui nullum horum in CHRISTO locum habere poteſt. Non 1. Subjectum enim Prædeſtinationis, non potuit eſſe Perſona Verbi, cui nihil potuit gratuito concedi; cum Jure perſonali Patri conſubſtantialis ſit. Neque Natura humana; cum Prædeſtinatio proprie conveniat Perſonæ, non Naturæ. Neque Filiatio Divina potuit eſſe Terminus; quia Perſona Verbi non cœpit eſſe filius Dei in Tempore; imo neque concipi poteſt, ut non exiſtens ante Decretum divinum.

RESP. Nego *min.* Ad *prob.* I. *Diſt.* Perſonæ Verbi, ut in ſe ſubſiſtenti, nihil potuit concedi titulo gratuito: *Conc.* Prout ſubſiſtenti in Natura humana. *Neg.* Ut enim ſubſiſtit in Natura humana, id ei ſolum deberetur, quod Naturæ humanæ, *ſecundum ſe ſpectatæ*, debetur: huic autem non debetur Unio hypoſtatica; hinc recte dicitur, CHRISTO, prout ſubſiſtenti in Natura humana, non deberi Filiationem divinam. *Diſt.* etiam alterum: Verbum, *in ſe* ſpectatum, non cœpit eſſe Filius Dei in Tempore. *Conc.* Verbum, ut ſubſiſtens *in Natura humana*. *Neg.* Equidem Verbum ab æterno erat filius Dei; prout autem ſubſiſtit in Natura humana,

incœpit esse Filius Dei in Tempore; quia in Tempore cœpit ei hypostatice uniri.

541 Neque dicat aliquis: Idem non potest esse Prædestinationis *Subjectum*, & Terminus.

Resp. enim *Dist.* Idem, secundum idem. *Conc.* Idem, secundum diversa. *Neg.* Verbum enim, ut subsistens in Natura humana, *Subjectum*; ut in se subsistens, est *Terminus* Prædestinationis.

542 Neque dicatur 2. *Terminus* Prædestinationis debet esse posterior *Subjecto* Prædestinationis: atqui hic Terminus non esset posterior; Verbum enim, prout subsistens in Natura humana, est Persona, & Filius Dei naturalis. *Ergo.*

Resp. *Dist.* Terminus Prædestinationis debet vel *realiter*, vel *mentaliter* esse posterior Subjecto. *Conc.* Semper *realiter*. *Neg.* Prædestinatio enim est Actus Intellectus, qui unum potest concipere ante aliud, etsi *realiter* ante ipsum non existat. Verbum, in quantum subsistit in Natura humana, est *realiter simul* cum Filiatione divina: illius tamen in Natura humana Subsistentia, secundum modum concipiendi prior est Filiatione divina in Natura humana; prius enim concipitur, ut *subsistens*, dein ut *Filius*; quia Filiatio ex subsistentia resultat.

Reso-

RESOLUTIO II. CHRISTUS etiam dici543
poteſt *prædeſtinatus* ad Viſionem beatificam.

PROB. CHRISTUS prædeſtinatus fuit ad Filiationem divinam, ex qua ſequitur Viſio beatifica: ergo etiam prædeſtinatus fuit ad Viſionem beatificam; æquum enim erat, ut qui eſt Filius Dei naturalis, fruatur Viſione intuitiva Patris.

§. II.

De Officio Mediatoris.

MEDIATORIS nomine intelligitur, qui544
inter quosdam Diſſidentes medium ſe interponit, eosque denuo conjungit. Id autem fieri poteſt dupliciter: Vel per *Subſtantiam*, ſi diſſidentium Naturæ uniantur: vel per Operationem, qua fiat, ut Diſſidentes ad Concordiam reducantur. *Mediator* per Operationem eſſe quis poteſt, 1. ſi Internuntium agat utriusque Partis, & Interpretem: 2. Si inter diſſidentes Arbiter electus, eos componat. 3. Si Advocatum agat, & pro uno apud alterum intercedat. 4. Si Sponſorem ſe præſtet, & ut diſſidentes conciliet, Parti offenſæ ſatisfaciat. Qui hæc omnia ſimul explet, perfecte fungitur Mediatoris officio. SOCINIANI vero CHRISTUM MEDIATOREM dicunt ſolum *improprie*; eoquod tantum fuerit *Internuntius*, & *Interpres*, non au-

tem *Sponsoris* & *Vadis*, quos jam refutavi, agendo de Satisfactione Christi. Errarunt quoque in hac materia Hæretici illi, qui CHRISTO divinam, aut humanam denegarunt Naturam; alterutra enim si caruit, Mediator quoad Substantiam esse non potuit. Protestantium nonnulli CHRISTO Mediationem tribuunt secundum Naturam humanam solum, uti STANCARUS. Alii cum SARCINIANO secundum Naturam divinam. CALVINIANI secundum utramque; ita ut dicant, Verbum jam ante Incarnationem legitimo *Mediatoris* Munere fuisse perfunctum.

545 RESOLUTIO I. CHRISTUS proprie MEDIATOR fuit Deum inter & Hominem, tam quoad Substantiam, quam Operationem.

PROB. I. Pars. Ille est MEDIATOR quoad *Substantiam*, qui utriusque Partis læsæ, & reæ, Naturas physice habet unitas. Atqui has CHRISTUS habuit, ut constat ex dictis adversus NESTORIUM: Imo nisi habuisset unitas, perfectus Mediator haud fuisset; quia si solus Deus fuisset; non potuisset pati & satisfacere: si purus Homo; Satisfactionis valor non fuisset *æquivalens*, ut requirebatur.

546 PROB. II. Pars. CHRISTUS omnia illa præstitit, quæ ad Mediationem per *Operationem* requiruntur; fuit enim 1. *Inter-*

pres

pres, & *Internuntius*, quoniam Dei Voluntatem Hominibus annuntiavit: veterem legem interpretatus est, novam promulgavit. Hinc a MALACHIA cap. 3. dictus *Angelus Testamenti*, & PAULO, *Mediator novi Testamenti*. Quemadmodum de MOYSE dicitur Gal. 3. *Data est lex per Angelos in manu Mediatoris*. 2. Fuit Arbiter constitutus a Deo: & hoc Munus libenter in se suscepit. 3. Oravit Patrem pro nobis, & adhuc Advocatum agit, qui interpellat pro nobis ut legitur I. Joan. II. 1. & Rom. VIII. 34. Denique 4. *Sponsorem* pro nobis egit, & Satisfactionem rigorosam præstitit, ut patet ex dictis.

RESOLUTIO II. CHRISTUS ante Incar-547
nationem proprie *Mediator* non fuit; neque 2. talis est secundum Naturam divinam solum; neque 3. secundum humanam solum; neque 4. secundum utramque: sed 5. qua Homo Deus, sive, ut Homo conjunctus Verbo, Mediatoris partes explevit.

PROB. I. Pars. MEDIATOR proprie talis pro reo supplicare debet Parti offensæ, seque ei submittere, & tanquam Sponsor satisfacere: atqui Verbum ante Incarnationem hæc agere non potuit, utpote prorsus Patri æquale: ergo. Ex quo sequitur, quod neque post Incarnationem secundum Naturam divinam *solam*, quæ semper est Patri æqualis, satisfacere potuerit.

PROB.

548 PROB. III. Pars. In Mediatione perfecta & Satisfactione, intercedere debuit Pretium valoris infiniti, quod sola humana Natura præstare non potuit. Ergo.

549 PROB. Pars IV. Neque secundum utramque Naturam; quia Obedientia, Oratio, & Sacrificium, quibus absolvitur Mediatio, in divinam naturam non cadunt.

550 PROB. Pars V. CHRISTUS tantum prout homo est, omnes Mediatoris partes proprie dictas explere potuit; quia vero Actiones solius Naturæ humanæ non fuissent Pretii infiniti, quod requirebatur ad Mediationem redemptivam; hinc necessaria fuerat Unio cum Verbo, ex quo Pretii Valor æquivalens derivari debuit. Deus ergo in CHRISTO *moraliter* se habuit valorem impertiendo: Homo autem *physice* & effective agendo, tolerando &c. ita, ut Persona fuerit *Principium quod*: Natura humana *Principium quo*.

551 OBJIC. I. Persona Verbi non influit in Actiones CHRISTI, quibus Mediatorem egit: ergo fuit Mediator *qua Homo* præcisus a Verbo. *Ant. prob.* Persona nihil aliud agit in CHRISTO, quam quod egisset Persona humana, si adfuisset, nimirum solum terminasset, & sustentasset Naturam humanam. Ergo.

RESP.

RESP. *Dist. ant.* Non influit *physice.* *Conc. Moraliter.* *Neg.* Ipsa enim Personæ Dignitas illis Actionibus Pretium & valorem tribuit. Hinc ait PAULUS de Christo: *Exauditus est pro sua reverentia.* Hebr. V. 7.

OBJIC. II. Nemo potest esse *Mediator* sui ipsius: sed si CHRISTUS non fuit Mediator, ut præcisus a Verbo; tunc fuisset Mediator sui ipsius; quia Natura Verbi, eadem est cum Patre, & Spiritu sancto. *Ergo.* 552

RESP. *Dist.* Nisi habeat duplicem Naturam, & Jura, ac Bona distincta, ut dixi supra de Satisfactione. *Conc.* Secus. *Neg.*

OBJIC. III. Si CHRISTUS Mediator est, ut Deus; tunc Deus oravit, passus, mortuus est &c. Atqui hæc de Deo dici non possunt. *Ergo.* 553

RESP. *Dist.* Dici potest Deum orasse, in Natura *humana*, propter Id omatum communicationem. *Conc.* In natura *Divina.* *Neg.*

OBJIC. IV. CHRISTUS *Mediator* fuit secundum Naturam divinam: ergo. *Ant. prob.* Hæc Christi Verba: *Ego pono animam meam*, sunt Verba Mediatoris: atqui hæc sunt Verba Dei, qui Vitam & Mortem in potestate habet. Ergo. 554

RESP.

RESP. Solus quidem Deus poteſtate *propria* eſt Dominus Vitæ & Necis: Homo autem in Chriſto illud Mortis & Vitæ Arbitrium accepit a Verbo. Ita AUGUSTINUS Tract. 47. in Joan. „ Caro ponit animam ſuam, & caro iterum ſumit eam; non tamen ſua poteſtate: . . . „ ſed poteſtate inhabitantis carnem. „

555. OBJIC. V. CHRISTUS noſter *Mediator* eſt, quatenus nos reconciliavit, & Pacem ſancivit: atqui hoc fecit *ut Deus*, ab humanitate præciſus, ut dicitur II. Cor. V. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: Deus erat in Chriſto: mundum reconcilians ſibi.*

RESP. *Diſt.* Quatenus nos reconciliavit ſupplicando & ſatisfaciendo, quod convenit naturæ humanæ. *Conc.* Quatenus nos reconciliavit *exaudiendo*, *acceptando*, *remittendo* Culpam & Pœnam, quod convenit Divinitati. *Neg.* Sub diverſa enim ratione Mediator fuit.

556 OBJIC. VI. Secundum S. AUGUSTINUM Enchirid. cap. 33. ad *Mediatoris* munus pertinet renovare corda, dare Spiritum S. Atqui hoc ſoli Deo proprium eſt. Ergo.

RESP. *Diſt.* Mediatoris munus eſt, dare Spiritum S. *meritorie*, *miniſterialiter*, & *impetratorie*. *Conc.* Renovare corda, & dare Spiritum S. tanquam *cauſa principalis*, ad munus *Mediatoris* pertinet. *Neg.*

§. III.

§. III.

De Munere Sacerdotis & Pontificis.

RESOLUTIO I. CHRISTUS est verus *Sacerdos*, non quidem secundum ordinem *Aaron*, sed *Melchisedech*. 557

PROB. I. Pars. Tria ad Officium *Sacerdotis* requiruntur. 1. Populum in Lege divina instruere, secundum illud Malach. II. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirant ex ore ejus.* 2. Preces Populi Deo offerre. 3. Pro Peccatis Populi satisfacere. Atqui hæc omnia præstitit CHRISTUS, ut constat ex Epist. ad Hebr. & dictis N. 461. Ergo.

PROB. II. Pars. Sacerdotium *Aaronis* con- 558
sistebat in oblatione Victimarum irrationalium, aut rerum inanimatarum, quibus non poterant expiari Peccata; & Sacrificia illa solum erant Figura novi cujusdam Sacrificii: debebant quoque frequenter iterari, & Sacerdotes debebant esse ex Tribu LEVI. Atqui alia omnia occurrunt in Sacerdotio CHRISTI, qui victimam seipsum obtulit *semel*, sufficientissimam ad expianda totius mundi Delicta; Secundum carnem non descendit de Tribu *Levi*, sed *Juda*. Ergo &c. Hinc de eo PAULUS ad Hebr. V. 5. usurpans Verba Psalmi

109. ait : *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus ad eum : filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit : Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Dicitur vero *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech* ; quia MELCHISEDECH tanquam Rex Juſtitiæ & Pacis, ſine Patre, ſine Matre, non ex Succeſſione Sacerdotium obtinuit, & Sacrificium in Pane & Vino obtulit. Atqui etiam CHRISTUS Rex eſt Juſtitiæ & Princeps Pacis, æterna generatione ſine Matre, temporali vero ſine Patre genitus, non ex ſucceſſione Sacerdotium ſuum obtinuit, & Sacrificium ſub ſpecie Panis & Vini primus obtulit, & tanquam Principalis offerens continuo offert per Manus Sacerdotum. Hinc *Sacerdos in æternum.*

559 RESOLUTIO II. CHRISTUS eſt *Sacerdos*, non prout Verbum, ſed ut Homo, Verbo hypoſtatice unitus.

PROB. I. Pars. Sacerdos, eſt inferior reſpectu illius, quem orat, & cui ſacrificium offert : atqui Verbum, tanquam eſſentialis Deus, & Patri conſubſtantialis, illo inferior non eſt. *Ergo.*

560 PROB. II. Pars. PAULUS expreſſe ait Hebr. V. 1. *Omnis Pontifex ex Hominibus conſtituitur* : & CHRISTUS, *ut Homo*, inferior eſt Patre : ergo.

PROB.

PROB. III. Pars. Humanitas in CHRISTO561 nunquam fuit ſine Unione hypoſtatica: ergo ſemper erat Sacerdos, ut Verbo unitus; & ideo ex hac Unione Sacrificium ejus traxit Pretium infinitum.

§. IV.

De Dignitate Capitis.

RESOLUTIO. CHRISTUS Homo eſt caput562 Eccleſiæ, & omnium Hominum ac Angelorum; ſed non eodem modo.

PROB. I. Pars. Ad Dignitatem Capitis *moralis*, ſecundum Analogiam Capitis *phyſici* tria requiruntur: 1. Præeminentia præ reliquis Membris. 2. Conjunctio cum illis. 3. Influxus in membra. Atqui hæc omnia ſunt in CHRISTO reſpectu Eccleſiæ; omnibus enim Creaturis præſtantior eſt: arctiſſimo Vinculo cum Membris ſuis unitur, & Gratiam in ſuos influit, *tanquam Vitis in Palmites.* Hinc PAULUS Eph. I. 22. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit* CAPUT *ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et cap. IV. 15. *Creſcamus in illo, qui eſt* CAPUT *Eccleſiæ, ex quo totum corpus compactum & connexum &c.*

563 PROB. II. Pars. CHRISTUS aliqua Ratione est CAPUT omnium Hominum, quia omnibus præeminet; & etiam ratione corporum, quatenus Influxum quemdam e corpore Christi percipiunt: tum ut sint Arma Justitiæ Dei: tum ut post Mortem resuscitentur: maxime autem ratione Beatitudinis supernaturalis, ad quam omnes ordinantur, & quibus, utpote omnium Redemptor, Pretio Sanguinis sui Media præparavit, Salutem æternam obtinendi. Hinc juxta S. THOMAM quinque considerari possunt Hominum ordines, quorum Caput est CHRISTUS. 1. Principaliter eorum Beatorum, qui actu uniuntur per Gloriam. 2. Justorum, qui uniuntur per Charitatem. 3. Qui uniuntur per Fidem. 4. Qui uniuntur solum in Potentia nondum redacta ad actum, quæ tamen ad actum est reducenda per divinam ordinationem. 5. Eorum, qui in potentia sunt uniti, etsi nunquam reducenda in actum, ut Reprobi adulti, ratione utentes, qui gratiis sufficientibus ex Christi influxu non carent. Ceterorum *Caput* est, solum per præeminentiam & Mediorum præparationem.

564 PROB. III. Pars. CHRISTUS ut Deus, est *Caput* Angelorum ob creationem, & primæ gratiæ largitionem: de quo Paulus Colloss. II. 10. *Estis in illo repleti, qui est* CAPUT *omnis Principatus & Potestatis.* Sed etiam *ut Homo*, *Caput* est Angelorum,

Digni-

Dignitate, *Authoritate*, & gratiæ ſecundæ *largitione*. Et quidem 1. *Dignitate*; quia de CHRISTO, etiam ut *Homine*, ait Paulus Eph. I. 20. *Quam operatus eſt (Deus) in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum & Poteſtatem & Virtutem & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.* 2. *Authoritate & Poteſtate*; ait enim de ſe CHRISTUS Math. ult. *Data eſt mihi omnis Poteſtas in cœlo & in terra.* Et Petrus Ep. I. cap. III. 22. *Qui eſt in Dextra Dei .... profectus in cœlum, ſubjectis ſibi Angelis & Virtutibus.* 3. Multiplicis gratiæ ſecundariæ largitione, ait enim Paulus Eph. III. 8. *Sibi datam eſſe gratiam in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti; ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis Sapientia Dei.* Cumque per CHRISTI gratiam Homines beatificentur, & vacuas Angelorum lapſorum Sedes repleant; neceſſe eſt, ex multiplicato Beatorum Numero, Gloriam quoque accidentalem Angelorum augeri: quam conſequenter CHRISTO Homini debent. Non tamen CHRISTUS, ut Homo, eſt Caput Angelorum per Influxum primæ gratiæ; tunc enim nondum fuerat prævifus, ex dictis Tom. II. pag. 121. & 191.

§. V.

De Donis Christi, ad Intellectum pertinentibus.

565 Ad Intellectum ſpectat *Scientia*, quæ vel divina eſt, competens CHRISTO ut Deo, de qua hic non agitur: vel humana, competens ei ut Homini. Eſt vero hæc triplex: 1. Scientia *infuſa*, & hæc dupliciter conſideratur, vel pro Notitia Rerum ſupernaturalium, quæ naturali Studio acquiri non poteſt; vel pro Notitia rerum naturalium: quæ licet Labore humano acquiri poſſet, per accidens tamen & liberaliter a Deo citra Studium infunditur. 2. Scientia *beata*, ſeu, Viſio beatifica, quæ ſe extendit vel ad res in aliqua Temporis differentia exiſtentes, vel etiam ad omnia poſſibilia; & hæc dicitur *comprehenſiva*. 3. Scientia *acquiſita*: & hæc vel eſt *mentalis*, ſeu, *habitualis*, quæ ex Principiis generalibus & certis ratiocinando acquiritur: vel eſt *experimentalis*, ſeu *actualis*, quæ Senſuum Experientia, & Factis ſingularibus innititur: Scientiæ opponitur *Ignorantia*, quæ vel eſt *privativa*, ob pravam Diſpoſitionem, quæ eſt cauſa & effectus Peccati: vel *negativa*, quæ eſt ſimplex carentia, & vocatur *neſcientia*.

Igno-

Ignorantiam CHRISTO tribuebant 1.566
GNOSTICI, & VALENTINIANI qui quodam Pseudo-Evangelio seducti, CHRISTUM sub Ludimagistro prima Litterarum Elementa didicisse fabulabantur. 2. ARIANI, & NESTORIANI, cum CHRISTUM pro mero Homine habuerint, infusam ei a primo Instanti conceptionis Scientiam denegarunt. 3. EUTYCHIANI quidam, THEMISTII Sectatores, & AGNOETÆ dicti, seu *Ignorantes*, CHRISTO non solum ut Homini, sed etiam ut Deo, rerum quarumdam, ut ultimi Diei, Ignorantiam affingebant. 4. ERASMUS, Lutherus, & GROTIUS, CHRISTO nonnisi post Resurrectionem omnem Scientiam fuisse communicatam scripserunt. 5. Nonnulli alii, etsi nullam admittant in CHRISTO Ignorantiam; negant tamen, eum a primo Instanti conceptionis habuisse Scientiam *beatam*, quoniam cum hac Visione beatifica combinare non possunt Sensum Doloris, quo Christus, utpote passibilis, non caruit. Ex adverso HUGO a S. Victore integro libro conatus est evincere, CHRISTUM non solum nihil ignorasse, sed & nonnisi divina Scientia fuisse præditum.

RESOLUTIO I. CHRISTUS habuit Scien-567
tiam creatam, tam infusam, quam acquisitam.

PROB. I. Pars. Isai. XI. 2. de Christo prædicitur : *Requiescet super eum Spiritus Domini , Spiritus Sapientiæ & Intellectus , Spiritus Scientiæ & Pietatis* &c. Et ad Coloss. II. 3. *In quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.* Ratio est ; quia CHRISTUS a primo conceptionis suæ Instanti , tam perfectus Homo fuit , quantæ Perfectionis capax est Natura humana : cum hoc Dignitati ejus competeret , qua super Creaturas omnes eminebat. Ergo a primo Instanti conceptionis , habuit Scientiam infusam. Scientiæ vero hujus objectum fuere Res omnes necessariæ , Species omnium Entium existentium , Artes omnes & Disciplinæ. Hinc etiam Scientia ejus fuit infusa illa ADAMI , cum *extensive* , quia ad plura objecta se extendit, tum etiam *intensive* , eoquod objectorum Species infusæ fuerint clariores. Fuit quoque perfectior Angelorum Scientia ; quia CHRISTI Humanitas erat Subjectum dignius Angelis : hinc majorem quoque Perfectionem exigebat.

568 PROB. II. Pars. Scientia *acquisita* , est Habitus per actus frequentatos comparatus , atqui talis erat Scientia Christi ; Ejus namque Intellectus propriis Viribus cognovit Res naturales , & ex primis Principiis deduxit conclusiones , tam proximas quam remotas ; cum hoc ad Perfectionem Intellectus humani requiratur , qualis in Chri-

Chriſto fuit, contra APOLLINARISTAS. Multa quoque Uſu quotidiano per Senſus expertus eſt: quo alludere videtur PAULUS Hebr. V. 8. *Cum eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.*

OBJIC. I. De CHRISTO dicitur Luc. II. 52. *Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Sicut Ergo vere crevit annis; ita & ſapientia: ergo non ſtatim ab Initio habuit omnem Scientiam. 569

RESP. Profecit Sapientia, non *in ſe*, ſed *quoad homines*, quibus ſucceſſive præbuit ſuæ Sapientiæ documenta: & hinc proficere videbatur. Vel *Diſt.* Proficiebat quoque Sapientia, quoad Scientiam infuſam. *Neg.* Quoad acquiſitam, & experimentalem. *Conc.* Vere quidem crevit ætate, quia corpus aſſumpſit communibus Infirmitatibus ſubjectum, quod ſucceſſive creſcit, & perficitur: Animæ autem Defectus, ut Ignorantiam, Concupiſcentiam &c. aſſumere noluit.

OBJIC. II. CHRISTUS nonnulla ignora-570 vit, ut dum quærit de Lazaro mortuo, *ubi poſuiſtis eum?* & interrogat Petrum: *Petre, amas me?*

RESP. CHRISTUS interrogavit: non quod ignoraret; ſed quia modo nobis accomodato converſari, nec ſuam omniſcientiam omnibus illico prodere voluit.

Sic quoque Deus ipſe Gen. 3. Interrogat: *Adam ubi es?* & ad Cain: *Ubi eſt Abel frater tuus?* Quin inde inferri poſſit, Deum hæc & alia ignoraſſe. Sed & Petrus reſpondit: *Domine tu* SCIS, *quia amo te.*

571 OBJIC. III. CHRISTUS ignoravit extremum Judicii Diem: interrogatus enim ab Apoſtolis de Fine mundi: *Dic nobis, quando hæc erunt?* reſpondit Math. 24. & Marci 13. *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, niſi Pater.* Hæc autem Ignorantia non poteſt ipſi adſcribi ut Deo: ergo ut Homini.

RESP. De CHRISTO ſimpliciter absque Reſtrictione dici nequit, ignoraſſe aliquid; CHRISTUS enim abſolute enunciatus, dicit duplicem Naturam in Verbo ſubſiſtentem, cui Ignorantia nulla tribui poteſt. Dicunt ergo quidam, CHRISTUM *ut Hominem* neſciiſſe Diem, quia illis hanc, quam habuit de Fine Mundi notitiam, tunc communicare noluit: non autem abſolute & proprie ignoraſſe. Eſt ergo Senſus: Diem illum neque Filius ſcit, *Scientia communicabili.* Alii reſpondent *Diſt.* Filius non ſcit Scientia actuali. *Conc.* Habituali, beatifica, aut infuſa. *Neg.* Cum CHRISTUS Rerum omnium, in aliqua temporis differentia exiſtentiam, infuſas habuerit ſpecies, aut omnia in divina Eſſentia viderit;

derit; hinc eorum omnium habuit Scientiam *habitualem*, ſed non ſemper *actualem*; quia ad illa Objecta libere non voluit attentionem mentis convertere, forte ad dandum refrænandæ curioſitatis Exemplum. Ut enim efficere potuit, ne Gloria Beatitudinis ex Anima erumpat in corpus, niſi dum voluit, e. g. in Transfiguratione; ita efficere potuit, ut Diem Judicii actuali ſcientia neſciret Anima, quia potuit non convertere Mentis attentionem ad determinatum hoc objectum ſcibile.

572 Resolutio II. Anima Christi a primo Conceptionis Inſtanti fruebatur Viſione beatifica, non tamen comprehenſiva. Etſi hæc Sententia nec in ſacra Scriptura clare expreſſa, nec ab Eccleſia definita ſit, adeo tamen in eam communis Theologorum conſenſit, ut contrariam aſſertionem erroneam judicent. Nititur tamen quibusdam non adeo obſcuris S. Scripturæ Teſtimoniis. Nam Christus de ſe ipſo ait Joan. III. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo: filius Hominis, qui eſt in cælo.* Ubi Christus de ſe *ut Homine* ante aſcenſionem affirmat, ſe eſſe *in cælo*; non utique corpore: ergo per intuitivam Viſionem Animæ conceſſam. Et Joan. VIII. 14. *Etſi ego Teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt Teſtimonium meum; quia ſcio unde veni, & quo vado: vos autem neſcitis . . . . non cognoviſtis eum:*

ego autem novi eum: & ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Ubi ſuam de Deo Scientiam opponit Neſcientiæ Phariſæorum, qui non plane ignorabant Deum, quem per fidem cognoſcebant; ergo loquitur de ſua ſcientia ac Viſione intuitiva, quæ Fidei opponitur. & Joan. cap. I. 18. *Deum nemo vidit unquam* (intuitive) *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

573 PROB. Ratione I. CHRISTO ob ſuam Dignitatem ea debuit tribui Scientia, quæ ipſum decet, & neque cum Incarnatione, neque Redemptione pugnat: atqui Scientia beata eum decet, nec cum Fine Redemptionis pugnat. II. CHRISTUS erat *plenus gratia & Veritate*, ut dicitur Joan. I. 16. Atqui omnis alia Scientia, *præter intuitivam viſionem*, in S. Scriptura habetur pro *imperfecta*, non *plena*: ergo Scientia beata Chriſto vindicanda eſt. *Min. prob.* ex Paulo 1. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum . . . ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Cum igitur Anima Chriſti a primo conceptionis Inſtanti perfectiſſima fuerit cognitione prædita; ſequitur, eam intuitivam fuiſſe: ſecus quantum ad Scientiam non multum differ-

ret

ret ab ADAMO *innocente*, & Angelis Viatoribus.

PROB. II. Pars. Visio comprehensiva est, 574
quæ totum objectum cognoscibile exhaurit, eique tam *intensive*, quam *extensive* adæquate commensuratur: atqui talis non fuit Scientia beata Animæ Christi; infinita est enim Dei cognoscibilitas: Scientia autem Animæ Christi finita solum erat, quia creata; Hinc ait de Deo Jerem. 32. *Magnus Consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Itaque omnes Creaturas possibiles Anima CHRISTI non vidit, sed res omnes quandocunque existentes; quia illæ omnes ad ejus Statum, & Dignitatem, & officium Domini, ac Judicis pertinent.

OBJIC. I. Si Anima CHRISTI habuit Vi- 575
sionem beatificam; tunc fuit essentialiter beata: atqui cum Beatitudine perfecta stare non potest Sensus Doloris ac Tristitiæ, quem tamen Christus habuit summum in Passione: ergo.

RESP. *Dist. min.* Cum Beatitudine *completa* Animæ simul & Corporis, stare non potest Sensus Doloris. *Conc.* Cum Beatitudine *incompleta* solius Animæ. *Neg.* vel *Subdist.* Nisi CHRISTUS sua omnipotentia & Libertate voluerit efficere, ne Voluptas ex Visione beatifica profluens, redundet in Partem Hominis inferiorem quemadmodum

modum impedivit, ne Gloria Animæ affloueret in corpus. *Conc.* Secus. *Neg.*

576 Objic. II. De Christo dicitur Luc. XXIV. 26. *Hæc oportuit ipsum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo primum post Resurrectionem, non ante, habuit Scientiam beatam.

Resp. *Dist.* Et ita intrare in Gloriam, *completam* & consummatam etiam corporis. *Conc.* *Absolute* in Gloriam animæ. *Neg.*

577 Objic. III. In Christo fuerunt omnes Virtutes: ergo etiam Spes & Fides: atqui Fides & Spes repugnant Visioni beatificæ. *Ergo.*

Resp. *Dist. maj.* Quæ non pugnant cum ejus Statu. *Conc.* Quæ pugnant. *Neg.* Fides cum sit obscura cognitio, non potest esse in Subjecto, quod Deus videt intuitive: nec Spes, quæ est de absentibus, in Comprehensore locum habet; hinc & utraque evacuabitur in Patria.

§. VI.

De Gratia & Virtutibus Christi.

578 Resolutio I. Fuit in Christo 1. Gratiæ plenitudo, 2. præter gratiam unionis etiam

etiam 3. habitualis ejusdem cum noſtra conditionis: inſuper 4. Gratia actualis, 5. & Dona Spiritus S. 6. Gratiæ gratis datæ. *Communis.*

PROB. I. Pars. Joan. I. de eo dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis . . . & de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

PROB. II. Pars. Per ipſam Unionem Na-579 turæ humanæ cum Verbo, ſubſtantialis oriebatur Sanctitas; cum *in ipſo inhabitaverit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter,* ut ait Paulus Coloſſ. II. 9.

PROB. III. Pars. Dicitur de CHRISTO: 580 Iſai. XI. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*: quibus non ſolum Spiritus S. Illapſus, ſed ejus quoque cum Anima per gratiam habitualem Unio ſignificatur. Ratio etiam eſt; quia Gratia habitualis conceditur non ſolum, ut ſit Animæ ornamentum, ſed etiam ut Principium operandi ſupernaturaliter, cujusmodi & Animæ CHRISTI competebat, utpote omnis perfectionis capaci: cumque fuerit Exemplar noſtrum, ad cujus Similitudinem noſtræ Actiones eſſent efformandæ; eodem & ipſum Chriſtum operandi Principio inſtructum fuiſſe, oportuit. Fuit autem iſta Gratia in Chriſto ſolum *finita*; quia recepta in Anima, tanquam in Subjecto finito & creato. Aliquo Senſu *naturalis* di-

ci poteſt; cum ſit conſectarium quoddam Unionis hypoſtaticæ: & alio Senſu *adventitia*, ſeu, accidentalis, ſi ipſa ſpectetur Gratiæ naturæ, Humanitati per ſe, & præſcindendo ab Unione hypoſtatica, non debita.

581 Prob. IV. Pars. Gratia *actualis*, eſt Illuſtratio Intellectus, & Motio Voluntatis: atqui hæc continuo Christo aderat: non quidem quæ foret *excitans*, ſed *operans*, & *cooperans*.

582 Prob. V. Pars. Eo tendunt Spiritus S. Dona, ut iis adjutus Homo faciliter, & alacriter, quæ Spiritus ſunt, exſequatur: atque hæc Facilitas & Alacritas Christo non defuit: de quo prædicitur Iſai. XI. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*: Timor non quidem *ſervilis*, ſed *filialis*. Consilium in Chriſto non involvebat Dubitationem, ut contigit in nobis, ratione Subjecti Ignorantia affecti, ſed erat in eo rectum & promtum agendi Judicium.

583 Prob. VI. Pars. Gratiæ gratis datæ, quas recenſet Paulus 1. Cor. 12. conceduntur ad aliorum Utilitatem: atqui Christus præcipue venerat ad noſtram Utilitatem.

litatem. Ergo indubie iisdem fuit exornatus; quod facile patebit enumeranti earum Species. De *Prophetia* posset esse dubium; quia est obscura: hoc autem solum est per accidens, quando Deus non vult Prophetis clarius revelare.

RESOLUTIO II. In Christo fuerunt om-584
nes Virtutes, tam *Theologicæ*, quam *morales*, infusæ & acquisitæ, quæcunque nullam habent permixtam Imperfectionem, nec cum ejus Dignitate ac Felicitate pugnabant.

PROB. Quidquid ad CHRISTI omnimodam Perfectionem facit, hoc ei asserendum est: atqui huc faciunt Virtutes. Quoniam vero *Fides* Theologica, est obscura cognitio, *Spes* autem rerum absentium & non possessarum; neutra in CHRISTO fuit, qui fruebatur clara Dei Visione, eamque actu possidebat. Sicut ergo Fides & Spes Beatorum evacuatur in Patria, sola autem Charitas nunquam excidit; ita fuit in CHRISTO Charitas summa, sine Fide & Spe. Virtutes morales, ut sunt in nobis, adjunctas habent Imperfectiones, quæ Peccatum supponunt, & Pugnam contra Concupiscentiam, qua Christus carebat, Fomitis Peccati expers.

§. VII.

§. VII.

De Sanctitate, Libertate, & Impeccabilitate Christi.

585 De Christi *Sanctitate* substantiali, orta ex unione hypostatica, & Impeccabilitate, nulla est inter Theologos controversia: de eo tamen disputatur, undenam derivari debeat; an ex ipsa Virtute unionis hypostaticæ: an ex Visione beatifica, quod posterius volunt Scotistæ. Atvero longe major est Difficultas, qua ratione ista Impeccabilitas combinari possit cum Libertate transgrediendi, vel non, Mandatum Patris de subeunda Morte, supposito quod *verum* fuerit & *strictum*. Si enim Christus strictum a Patre accepit Mandatum, subeundi Mortem, & ad non subeundam Mortem liber fuit; sequitur, quod eam potuerit non subire, sicque peccare transgrediendo Præceptum: quod repugnat ipsius Impeccabilitati: si autem non potuit non subire; sequitur, non fuisse liberum, sicque Morte sua nihil nobis ac sibi meruisse; quia ad Meritum requiritur Libertas Indifferentiæ, seu, Arbitrii.

586 Ut Nodum hunc solvant Theologi, varios excogitarunt conciliandi modos. I. Thomistæ ad suum Sensum compositum

&

& diviſum confugiunt, ajuntque apud GONET, quod, licet CHRISTUS non potuerit velle non mori in *Senſu compoſito*, id eſt, velle conjungere negationem Mortis cum Præcepto obligante ad mortem; potuerit tamen in *Senſu diviſo*, id eſt, velle negationem Mortis, ut abſtractam a Præcepto.

II. Modus eſt dicentium, CHRISTUM 587
fuiſſe liberum; quia non habuit Præceptum Mortis, obligans ſub Peccato, ſed ſolum Præceptum, ſeu, Mandatum Dei, quatenus extenditur ad Ordinationem, Directionem & Regulam Superioris, potentis obligare ſub peccato, non tamen obligantis: Sicut Regulæ Religionum & ordinationes Superiorum, diriguntur ad Subditos, & tamen regulariter non obligant ſub Peccato, ſunt tamen Materia Obedientiæ, & quidem perfectioris, ut docet S. THOMAS 2. 2. q. 104. a. 2. & 5.

III. Modus eſt eorum, qui docent, 588
CHRISTUM fuiſſe liberum circa ipſam Subſtantiam Præcepti, ſeu, Mortem.

IV. Eſt dicentium, quod CHRISTUS po- 589
tuerit non mori; quia potuit petere Diſpenſationem a Patre.

V. Aliorum, qui dicunt, ipſam Mor- 590
tem, quoad Subſtantiam fuiſſe CHRISTO

liberam & meritoriam ratione Divinitatis; quia CHRISTUS, ut Verbum, poterat impedire & non impedire Mortem Humanitatis ſuæ.

591 VI. Eſt TOURNELLII & aliorum, qui CHRISTUM ſtatuunt liberum, non ſolum quoad Circumſtantias, ſed etiam circa Subſtantiam ipſam Mortis: hanc vero Libertatem cum Mandato Patris de ſubeunda Morte, & Impeccabilitate Chriſti, in eo conciliant, quod moriendi Mandatum non fuerit *abſolutum*, & a libero Chriſti illud acceptantis conſenſu omnino independens, ſed conditionatum, ſi nempe vellet Chriſtus illud acceptare; quod reipſa volens ac lubens acceptarit. Quamquam vero poſt acceptationem Mandati non fuerit amplius liber, ad non ſubeundam mortem, propter ſuam Impeccabilitatem, ſicque *neceſſitate conſequente* Mortem ſubire debuerit; fuit tamen liber *antecedenter*, & *in cauſa*.

592 VII. Eſt clariſſ. D. AMORTI, ſtatuentis, Præceptum Mortis CHRISTO datum, non fuiſſe mandatum *Timoris*, obligans ſub culpa, ſed *Amoris* & tacite conditionatum, quaſi dixiſſet Pater: ſi Amore gratuito, & vi aliorum Mandatorum indebito, amas me, exple Ordinem Redemptionis humanæ, tibi præmonſtratum, in quo mihi complacui. Ut hoc a te obti-

neam,

neam, præveni te immensis Gratiarum Donis, tanquam tot Pignoribus Amoris mei: & si hoc Obsequium Amoris mihi præstiteris; compensabo Amore reciproco, gratuito, aliunde indebito, per collationem proportionatæ communis Gloriæ.

Supereſt modus VIII. quem ſic explico. 593 Concipio SS. Trinitatem, quaſi inter ſe conſultantem de modo reparandi Hominem lapſum, per exigendam ab eo condignam Satisfactionem; cùm vero clarum eſſet, eam a puro Homine præſtari non poſſe: proponitur, an non una e tribus Perſonis hoc in ſe charitatis Obſequium ſuſcipere, & pro Homine lapſo ad omnem rigorem ſatisfacere vellet. Dixit ergo Pater, ut in ſimili audivit ISAIAS cap. VI. 8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* & dixit Filius: *Ecce ego, mitte me.* Acceptavit Pater exploratam Voluntatem Filii, ſicque Præceptum Mortis quoad Subſtantiam, & Circumſtantias ei impoſuit. Ad hunc Senſum Verba Pſalmi 39. uſurpat Paulus ad Hebr. X. *Impoſſibile enim eſt Sanguine Taurorum & Hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, Voluntatem tuam, (Deus meus volui, & le-*

gem tuam in medio cordis mei Pſal. 39.) *Superius dicens: quia Hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus Voluntatem tuam. Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.* Hæc PAULUS loc. cit. Poſtquam Mandato Patris ſe ſemel ſubjecit Filius; ob Impeccabilitatem jam non poterat illud non implere: implevit tamen libere, non ſolum ob Libertatem *antecedentem*, & *in cauſa*; ſed etiam alio adhuc modo. Ad Eſſentiam enim Libertatis non requiritur Libertas *contrarietatis*, ſeu, Indifferentia ad agendum Bonum vel Malum; nam, ut ait ANSELMUS, nec Libertas, nec pars Libertatis eſt, Poteſtas peccandi: imo Defectus eſt Libertatis, ut S. THOMAS ſæpius ait; ſed *libertas contradictionis*, ut poſſit agere vel non agere; ita, ut quamvis agens ſit determinatum ad unam ſpeciem, qualis v. g. Bonum, eſt Deus; poſſit tamen *hoc* Bonum non agere, ſed *aliud* Bonum. Quando Bonum agendum, eſt Materia Præcepti; tunc Potentia illud agendi, vel non agendi, non ſolum eſt Indifferentia *contradictionis*, ſed etiam *contrarietatis*; quia non agere Bonum *præceptum*, eſt Transgreſſio Præcepti, adeoque in Specie Mali. Cum ergo CHRISTUS fuerit ſubjectum impeccabile; in materia Præcepti non habuit Libertatem *contradictionis*, ſeu, Arbitrii; quia non fuit liber ad operandum Malum:

Malum: ſed ſolum *Libertatem Voluntatis*; quia non *coacte*, ſed *ſponte* Mortem ſubiit. Hic videtur modus facillimus combinandi Libertatem cum Mandato & Impeccabilitate, nec tam obſcurus eſt, ut Senſus Thomiſtarum diviſus.

RESOLUTIO I. Chriſtus habuit veram 594
Sanctitatem, tam ſubſtantialem, quam accidentalem.

PROB. I. Pars. CHRISTUS in S. Scriptura per Antonomaſiam vocatur *ſanctus*, ut Dan. IX. 24. *ut ungatur Sanctus Sanctorum.* Angelus ad MARIAM: *quod naſcetur ex te Sanctum*: Dæmon ex Energumeno Marc. I. 24. *Scio quis ſis, Sanctus Dei.* RATIO eſt. Qui eſt ſubſtantialiter Deus; eſt ſubſtantialiter ſanctus; cum Sanctitas ſit Attributum divinum: atqui CHRISTUS eſt ſubſtantialiter Deus: ergo &c.

PROB. II. Pars. Sanctitas *accidentalis*, 595
orta ex Dono, quod a Subjecto diſtinguitur, eique accidentaliter ineſt, eſt Perfectio, non repugnans Naturæ ſubſiſtenti in Verbo: ergo admitti debet in CHRISTO. 2. Sanctitas accidentalis nihil eſt aliud, quam Gratia & Charitas tam actualis, quam habitualis, quæ utraque in CHRISTO fuit. Ergo.

RESOLUTIO II. CHRISTUS Peccatum nec 596
nnquam commiſit, nec committere potuit,

& propter Unionem hypoſtaticam ab intrinſeco impeccabilis fuit.

PROB. I. Pars. I. Petri I. 18. dicitur de Chriſto: *Qui peccatum non fecit*: & Paul. II. Cor. V. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Impia eſt ergo doctrina CALVINI, blasphemantis, Chriſtum in cruce deſperaſſe.

597 PROB. II. Pars. Qui Subſtantia & Natura Deus, & ipſa Perſona Verbi eſt; nullius Peccati capax eſſe poteſt: ſecus Deus ipſe peccare poſſet, quod eſt blasphemum; atqui CHRISTUS eſt Natura & ſubſtantialiter Deus; cum per Unionem hypoſtaticam Homo factus ſit Deus, & Deus Homo: ergo. II. Si Humanitas CHRISTI peccare poſſet; tunc & Deus peccare poſſet & æternis deberet puniri Suppliciis, quod horrendum auditu; Humanitas enim, ſubſiſtens in Verbo, peccaret, ſicque Perſona ipſa unum cum humanitate, quam ceu Superior regit, conſtituens Suppoſitum, peccaret. Atque hinc ſequitur, Impeccabilitatem CHRISTI ex ipſa vi Unionis hypoſtaticæ oriri.

598 RESOLUTIO III. CHRISTUS in Actibus a Charitate elicitis, non fuit liber Libertate Arbitrii, ſed Voluntatis.

PROB. Libertas Arbitrii, conſiſtit in Indifferentia, qua poſſit hoc agere, vel non. Atqui CHRISTUS non fuit indifferens, circa

ca Actus elicitos a Charitate, quia ob Visionem beatam, qua ab Instanti conceptionis fruebatur, Deum *necessario* amavit, nec potuit non amare: quemadmodum Sancti Comprehensores ad hunc Amorem necessitantur, & Viatores quoque ad Beatitudinem in communi. Ita S. THOMAS Q. 24. de Verit. Art. 1. ubi quærit, an Homo sit liberi Arbitrii? quod affirmat, sic sibi objicit: „ Liberum Necessitati op-
„ ponitur, sed respectu quorundam Vo-
„ luntas Hominis Necessitatem habet; de
„ Necessitate enim vult Beatitudinem: er-
„ go non habet respectu omnium Liber-
„ tatem; & ideo non est liberum Arbi-
„ trium quantum ad omnia. „ Respondet Distinguendo inter Libertatem Voluntatis, & Arbitrii, seu, Indifferentiæ, & contradictionis. „ Sicut ex Principiis,
„ ait, non judicamus, ea examinantes,
„ sed naturaliter eis assentimur, & secun-
„ dum ea omnia alia examinamus; ita &
„ in appetibilibus de Fine ultimo non ju-
„ dicamus Judicio discussionis, vel exami-
„ nationis, sed naturaliter approbamus:
„ propter quod de eo non est Electio,
„ sed Voluntas. Habemus ergo respectu
„ ejus liberam Voluntatem (seu, Liber-
„ tatem a coactione) cum necessitas na-
„ turalis inclinationis libertati non repu-
„ gnet secundum AUGUSTINUM lib. V. de
„ civit. Dei (lib. 1. cap. 20.) non autem
„ liberum Judicium (seu, Libertatem ar-

„ bitrii) proprie loquendo, cum non ca-
„ dat ſub electione: hæc S. THOMAS.

599 RESOLUTIO IV. Quamquam CHRISTUS habuerit 1. *ſtrictum* moriendi Mandatum, illudque ob Impotentiam peccandi intrinſecam transgredi non potuerit, ſicque neceſſario, neceſſitate conſequente, fuerit mortuus; 2. liber tamen fuit ad Mortem ſubeundam tum Libertate antecedente & in cauſa. 3. Tum Libertate Voluntatis a coactione, non autem Arbitrii, ut dictum eſt Num. 591. & 593. 4. Hacque Libertate ſibi, & nobis meruit. Atque hac ratione videntur omnia facile conciliari.

PROB. I. Pars. Mandatum obediendi, ſeu, cui præſtanda eſt Obedientia, eſt ſtricte & proprie tale Præceptum: atqui tale erat Mandatum, CHRISTO de ſubeunda morte a Patre impoſitum. Ergo. *Min. prob.* CHRISTUS ipſe de ſe fatetur Joan. X. 18. *Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Ibid. cap. XIV. 31. *Sicut mandatum Dedit mihi Pater, ſic facio.* De Obedientia vero a CHRISTO præſtita, ait PAULUS ad Philipp. II. 8. *Factus obediens usque ad mortem: mortem autem crucis.* Ad Roman. V. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Sicut ergo Inobedientia ADAMI vere & proprie talis fuit; ita Obedientia CHRISTI, quæ illi opponitur, fuit proprie talis:

Ergo

Ergo & Mandatum proprie tale. De ſtricto Præcepto loquitur S. GREGORIUS M. lib. 1. in cap. 1. lib. 1. Regum. „ *Silo*, „ *miſſus*, ſive, Miſſio interpretatur. Quid „ namque per hanc Miſſionem, niſi ſummi Patris injunctum Unigenito Præ„ ceptum Obedientiæ deſignatur? „

PROB. Ratione. Si Mandatum non fuit vere & proprie tale; tunc nec Obedientia fuit vere & proprie talis: ergo nec Laus ac Meritum Obedientiæ, quod tamen Chriſto negari non debet: cum id omne ei tribuendum ſit, quod Imperfectionem non involvit, nec cum ejus Divinitate, aut Incarnatione pugnat: multo autem perfectius, majorisque Meriti eſt, mori ex Obedientia ſtricte ſumpta, quam ex Electione. Et quamvis CHRISTUS ſecundum Voluntatem divinam, quæ eſt una ac eadem cum Patre, nulli ſit præcepto ſubjectus, quod minoritatem denotat; voluit tamen cum Patre Redemptionis Opus deſignatum perficere, & ut Homo præcepto ſe ſubjecit: eo fere modo, quo Conſilia evangelica, ab initio cuique libera ſunt, poſt Profeſſionem autem neceſſario ſervanda ſunt, cum hac ſolum differentia; quod Religioſus, tanquam Creatura peccabilis, illa libere violare queat; CHRISTUS autem, tanquam ab intrinſeco impeccabilis, contra Mandatum agere non potuerit, ſicque fuerit

600

mortuus necessario, *Necessitate consequente.*

601 Prob. II. Pars. Ut aliquis sit liber, Libertate antecedente & in causa; sufficit, ut libere posuerit Causam ex qua sequitur Necessitas Executionis inimpedibilis. Atqui Christus libere posuit Causam, ex qua sequebatur Necessitas Mortis subeundæ; libere enim Mandato Patris se subjecit: qua Subjectione præstita, propter Impeccabilitatem, non poterat non mori; secus in ipso fuisset *Libertas contrarietatis*, quæ Deo repugnat. Ergo. *Maj. prob.* Qui libere se inebriat, & prævidet, aut prævidere potest, omissionem alicujus præcepti v. g. recitandi Breviarii, aut audiendi Sacri, quamvis in actuali Ebrietate Præceptum observare nequeat, & sic transgressio necessaria sit; est tamen libera in sua causa. Sicut ergo hæc Libertas *antecedens*, & *in causa*, ad demerendum, ita quoque sufficiet ad merendum, saltem in Subjecto impeccabili, cui repugnat Libertas contrarietatis.

602 Prob. III. Pars. Ad Essentiam Libertatis, ut est Deo & Hominibus communis, non requiritur Libertas contrarietatis; cum utique hæc in Deo esse nequeat. Atqui Libertas Arbitrii, seu, Indifferentiæ, quoad Materiam præceptam, in Christo fuisset *Libertas contrarietatis*: ergo

ergo in Chriſto ad Eſſentiam libertatis, Libertas Arbitrii in materia præcepta non requiritur, nec ob ejus Impeccabilitatem in eo eſſe poterat; quia, ſi potuiſſet non ſubire Mortem præceptam, peccare potuiſſet: ergo fuit in ipſo tantum *Libertas Voluntatis a coactione.* CHRISTUS propter ſuam Impeccabilitatem neceſſario determinatus erat ad unam ſpeciem Boni: liber autem erat ad eliciendum hoc, vel illud Bonum particulare: quomodo Deus liber eſt & circa ea habet Libertatem Arbitrii, ut poſſit hoc Bonum agere, vel non, hoc aut aliud. Ubi autem interceſſit Bonum particulare præceptum; circa illud Indifferentiam & Libertatem Arbitrii non habuit; quia peccare non potuit: conſequenter illa Libertas Indifferentiæ, ſeu, Arbitrii in materia præcepta, fuiſſet Libertas contrarietatis, quæ Subjecto impeccabili repugnat. Imo hæc Libertas a Peccato, maxima eſt Libertas: ſicut peccandi Poteſtas, defectus plenæ Libertatis eſt: hinc S. AUGUSTINUS de prædeſt. Sanct. cap. 15. „ An ideo, quia peccare non „ poterat (humana Chriſti Voluntas) „ non libera Voluntas erat, ac non tanto „ magis erat, quanto magis Peccato ſervire non poterat? „

PROB. IV. Pars, quod hæc *Libertas a coactione* in CHRISTO ad rationem Meriti ſufficiat. Quando CHRISTUS, præter ceteras 603

teras Meriti conditiones, habuit Essentiam Libertatis Christo competentis; tunc habuit omnia ad merendum requisita: atqui CHRISTUS, præter ceteras conditiones, puta, Sanctitatem operis, condignitatem ad Præmium, Promissionem Mercedis, Statum Viatoris; habuit Essentiam Libertatis sibi competentis: ergo. *Min. prob.* CHRISTO circa Materiam præceptam, alia non potuit competere Libertas, quam Voluntatis a coactione, non autem Arbitrii, ut ostensum est: ergo. Videtur hæc clara esse Mens S. THOMÆ, quam exscribo, ne quemqam offendat hujus Sententiæ existimata Novitas. In 3. Sent. Dist. 18. q. 1. a. 2. quærit. Utrum Christus potuerit mereri: quod affirmat: ad hanc vero Objectionem quintam: „ Naturali-
„ bus non meremur, propter hoc quod
„ sunt determinata ad unum: sed liberum
„ Arbitrium in Christo erat determina-
„ tum ad Bonum. Ergo ipse per liberum
„ arbitrium mereri non potuit: & ita
„ nullo modo; cum omne meritum sit ex
„ libero arbitrio. „ Sic respondet. „ Di-
„ cendum, quod liberum arbitrium Chri-
„ sti non erat determinatum ad unum se-
„ cundum numerum, sed ad unum secun-
„ dum genus, scilicet ad bonum, quia
„ in malum non potest: sed tamen hoc
„ potest facere, & non facere (intelligo,
„ extra materiam præcepti) & hoc non
„ excludit libertatem arbitrii; quia posse

„ pec-

„ peccare, nec eſt libertas arbitrii, nec
„ pars libertatis, ut dicit Anſelmus in
„ Dialog. de lib. Arbit. cap. 1. & hæc
„ quidem determinatio ex perfectione li-
„ beri arbitrii contingit, ſecundum quod
„ per habitum gratiæ & gloriæ termina-
„ tur in eo, ad quod eſt naturaliter or-
„ dinatum, ſcilicet in bono; quia liberum
„ arbitrium, quamvis in nobis ſe habeat
„ ad bonum & malum, non tamen eſt
„ propter malum, ſed propter bonum.
„ Vel dicendum, quod ſi etiam eſſet de-
„ terminatum ad unum numero, ſicut ad
„ diligendum Deum, (& ad ſubeundam
„ mortem præceptam) quod non facere
„ non poteſt; tamen ex hoc non amittit
„ libertatem aut rationem laudis ſive me-
„ riti, quia in illud non coacte, ſed ſpon-
„ te tendit: & ita eſt actus ſui Domi-
„ nus. „ Quo quid clarius pro noſtra Sententia? Idem S. THOMAS Q. 29. de Verit. art. 6. quærit, utrum CHRISTUS mereri potuit? Ad hanc objectionem:
„ Non poteſt eſſe idem principium me-
„ riti & terminus, & ſic non poteſt eſſe
„ idem præmium & principium merendi;
„ ſed charitas, quæ erat in Chriſto, ad
„ præmium ejus pertinebat, quia erat de
„ perfectione beatitudinis, cum per eam
„ frueretur: ergo non poterat eſſe prin-
„ cipium merendi: omne autem meritum
„ eſt ex charitate: ergo in Chriſto meri-
„ tum eſſe non potuit: „

Reſpon-

Reſpondet ad 6. „ Dicendum : quod „ charitas , quantum de ſe eſt , ſemper „ nata eſt eſſe merendi principium , ſed „ quandoque non eſt mercedis principium „ propter habentem , qui eſt extra Sta- „ tum merendi , ſicut patet de ſanctis in „ Patria , Chriſtus autem non erat extra „ Statum merendi , quia Viator erat , & „ ideo charitate eadem fruebatur , & me- „ rebatur , ſicut & eadem Voluntate. Nec „ tamen erat idem principium meriti & „ præmii : quia non merebatur gloriam „ animæ , ad quam pertinet charitas , ſed „ gloriam corporis, ut dictum eſt ad 2. „ Ubi S. THOMAS iterum docet , quod CHRISTUS meruerit per actus charitatis ; quamvis ad diligendum Deum fuerit neceſſitatus , ſicque reſpectu Actus Amoris Libertatem Arbitrii non habuerit.

604 OBJIC. contra III. & IV. Reſolut. I. CHRISTUS Actibus a charitate elicitis , & ſua Morte , ſibi & nobis vere promeruit ; atqui ad Meritum requiritur Libertas Arbitrii : ergo hæc in Chriſto eſſe debuit : ſi autem habuit Libertatem Arbitrii ; tunc potuit non mori , & non volendo mori , transgredi Præceptum , ſicque peccare. *Min. prob.* Damnata eſt ab INNOCENTIO X. hæc JANSENII Propoſitio : *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit immunitas a coactione* : ergo ſi Chri-

Christus non habuit libertatem a *necessitate*, sed tantum a *coactione*; non potuit mereri: & nostra sententia coincidit cum illa proscripta JANSENII, tanquam haeretica.

RESP. *Dist. min.* Ad Meritum *puri Hominis peccabilis*, requiritur Libertas a necessitate. *Conc.* Ad meritum Hominis-Dei impeccabilis, *Subdist.* Requiritur Libertas a necessitate, antecedente, & in causa. *Conc.* Libertas a necessitate consequente. *Neg.* Sensus patet ex Dictis. Ulterius vero observandum, JANSENIUM loqui de Statu *naturae lapsae*, ubi Homo non habet Libertatem a Peccato, sed ejus Libertas merendi consistit in hoc, quod possit Praeceptum transgredi & non transgredi, seu, peccare, & non peccare. CHRISTUS autem, tanquam impeccabilis, non fuit in Statu *naturae lapsae*; & omnes quidem nostras Infirmitates physicas, toti Naturae communes, assumpsit, non autem morales, quae Imperfectionem involvunt, *tentatus per omnia*, ut ait Paulus Hebr. IV. 15. *Pro similitudine absque peccato.*

OBJIC. II. Damnata quoque fuit Propo-605
sitio 39. BAJI. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Et 66. *Sola Violentia repugnat Libertati Hominis naturali.*

RESP. Istae Propositiones intelligendae sunt vel de Necessitate *antecedente*, vel

de

de Libertate *Hominis puri in Statu Naturæ lapſæ*. Hinc noſtram Sententiam non ferit Damnatio.

606 Objic. III. Sequeretur, quod etiam Beati, quamvis non liberi a neceſſitate amandi, poſſent mereri, quod falſum eſt.

Resp. Nego Sequelam. Non ſunt incapaces Meriti, ob neceſſitatem amandi; ſed quia ſunt extra Statum Viæ: quæ Conditio ad merendum requiritur.

CAPUT IX.

De Cultu, Chriſto, & Sanctis cum eo regnantibus, Cruci, SS. Reliquiis, Imaginibus exhibendo, Sanctorum Invocatione & Interceſſione.

607 Cultus in genere eſt Proteſtatio, ſeu Teſtificatio rei cujusdam, quam Animo cognoſcimus, honoramus, & externis quandoque Signis palam exhibemus. Itaque vel *internus* eſt, vel *externus*. Ille conſiſtit in Actibus internis: uti Proteſtatione & agnitione Excellentiæ, quam rei cuidam ineſſe cognoſcimus. *Externus* fit per Actus exteriores corporales, v. g. genuflexione, capitis inclinatione &c. Cultus alius eſt *abſolutus*, qui rei ob propriam

priam ei inhærentem Excellentiam impenditur: ſic ob Pietatem, aut Doctrinæ Eminentiam quosdam honoramus. Alius eſt *relativus*, qui rei non ob propriam Excellentiam, ſed ob alterius, ad quam ſe refert, vel quam repræſentat, Prærogativam exhibetur: ita Legato, vel Imagini Principis defertur Honor, qui Principi ipſi, ſi præſens eſſet, exhiberetur. Alius iterum eſt *Politicus*, ſeu, *civilis*, qui ob Excellentiam quandam ſæcularem aut naturalem exhibetur: ita honorantur Magnates hujus Sæculi, aliique Viri, Dignitate, Doctrina, aut Natalium Splendore inſignes. Alius eſt *Sacer*, ſeu, *Religioſus*, qui ob ſupernaturalem aliquam Eminentiam a Virtute Religionis imperatur.

Hic ipſe vero cultus *Religioſus* ex par- 608
te Objecti a catholicis ſubdividitur in *divinum*, & *humanum*; illum a græca voce λατρεια quæ *Servitutem* denotat, *latreuticum* appellant, ſolique Deo ob increatam & infinitam ejus Excellentiam, ſupremumque ejus in Res omnes Dominium deberi profitentur: *Humanum* vero dicunt, qui ob ſupernaturalem Excellentiam Sanctitatis & Gloriæ juſtis Hominibus exhibetur: atque hic iterum duplex eſt; vel enim ob ſingularem quandam & prorſus extraordinariam Excellentiam creatura quædam honoratur; & dicitur *Hyperdulia*, quo nomine exprimitur cultus extraordinarius,

quo MARIAM singulariter veneramur: aut ob Excellentiam non adeo singularem, sed pluribus communem quispiam honoratur; & cultus ille vocatur *Dulia*, qui Sanctis omnibus infra MARIAM defertur.

609 Cultus hucusque expositus tribus potissimum Actibus absolvitur. *Primus* est Actus *Intellectus*, quo agnoscimus Objecti præstantiam, debitumque eidem Honorem deferendum judicamus: *Alter* est *Voluntatis*, quo ob agnitam & apprehensam in Objecto Excellentiam nos eidem submittere, debitamque Venerationem profiteri, &, ubi opus fuerit, palam exhibere parati sumus. Uterque hic Actus *internus* est. *Tertius* est *externus*, seu, ipsa internæ nostræ Submissionis, & erga Objectum Venerationis Testificatio, Signo quopiam ad hoc instituto manifestata, quæ pro variis Populorum & Temporum Moribus varia sunt, nec ad Substantiam pertinet. Præcipuus quidem inter hos Actus est ille *Voluntatis*; etsi enim Dæmones Deum agnoscant, non tamen eum adorant, qui se eidem submittere nolunt: *Externus* vero quamquam negligi non debeat, absolute tamen necessarius non est, cum Deus adorari possit in Spiritu & Veritate, & ita etiam adoretur ab Angelis.

610 Quæ hucusque de Cultu in genere dicta fuerunt, de *Adoratione* quoque intelligenda

ligenda ſunt, utpote quæ æque generale nomen eſt, & non a Latinis modo, ſed Græcis quoque ac Hebræis cum pro qualibet Honoris Teſtificatione, tum pro ſupremo illo Cultu, qui ſoli divinæ Majeſtati debetur, accipi ſolet. Ita paſſim in S. Scriptura veteris Teſt. legitur, *Adorationis* Vocabulum, Cultui puris Hominibus delato adhibitum, & viciſſim de *Latria* proprie dicta dixit CHRISTUS ad Satanam: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hinc in quo Senſu *Adorationis* Vocabulum apud ſacros, profanosque Scriptores intelligendum ſit, ex Circumſtantiis Objecti, & Subjecti deſumendum erit. Hodie communiter pro *Latria* proprie dicta accipitur: Cum econtra Cultus inferior, qui Creaturis impenditur, *Venerationis* nomine efferri ſoleat: quamvis & *hæc* aliquando Adorationem proprie dictam denotet: ut patet ex hymno de *Venerabili* Sacramento: ubi canit Eccleſia: *Tantum ergo Sacramentum* VENEREMUR *cernui.* Atque hæc contra hodiernos Proteſtantes, qui nobis Idololatriæ crimen frequenter exprobrant, notari merentur. Quæ ad totam hanc materiam pertinent, VIII. §§. abſolventur: & *primo* quidem agam de Adoratione, CHRISTO, ejusque Humanitati Debita. §. II. De Cultu Sanctorum. III. De Sanctorum Interceſſione. IV. De eorum Invocatione. V. De Cultu S. Crucis. VI. De Cultu SS. Reliquia-

rum. VII. De Cultu SS. Imaginum. VIII. Inquiram, an Cultus, Rebus inanimatis deferendus, *absolutus*, vel *relativus* esse debeat?

§. I.

De Adoratione Christo, ejusque Humanitati debita.

611 Qui Christum verum Deum credunt, eum, qua Deus est, supremo Latriæ Cultu adorandum esse, negare nequeunt: nec dubium est, quin Christo, tanquam Supposito e duabus Naturis consistenti, idem Cultus debeatur divinus. Sed de eo nonnulla in Scolis est controversia, an humana Christi natura (non quidem a Verbo præcisa, quæ inutilis videtur Quæstio) sed eidem hypostatice unita, eadem absoluta Adoratione *latreutica* colenda sit, qua adoratur Verbum, aut inferiore quadam coli possit?

612 Ante Resolutionem insinuandi sunt, Hæreticorum Errores, & Scolarum Opiniones. Itaque I. Apollinaris Sectatores, cum aut duas Naturas Christi in unam conflatam dicerent, aut Mentem, seu, Animam, Christo negarent, ipsumque cárnem non e Maria assumptam, sed cœlo delapsum, & Deitati consubstantia-

lem

lem assererent; una Adoratione Humanitatem CHRISTI, utpote ejusdem cum Verbo Substantiæ, colebant.

II. NESTORIANI, cum duas in CHRISTO agnoscerent Personas ejusdem Honoris & Dignitatis; hinc Humanitatem, etiam a Deitate separatam, divino Honore adorandam censebant, quibuscum sensisse nonnulli volunt WICLEFUM.

III. GILBERTUS Porretanus Humanitati CHRISTI non cultum *Latriæ*, sed *hyperduliæ* deberi, docuisse dicitur: qui etiam Error a quibusdam adscribitur RHABANO Mauro Archiepiscopo Moguntino.

IV. SOCINIANI, etsi CHRISTUM purum Hominem credant, divinis tamen Honoribus, & Latriæ Cultu prosequuntur.

Catholici Doctores, quamquam in eo biz consentiant, Humanitatem CHRISTI, Verbo hypostatice unitam, divino Honore colendam esse; existimant tamen nonnulli, ut ALEXANDER Halensis, GABRIEL, ANTONIUS de Corduba, Adorationem illam non *absolutam*, sed *relativam* esse. SCOTUS, DURANDUS, PALUDANUS, CAJETANUS, *absolutam* quidem deberi propugnant; alium tamen insuper Cultum *hyperduliæ*, ob ejusdem eximias Gratiæ Dotes, ei exhiberi posse volunt. At vero D. THOMÆ, & communis Theologorum est

614 RESOLUTIO. Humana CHRISTI Natura, Verbo hypoſtatice unita, *eadem abſoluta* Adoratione *Latriæ* colenda eſt, qua ipſum Verbum divinum, nec alio minore Cultu, ſeu, *hyperduliæ*, coli poteſt.

PROB. I. Pars. ex S. Scriptura. De Chriſto Homine-Deo dicitur Hebr. I. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*, quem locum de CHRISTO ut Homine CYRILLUS, PHOTIUS, THEOPHYLACTUS, & præcipue CHRYSOSTOMUS exponunt; ut adeo CHRISTUS in carne, jubeatur ab Angelis adorari. Idem PAULUS ad Philipp. II. poſtquam de CHRISTO, ut Deo, nondum incarnato, dixerat: *cum in forma Dei eſſet* &c. de eodem Homine facto, addit: *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* &c. . . . . *Propter quod & Deus exaltavit illum* (non utique Verbum, ſed Humanitatem) *& donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur*, ſeu, *latriæ* Cultu adoretur. Denique & Apocal. V. 12. dicitur de CHRISTO Homine: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere Virtutem*, & DIVINITATEM &c. ſeu, Divinitatis confeſſionem & divinos Honores &c.

615 PROB. II. ex Conciliis. Cum S. CYRILLUS Alexandrinus Anathematismo VIII. docuiſſet: „ Si quis Hominem aſſumptum

„ una

„ una cum ipſo Dei Verbo adorandum, „ una cum illo glorificandum, una cum „ illo tanquam alterum cum altero exiſten- „ tem, Deum appellandum eſſe, docere „ auſus fuerit, & non una potius Adora- „ tione Emanuelem honorat, unamque „ illi glorificationem attribuit, quatenus „ Verbum factum eſt caro: anathema ſit: „ hunc ipſum Anathematismum Synodus ALEXANDRINA in Epiſtola ſynodica ad NESTORIUM confirmavit.

Nec dicant Adverſarii, duplicem hic 616
adorationem ſolum damnari in ſenſu NESTORII, duas in CHRISTO adorantis Perſonas: nam

Contra eſt. Duo docuerat NESTORIUS. 1. Duas eſſe in CHRISTO Perſonas, qui Error in capitulis præcedentibus a Synodo jam fuerat rejectus. 2. Duas deberi Chriſto Adorationes, & Humanitatem cum Verbo *coadorari*: quem loquendi modum hoc Anathematismo octavo proſcripſit, & *una Adoratione* Humanitatem colendam eſſe, diſerte propoſuit.

Concilium EPHESINUM, eo ipſo quod 617
probaverit CYRILLI Capitula, unam quoque Adorationem probavit. Concilium generale V. ſeu CP. II. Can. 9. definiit: „ Si quis adorari in duabus Naturis dicit „ Chriſtum, ex quo duas adorationes in- „ troducunt, ſemotim Deo Verbo, ſemo-

„ tim homini . . . aut ſi quis non una „ adoratione Deum Verbum incarnatum „ cum ejus carne adorat, juxta quod „ ſanctæ Dei Eccleſiæ ab initio traditum „ eſt, talis anathema ſit. „ Quem Canonem iisdem Verbis repetiit Concilium LATERANENSE I. Conſult. 4. Can. 9. ex quibus ita infertur: Secundum citata Concilia Humanitati CHRISTI debetur *una* & *eadem Adoratio* cum VERBO: atqui VERBO debetur *abſoluta* Adoratio *latriæ*: ergo eadem & una debetur Humanitati.

618 PROB. III. ex SS. Patribus. ATHANASIUS Epiſt. ad Adelphium Epiſcop. „ Nos „ Creaturam non adoramus; abſit: gentilium enim & Arianorum is error eſt, „ ſed Dominum creaturæ, incarnatum „ Dei Verbum adoramus. Quamvis enim „ caro ipſa per ſe pars ſit creaturarum, „ tamen Dei facta eſt corpus. At neque „ corpus hujusmodi a Verbo dividentes „ adoramus, neque Verbum adorare volentes, ipſum longe a carne ſejungimus. „ Verum illud ſcientes ut jam diximus, „ quia Verbum caro factum eſt, idem „ Verbum in carne poſitum, Deum agnoſcimus. Quis igitur ita deſipit, ut Domino dicat: recede a corpore, ut te „ adorem. „ S. GREGORIUS Naz. EPIPHANIUS, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, Verba illa Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*, exponentes, docent,

docent, quomodo ſine Idololatria, Terra, quæ Dei ſcabellum eſt, adorari poſſit, nempe in CHRISTO, qui Corpus e Terra habuit, *ut non ſolum non peccemus adorando*, AUGUSTINI Verba ſunt, *ſed peccemus non adorando*. S. JOANNES Damaſcen. lib. III. de fide cap. 8. de hac Adoratione CHRISTI agens ait: „ Neque enim hoc „ agentes, creaturæ ſervimus; non enim „ veluti nudam carnem adoramus, ſed ut „ Divinitati conjunctam. . . . Adoro utrum- „ que quod eſt Chriſti, propter Divini- „ tatem carni copulatam. „

PROB. IV. Ratione. Honor, qui alicui619 defertur, toti defertur Perſonæ, non quoad partem, ſed quoad omnia, ipſi Perſonæ propria: atqui CHRISTUS eſt Perſona, ſeu Suppoſitum, ex Divina & humana Natura ſubſiſtens: ergo latriæ cultus, qui Chriſto debetur, non ad Naturam ſolum divinam reſtringi debet, ſecus non adoraretur tota Perſona, ſed humanæ quoque Naturæ, cum divina hypoſtatice unitæ, deferendus eſt; & quidem unus idemque, non *relativus*, ſed *abſolutus*: etſi primo ac per ſe in ipſam Perſonam, ex conſequenti autem in Humanitatem, in Perſona ſubſiſtentem, feratur: quod pro faciliore Objectionum Solutione notari velim.

620 PROB. II. Pars iisdem vere Momentis. Nullibi enim sacra Scriptura, Concilia, & Patres duplicem admittunt CHRISTI Cultum, sed una solum Adoratione CHRISTUM colendum esse diserte definiunt. Neque etiam Ecclesia Cultum *latria* inferiorem ac duplicem CHRISTO unquam detulisse legitur: quin potius in Concilio generali VII. seu, NICÆNO II. istam Cultus separationem aut præcisionem aperte rejecit actione 6. „ Cum Ecclesia Ca-
„ tholica Christum pingit humana Figura,
„ non dividit eum a Divinitate illi uni-
„ ta; sicut qui hominem depingit, non
„ inanimatum depingit. „

621 PROB. Ratione. Quando in uno Objecto, aut Persona, plures Excellentiæ & Dignitates continentur, principalior ceteras quasi absorbet, ita ut Regem v. g. etsi diversos Principatus & Comitatus possideat, minore quam regio cultu honorare non liceat: ergo & CHRISTUS, in quo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter, minore quam divino Cultu adorari non potest.

622 OBJIC. contra I. Partem I. Cultus *Latriæ* soli Deo debetur; Humanitas autem Christi, Deus non est. Ergo.

RESP. Soli Deo debetur Cultus *latriæ*, *primo* & *per se*, *secundario* vero & ex consequenti etiam Humanitati, intime Deo unitæ;

unitæ; adoratur enim Suppoſitum, cujus Natura humana Pars eſt.

OBJIC. II. Sequeretur, CHRISTUM ado-623 rari tantum *per accidens*: quem loquendi modum, in DURANDO ceteri omnes Theologi damnant: ergo.

RESP. Ideo iſte loquendi modus diſplicet Theologis; quia NESTORIO favere, & ex *Unione* accidentali etiam accidentalem *Adorationem* inferre videtur. Si autem hoc Senſu intelligitur, Humanitatem CHRISTI adorari non principaliter & propter ſe, ſed ſecundario & propter Divinitatem, cui juncta eſt; nihil involvit ſanæ Theologiæ contrarium.

OBJIC. III. Chriſtus quatenus homo, 624 *reduplicative* ſpectatus, non habet cauſam Adorationis: ergo.

RESP. Iſta reduplicatio: *Chriſtus ut homo*, non eſt intelligenda de Natura humana pura, & a Divinitate ſeparata, ſed de ea Verbo hypoſtatice unita. Neque tamen ex hoc ſequitur, Naturam humanam *coadorari*, quod damnatum fuit in NESTORIO; ideo enim id in iſto hæretico reprobatum fuit, quia voluit, Naturam humanam tanquam *alterum Suppoſitum*, cum divino moraliter tantum conjunctum, *coadorari*: cetera admitti poteſt, Humanitatem *coadorari*, tanquam Partem in Toto,

quod

quod adoratur ; & eatenus nihil cum Neſtorio commune dicitur.

625 Objic. IV. Si Humanitas adoratur propter Divinitatem , erit Adoratio tantum *relativa*. Ergo.

Resp. Nego Sequelam ; Adoratur enim ob Excellentiam , non *alterius* , ſed *ſui Suppoſiti*, & tanquam Pars in toto , Terminus eſt Adorationis.

626 Objic. V. Sacrificium offerri nequit Christo , *ut Homini*: ſed iſte eſt ſummus *Latriæ* cultus : ergo.

Resp. Ratio , cur Christo *ut Homini* non poſſit offerri Sacrificium , eſt ; quia Christus *ut homo* , aut Sacerdos in Perſona Christi , ipſemet principaliter Deo ſacrificium offert : nemo autem *ſibi* ſacrificat.

Quæ adverſus ſecundam Partem opponi poſſint , facile ſolvuntur ex præmiſſis Rationibus.

§. II.

De Cultu Sanctorum.

627 Non hic Sermo eſt de Cultu *Politico* & *Civili* , ſed de ſacro & *Religioſo* , quo inſignia Sanctorum Merita , heroica Virtutum Specimina , divinorumque in eis Charismatum Dona veneramur , & Deum

de

de iis glorificamus. Sed neque de supremo illo *Latriæ* cultu, uni Deo debito, controvertitur, quem Sanctis exhibendi, Mens nunquam Ecclesiæ fuit.

Itaque de Cultu *Duliæ* universa contentio est. Admittunt insuper hodierni Protestantes, honorari posse eos, qui sanctimoniæ laude, aut præcellenti Gradu in Ecclesia eminent, quamdiu in vivis agunt, non autem post eorum Obitum. Neque de Sanctis quibusdam in particulari, sed de omnibus generatim, disceptatur. Antequam Ecclesiæ Catholicæ in hac controversia Mens pandatur, breviter accensendi sunt Hæreticorum Errores.

Omissis Gentilium, Mahometanorum, 628
& Judæorum criminationibus, qui Christianos pridem Idololatriæ insimulabant, existimantes, aut certe calumniantes, Sanctis divinos a nobis exhiberi Honores: Hæreticos tantum commemoro. Solicite nonnulli in Authores hujus Hæresis inquirunt, & huc referunt BASILIDEM, GNOSTICOS, CAINOS, seu, CAJANOS, MANICHÆOS, EUSTATIUM a GANGRENSI Concilio damnatum, quos omnes tamen alii ab hac classe excluſos volunt. Probabilissimum est, EUNOMIUM, illum rigidiorum Arianorum Ducem, hujus Hæresis Authorem esse, quem etiam eodem Titulo honorat HIERONYMUS, & ASTERIUS.

Hunc

629 Hunc insecutus VIGILANTIUS aperte docuit, Beatos pro viventibus non intercedere: unde colendos, aut invocandos eos esse, negavit. Plerique eum istius Erroris Authorem faciunt, eumque D. HIERONYMUS toto libro acerrime perstrinxit, & confutavit.

630 Sæculo Sexto ad Finem, & septimo, NOVATIANI, illi saltem, qui Alexandriæ tunc erant, & PAULICIANI, ex Manichæis oriundi, de quibus infra, ubi de S. Cruce & SS. Reliquiis occurret mentio, eodem errore infecti erant: quem etiam multi, etsi non omnes, ex Iconoclastarum secta, & Notissimus ille CLAUDIUS Taurinensis adoptarunt.

631 Sæculo XI. BOGOMILORUM Hæresis, PAULICIANORUM Surculus, ut testatur ANNA Comnena, & ZONARAS: CATHARI, de quibus THOMAS Waldensis, & D. BERNARDUS, ac eodem fere tempore WALDENSES, nec multo post ALMARICUS, cujus Errores Concilium LATERANENSE IV. cap. II. damnavit, hunc Errorem prosecuti sunt. Aliqui in hanc seriem quoque referunt WICLEFFUM, & JOANNEM Huss, quos rectius tamen alii cum BOSSUETO Historiæ variat. lib. XI. ab hoc Errore eximunt; nam neque CONSTANTIENSE Concilium, quod Sess. XV. Articulos erroneos WICLEFFI & Hus-

Hussi damnavit, hujus Erroris meminit, & egregii Fratres de Walenburg ipsius Wiclefi & Hussi Testimonia, ex eorum Scriptis decerpta, adducunt, plane contrarium demonstrantia.

Tandem Sæculo XVI. Lutherus, &632
Calvinus, variique his Authoribus oriundi Sectarii, omnes fere præcedentium Hæreticorum Errores circa Cultum & Invocationem Sanctorum renovarunt, etsi in asserendo communi dogmate minime, uti fere nunquam, concordes sint. Alii enim etsi Angelorum Orationes admittant, Sanctorum tamen pro viventibus Intercessionem, alii Cultum eis debitum, negant. Priores denuo inter se scissi, aliqui Sanctorum Preces pro tota Ecclesia admittunt, non item pro Personis singularibus; eo quod vel nostras Invocationes non audiant Sancti, aut eorum Intercessiones pro singularibus Personis Deus ratas non habeat: alii a Sanctis Beneficia cœlestia nobis obtineri posse, non item terrestria putant. Posteriores vero, qui Sanctorum Cultum improbant, aut omnem negant, Deumque solum coli volunt: aut partes quasdam, uti Invocationem, Jejunia, festos Dies in eorum Honorem institutos, & alia consimilia reprobant. Omnium Errores breviter refutabo, & Catholicum Dogma statuam. Itaque sit

Reso-

633 RESOLUTIO I. Beati Angeli, Sanctique cum Christo regnantes, licite, & pie coluntur.

PROB. I. Ex S. Scriptura, quæ Gen. XVIII. 2. & XIX. 1. LOTH, & ABRAHAM, Angelos adorasse (non utique latrevtice) testatur. Item JOSUE, cum *vidisset Virum stantem contra se evaginatum tenentem gladium, perrexit ad eum, & ait: noster es, an Adversariorum? qui respondit; nequaquam, sed sum Princeps Exercitus Domini: & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait* &c. Josue V. 13. & sequentibus. Eundem, quem Viri maxime probi, & Religiosi Angelis exhibuere Cultum, impenderunt alii Hominibus Sanctitate, aliisque Donis supernaturalibus insignitis, dum adhuc in terra degerent. Ita III. Reg. XVIII. 7. *Abdias coram Elia cecidit super faciem suam.* VI. Reg. II. 15. Filii Prophetarum cum viderent, *quod requiesceret spiritus Eliæ super Elisæum, venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Eodem modo DANIEL fuit honoratus a NABUCHODONOSOR Dan. II. 46. Cultus iste Sanctis Hominibus non ob Excellentiam aliquam naturalem, sed ob eximiam Sanctitatem, Dona Prophetiæ, Gratiam Miraculorum, aliasque Dotes *supernaturales* exhibitus fuit; Non itaque fuit cultus mere *politicus*, sed *religiosus*. Quid vero refert, in vivis sint, an cum Christo regnent?

Certe

Certe Motivum Cultus non definit per Mortem.

PROB. II. Perpetua Ecclesiæ Traditione, & Christianorum Persuasione, quam a Sæculo IV. sponte nobis largiuntur cum DALLÆO Protestantes, qui propterea hujus, & sequentium Sæculorum Patres, novatæ eo in Capite superiorum trium Sæculorum Doctrinæ insimulat, & quasi novæ Sectæ Authores, *Reliquiarios*, id est, Reliquiarum Veneratores appellat apud BOSSUETUM in Exposit. Doctr. Cath. N. 3. Supersedere itaque possem ab enarrandis Patrum istorum Testimoniis. Ne tamen videar cuncta præterire, nonnullos tantum referam. 634

1. EUSEBIUS lib. VII. Hist. Eccl. cap. XIX. refert, Cathedram S. JACOBI Jerosolymitani summo Honore fuisse servatam, cujus Reverentiæ rationem reddens, *satis*, ait, *perspicue declarantes, qualiter tum NB.* ANTIQUIORES, *tum nostri Temporis Christiani, Viros sanctos ob ipsorum erga Deum Amorem debito semper Honore venerati sunt, & hactenus venerantur.*

2. S. AUGUSTINUS lib. XX. contra Faustum. cap. XXI. „ Populus Christianus, „ ait, Memorias Martyrum religiosa so- „ lemnitate concelebrat. . . . Colimus „ Martyres eo Cultu Dilectionis, & So- „ cietatis, quo & in hac vita coluntur „ sancti homines Dei. . . . At illo Cultu,

„ qui græce λατρεια dicitur, latine uno „ Verbo dici non poteſt, cum ſit quæ„ dam proprie Divinitati debita ſervitus, „ nec colimus, nec colendum dicimus, „ niſi Unum Deum. „ Cum itaque Patres Sæculo IV. de cultu Sanctorum, ut de dogmate aliquo receptiſſimo, & minime novo loquantur; Nulli dubium eſſe poteſt, eos a priorum trium Sæculorum Patribus Doctrinam ſuam hauſiſſe. Aut quis ſibi perſuadeat, ita ratiocinatur cit. Bossuetus, Hæreticos heri natos, quid priorum Sæculorum Patres ſenſerint, melius perſpicere iis, qui Doctrinæ illius quaſi Hæreditatem ſtatim ab eorum Morte acceperunt, & contra Dogmatis hujus Impugnatores Vigilantium, aliosque hujus Furfuris Homines, mox inſurrexerunt, & antiquam Doctrinam tuiti ſunt?

635 Prob. III. Illæ Gentilium, Judæorumque Criminationes, quibus Chriſtianos arguebant, quaſi Martyres ut Deos venerarentur; fervens illa ſolertia, qua Sanctorum Martyrum Reliquias e Chriſtianorum Manibus eripere ſatagebant, comburendo cadavera, diſpergendo cineres &c. contra cura illa maxima, quam Chriſtiani adhibebant, ut cum Vitæ etiam Diſcrimine illas Reliquias vindicarent, & velut pretioſiſſimum Theſaurum cuſtodirent; quid aliud demonſtrant, quam eximium aliquem a primis Chriſtianis SS. Martyribus

fuiſſe

fuiſſe exhibitum Cultum? quem velut Idolatriam, cæca Gentilium & Judæorum perſuaſio, aut atrox calumnia arguebat. Eusebius id teſtatur lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. XV. de Corpore S. Policarpi, quod ne in Chriſtianorum manus veniret, proſpectum fuit: *ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo hunc* (Policarpum) *deinceps Chriſtiani colere inciperent.* Idem Hiſt. Eccl. lib. VIII. cap. VI. *Sed & corpora ejus e Sepulchro, & in mare projici oportere cenſuerunt, ne quis illos ſepulchris conditos pro Diis, uti ipſi quidem opinabantur, reputans, inpoſterum adoraret.* Julianus quoque Chriſtianos acriter vexavit, quod *non unicum hominem*, Chriſtum indigitat, *ſed plures & infelices homines*, SS. Martyres vult, *colerent*, apud S. Cyrillum lib. VI. contra Julianum.

Prob. IV. Ratione. Si enim Homines naturalibus Donis inſignitos, Scientia aut Dignitate eminentes, Civili & Politico cultu proſequimur; quin, ſi & Homines, quorum Sanctitatem aliaque Gratiæ ſupernaturalia Dona ſuſpicimus, quamdiu in vivis agunt, religioſo Cultu, fatentibus vel ipſis Heterodoxis, proſequi licet; quid, quæſo prohibet, ne eosdem cum Chriſto regnantes ob inſignia eorum Merita, & ingentes a Deo collatas Prærogativas, ſacro & religioſo Cultu veneremur? Atvero non licitum modo, ſed & 636

pium, Deoque oppido gratum esse Sanctis delatum Honorem, inde deducitur; quia in ipsius Dei Honorem redundat. Ita certe sentit S. HIERONYMUS Epist. ad Riparium de Erroribus VIGILANTII. „ Ho„ noramus Servos, & Honor Servorum „ redundet ad Dominum, qui ait: *qui* „ *vos suscipit, me suscipit.* „

637 OBJIC. I. Exstant varia S. Scripturæ loca, quæ Dominum Deum adorandum illique soli serviendum esse præcipiunt &c.

RESP. Ea de Cultu *Latriæ* intelligenda sunt.

OBJIC. II. Petrus Act. X. noluit a CORNELIO adorari, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* PAULUS & BARNABAS recusarunt oblatos sibi a Lycaoniis honores. Act. XIV. Angelus, quem videns JOANNES adorare volebat, id prohibuit, dicens: *vide ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.* Apocal. XIX. 10.

RESP. Petrus recusavit adorationem CORNELII, vel ob Humilitatem, vel, ut GROTIUS quoque, multique alii volunt, quod Centurio ille nondum in Lege instructus, divinos vellet PETRO exhibere Honores. Hinc PETRUS, ut hunc ei Errorem eximeret dixit: *Surge, & ego ipse homo sum*, non, ut tu forte arbitraris, Idolum aliquod. BARNABAS & PAULUS

merito

merito recuſarunt oblatos ſibi a LYCAONIIS Honores ; eoquod BARNABAM quidem pro JOVE , PAULUM vero pro MERCURIO habentes , jamjam illis ſacrificare vellent. Qui legit ipſum textum , Fallaciam Heterodoxorum deprehendet. Angelum illum JOANNES pro CHRISTO habuit ; ideo eundem adorare paratus : quod utique merito prohibuit Angelus. Quodſi Angelus a Joanne agnitus fuit , tunc certe Adorationem , latiori ſenſu acceptam, recuſavit humiliter ab eo , quem Excellentia & Dignitate Apoſtolatus & Prophetiæ ſibi parem , aut non multo inferiorem habebat. Hæc ſolutio ne quidem GROTIO diſplicet.

OBJIC. III. PAULUS ad Colloſſ. II. 18.638 monet : *Nemo vos ſeducat , volens in humilitate , & Religione Angelorum.* Quodſi igitur Angelorum cultus ſeductorius eſt ; quidni & aliorum Sanctorum ? Item Deuteron. XVII. 3. interdicitur Hebræis , ne adorent *Militiam cæli* , quo Nomine etiam juxta HIERONYMUM , Angeli veniunt.

Reſpondent aliqui, PAULUM per *Religionem Angelorum* , legem Judaicam intelligere tanquam per Angelos in Sinai Populo Judaico ſubminiſtratam , quo ſenſu STEPHANUS Act. VII. 53. ait : *qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* Firmat hanc Reſponſionem ex eo , quod & in antecedentibus & ſubſequentibus de Riti-

bus & Cæremoniis legis Judaicæ fermo fit. Alii qui per *Religionem Angelorum*, cultum Angelis exhibitum indigitari volunt, putant, eum Cultum notari & proscribi, qui pravis Angelis exhiberetur. Constat enim ex Historia, SIMONEM Magum, cujus forte hic Doctrina notatur, malis Angelis Cultum impendisse. Imo dici potest, tempore scilicet Concilii LAODICENI, Idololatricum Cultum Angelis utique malis delatum esse, ut clarescit ex Can. 35. cit. Concilii mox infra allegando. Ita sentire videtur HIERONYMUS Epist. ad Algasiam. Quæst. X.

Alii volunt, Apostolum hic agere contra quosdam e schola PLATONIS, qui Angelos tanquam Deos quosdam, utut minores, colebant, sacrificia eis offerebant, & templa erigebant; & hunc cultum merito damnari a Paulo. THEODORETUM in Commentar.. ad hunc Pauli locum huc applicant. Quocunque ex his modo Respondere placet, satisfit Adversariis. Ad illud ex Deut. RESP. Etsi Nomine *Militiæ cæli* quandoque Angelos venire concedam, hic certe nequaquam intelligi posse, sed stellas, seu sidera indigitari, inspicienti integrum textum ad Oculum patebit.

639 OBJIC. IV. Can. XXXV. Concil. LAODICENI sancitur: „ Non oportet Christia-
„ nos relicta Dei Ecclesia abire, & An-
„ gelos

„ gelos nominare, vel Congregationes fa-
„ cere. Si quis ergo inventus fuerit huic
„ occultæ idololatriæ vacare, ſit Anathe-
„ ma, quia reliquit Dominum Jeſum Chri-
„ ſtum, & acceſſit ad idololatriam. „

Resp. Theodoretus N. præc. cit. S. Epiphanius hæreſi 60. S. Augustinus hæreſi 39. hunc Canonem de iis explicant, qui ſanctis Angelis ſupremum *latriæ* Cultum detulerunt. At probabilius putant alii, hoc Canone prohiberi, ne Cultus idololatricus deferatur Dæmonibus. Sicut enim Concilium Can. 34. ſtatuit, ne relictis veris Martyribus ad falſos Martyres Chriſtiani convertantur; ita Can. 35. ſtatuit, ne relictis Angelis bonis ad idololatricum pravorum Angelorum Cultum abeant, quod fecere Saturnini, Basilidis, Ebionis, Appellis, aliorumque hæreticorum ſequaces, infauſta Simonis Magi Progenies. Confirmatur Reſponſio ex eo, quod Canon ſeq. 36. perſtringat Magos, Incantatores, Mathematicos, Aſtrologos &c. Ut quid vero Proteſtantes non legunt Canonem 34. ejusdem Concilii jam citatum, qui de SS. Martyribus loquitur? ut quid non legunt Can. 51. ejusdem Concilii, ſtatuentem, *quod non oportet in quadrageſima Martyrum natales peragere, ſed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis?* Ergo extra Quadrageſimam iſte Cultus SS. Martyribus deferri conſuevit.

640 OBJIC. V. Sancti Patres Cultum creaturis deferri prohibent; & quidem S. EPIPHANIUS de Collyridianis agens, expresse reprobat Cultum, MARIÆ exhibitum.

RESP. Patres, ubi negant Cultum creaturæ exhibendum esse, de supremo *latriæ* Cultu intelligendos esse. Collyridiana Hæresis, de qua S. EPIPHANIUS, præter alios plures, hunc quoque Errorem amplexa est, quod MARIAM, Deam quamdam facerent, illique propterea Sacerdotes Fæminas statuerent, quæ Panes, seu Placentas quasdam statis Temporibus eidem offerrent. Vid. EPIPHANIUS hæresi 59. & 79. An id vero Catholici docent?

641 OBJIC. VI. SS. Patres si quando Venerationem Sanctis deberi asserant, eam non in Cultu aliquo *religioso*, quod hodierni Pontificii docent, sed in Imitatione ponunt. Pro omnibus loquitur S. AUGUSTINUS de vera Relig. cap. LV. alias N. 108. 110. „ Non sit nobis, ait, Religio Cul-
„ tus hominum mortuorum: quia si pie
„ vixerunt, non sic habentur, ut tales
„ quærant honores, sed illum a nobis
„ coli volunt, quo illuminante lætantur,
„ Meriti sui nos esse consortes. Hono-
„ randi ergo sunt propter Imitationem,
„ non adorandi propter Religionem. „

RESP. Hæc & Catholicorum Mens est, Sanctos optime a nobis coli per sedulam eorum Imitationem, nec probandi sunt

ii,

ii, qui Sanctos venerantur, de eorum vero ſequendis Veſtigiis non cogitant. Sed hoc dicimus, non ſola Imitatione abſolvi Sanctorum Cultum, ſed religioſa etiam Veneratione, Feſtorum ad eorundem Honorem & Imitationem inſtitutorum celebratione. Hinc illæ ſolemnes, antiquæ, & probatæ loquendi Formulæ Deum ita precari docent: *ut quorum Natalitia colimus, per eorum ad te Exempla gradiamur: ut quos veneramur obſequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium* &c. *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* &c.

642 Objic. VII. Si Angelis, ſanctisve Hominibus Cultus religioſus exhiberi poteſt; tunc nullius Roboris illud Argumentum eſt, quo olim adverſus Arianos, & hodie contra Socinianos utuntur Catholici, ad probandam Christi Divinitatem; ita enim ratiocinabantur Veteres: Soli Deo Cultus religioſus exhibendus eſt; atqui idem Cultus Chriſto exhibetur: ergo Chriſtus eſt Deus. Reſponderent enim Ariani, *Neg. maj.* & retorquerent in Catholicos, qui cultum religioſum Sanctis exhibent, quin inde ſequatur, quod Sanctos tanquam Deos venerentur. Ergo potius inferendum eſt, eos Cultu religioſo coli non poſſe.

Resp. Veteres illo Argumento uſi fuerunt, de ſupremo *Latriæ* Cultu, ſoli Deo debito; non autem de inferiore Cultu Duliæ.

643 OBJIC. VIII. Primi Chriſtiani conſtanter negarunt, ſe alium, quam ſolum Deum colere poſſe. Id conſtat ex Epiſtola Eccleſiæ SMYRNENSIS de Martyrio S. POLICARPI; cum enim Judæi rogaſſent Proconſulem Romanum, ne cadaver POLICARPI donaret Chriſtianis, ne relicto Crucifixo hunc colere incipiant: ita reſpondent Chriſtiani Smyrnenſes: „ Stulti, „ qui ignorarent, nos nec Chriſtum un„ quam poſſe relinquere . . nec alium „ quemquam colere. „ Pariter EULOGIUS Diaconus FRUCTUOSI, ut referunt hujus Sancti Acta apud RUINART in Actis ſinceris MM. pag. 220. „ Interrogatus ab „ Æmiliano Judice Ethnico. *Nunquid &* „ *tu Fructuoſum colis?* Reſpondit. *Ego* „ *Fructuoſum non colo, ſed ipſum colo,* „ *quem & Fructuoſus.* Ergo &c.

RESP. Chriſtiani cum a Paganis cogerentur ad Cultum *Latriæ* falſis Diis, aut Imperatoribus deferendum, eum conſtanter negarunt, profeſſi illum ſoli Deo deberi. Non erat tunc quæſtio de Cultu Duliæ. Id patet ex citata Epiſtola Eccleſiæ SMYRNENSIS: ubi poſt Verba in objectione allegata, hæc ſtatim ſubjunguntur: „ Illum enim, utpote filium Dei „ adoramus: Martyres vero tanquam Di„ ſcipulos & Imitatores Domini *merito* „ amore proſequimur ob eximiam ipſo„ rum Benevolentiam, quam erga Regem „ ac Magiſtrum ſuum declararunt: quo-

„ rum

„ rum nos quoque consortes ac commi-
„ litones fieri omnibus modis optamus „

OBJIC. IX. Cum FAUSTUS Manichæus 644
Catholicis exprobraret, quod Martyres colerent, & Defunctorum Umbras Vino, Dapibusque placarent: id AUGUSTINUS tanquam calumniam ab ipsis confictam explosit. Ergo tempore AUGUSTINI non erat in usu Sanctorum Cultus.

RESP. FAUSTUS calumniabatur, quod Catholici Idola Gentium vertissent in Martyres, adeoque divinum eis exhiberent Honorem, quod merito negat AUGUSTINUS sic scribens. lib. XX. contra Faustum cap. 21. „ Populus Christianus Memo-
„ rias Martyrum religiosa Solemnitate con-
„ celebrat, & ad excitandam Imitationem,
„ & ut Meritis eorum consocietur, atque
„ Orationibus adjuvetur: ita tamen, ut
„ nulli Martyrum, sed ipsi Deo Marty-
„ rum, quamvis in Memoriis (Memo-
„ riam) Martyrum constituamus Altaria.
„ Quis enim Antistitum in locis Sancto-
„ rum corporum adsistens Altari, aliquan-
„ do dicit: *offerimus tibi Petre, & Paule,*
„ *aut Cypriane*; sed quod offertur, offer-
„ tur Deo, qui Martyres coronavit:
„ ut ex ipsorum locorum admonitione
„ major affectus exurgat, ad acuendam
„ Charitatem, & in illos, quos imitari
„ possumus, & in illum, quo adjuvante
„ possumus. Colimus ergo Martyres eo

„ Cul-

„ Cultu Dilectionis & Societatis, quo &
„ in hac vita coluntur Sancti homines
„ Dei, quorum cor ad talem pro Evan-
„ gelica veritate passionem paratum esse
„ sentimus . . . . At vero illo Cultu,
„ qui Græce *latria* dicitur, latine uno
„ Verbo dici non potest, quum sit quæ-
„ dam proprie Divinitati debita servitus,
„ nec colimus, nec colendum docemus,
„ nisi unum Deum. Quum autem ad hunc
„ Cultum pertineat oblatio Sacrificii, un-
„ de Idololatria dicitur eorum, qui hoc
„ etiam Idolis exhibent: Nullo modo ta-
„ le aliquid offerimus, aut offerendum
„ præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel
„ cuiquam sanctæ Animæ, vel cuiquam
„ Angelo. Et quisquis in hunc errorem
„ delabitur, corripitur per sanam Doctri-
„ nam: sive ut corrigatur: sive ut cavea-
„ tur. „ Hactenus Augustinus.

Cum autem Faustus Catholicis etiam objecisset, quod Defunctorum Umbras Vino, Dapibusque placarent, observandum, Christianos in Festivitatibus, juxta Monumenta Martyrum celebratis, ad refocillandos Pauperes Convivia instituisse, quemadmodum alias sæpius in Ecclesiis tempore celebrationis Evchariſtiæ, & Die anniversaria Defunctorum instituere solebant Convivia dicta *Agape*, Liebsmahl, quod constat ex vetustis Authoribus a Binghamo. vol. 6. pag. 519. & vol. 9. pag. 147. citatis. obiter notandum, occa-

sione

ſione horum conviviorum ortam fuiſſe conſuetudinem, ut ob multitudinem Populi, ad Memoriam S. Martyris celebrandam confluentis, inſtituerentur Nundinæ, ſeu res variæ haberentur venales ad comparanda cibaria, aliaque neceſſaria, quem quidem abuſum S. Basilius ſcriptor Sæcul. IV. in Regula Maj. quæſt. XL. his Verbis damnat: „ Verum enimvero ne„ que nundinationes illæ, quæ in Mar„ tyriis celebrari ſolent, convenire nobis „ putandæ ſunt; Neque enim ullam aliam „ ob Cauſam adeſſe debet Chriſtianus in „ Martyriis, aut iſtis contigua loca invi„ ſere, quam orandi cauſa, & ut con„ ſtantia Sanctorum admoniti, in qua illi, „ ne Pietatem amitterent, ad necem us„ que fortiter perſeveraverunt, ipſi quo„ que ad ſimilis fortitudinis æmulationem „ invitentur. „ Porro Abuſus quosdam Intemperantiæ in iſtis Conviviis interveniſſe, non negat Augustinus, ſed eos non probari, docet loc. cit. „ Qui ſe in „ memoriis Martyrum inebriant, inquit, „ quomodo a nobis adprobari poſſunt, „ quum eos, ſi in domibus ſuis id fa„ ciant, ſana doctrina condemnet? ſed „ aliud eſt, quod docemus; aliud, quod „ fuſtinemus; aliud, quod præcipere ju„ bemus; aliud, quod emendare præci„ pimus, & donec emendamus, tolerare „ compellimur. „ Propter iſtos autem „ aliosque Abuſus in variis Conciliis, ut

Loa-

Loadiceno Can. XXVIII. Carthaginensi III. Can. XXX. Aurelianensi II. Can. XII. Cabillonensi I. Can. XIX. abrogata fuerunt illa convivia.

645 Objic. X. Veteres Christiani exprobrabant Ethnicis, quod Angelos colerent, quos tamen illi non ut *Dæmones*, sed ut bonos venerabantur, quod patet ex ipsorum confessione, utpote quos ita loquentes inducit Augustinus in Psal. XCVI. *Non colimus mala dæmonia; Angelos quos dicitis, ipsos & nos Colimus, virtutes Dei Magni, & Ministerium Dei Magni.* Atvero nec hunc Angelorum bonorum Cultum probavit, sed confutavit Augustinus his Verbis: „ Utinam illos colere „ velletis, facile ab illis disceretis non il„ los colere. Audite Angelum Docto„ rem. Docebat quemdam Discipulum „ Christi, & ostendebat illi multa Mira„ cula in Apocalypsi Joannis. Ille autem „ quodam sibi demonstrato miraculo Vi„ sionis expavit & misit se ad pedes An„ geli. Et ille Angelus, qui non quære„ bat nisi gloriam Domini sui. Surge: „ quid facis, inquit, illum adora. Quid „ ergo fratres mei? Nemo dicat: Timeo, „ ne irascatur mihi Angelus, si illum non „ colo pro Deo meo; tunc tibi irascitur, „ quando ipsum colere volueris. Bonus „ est enim, & Deum amat. Quomodo „ enim Dæmones irascuntur si non colan„ tur;

„ tur; ſic Angeli indignantur, ſi pro Deo
„ coluntur. „ Denique concludit: „ Di-
„ ſcant Pagani adorare Deum. Angelos
„ volunt adorare; Angelos imitentur, &
„ illum adorent, qui ab Angelis adora-
„ tur. „

RESP. Ex allegatis S. AUGUSTINI verbis ſatis conſtat, Ethnicos ſupremum *Latriæ* cultum Angelis, veluti Diis exhibuiſſe; quod cum AUGUSTINO univerſa ſemper reprobavit Eccleſia.

Refutatis illis, qui omnem Sanctis re- 646
ligioſum Cultum, cum iis modo agendum eſt, qui nonnulla ſolum Cultus genera improbant, qualia ſunt Feſti Dies Sanctorum Honori dicati, Baſilicæ erectæ, Vota facta, & ſimilia, contra quos ſit

RESOLUTIO II. In Honorem Sanctorum 647
pie ac religioſe inſtituta ſunt Feſta, & hæc Conſuetudo antiquiſſima eſt.

PROB. Inſtitutio Feſtorum nihil eſt aliud, quam determinatio certorum Dierum, quo Sanctos peculiariter veneramur, eorum Virtutum exempla ad mentem revocamus, ut ad eorum Imitationem per ipſorum apud Deum Interceſſionem excitemur. Quid autem in hoc reperitur, quod Religioni & Pietati conforme non ſit? Iſtam autem Feſtorum Celebrationem vetuſtiſſimam eſſe, plurima Veterum Teſtimonia comprobant. Ita legitur in Actis S. IGNATII M. Antiocheni

cheni N. 6. „ Cum ergo multo cum gau-
„ dio ista vidissemus, & Deum Datorem
„ Bonorum laudavimus, & Sanctum, Bea-
„ tum diximus, vobisque diem & tem-
„ pus indicavimus, ut tempore ejus Mar-
„ tyrii convenientes, Athletæ, & generoso
„ Christi Martyri communicemus, qui dia-
„ bolum conculcavit, & pii sui Desiderii Cur-
„ sum perfecit in Christo Jesu Domino nostro
„ &c. „ Ut etiam taceam, quæ Consti-
tut. Apostol. VIII. 33. de SS. Apostolo-
rum & Martyrum Festivitatibus statuun-
tur; Ecclesiæ Smyrnensis Epistola apud
Eusebium Hist. Eccles. IV. 15. Antiquita-
tem demonstrat, ubi ita legitur: „ Ossa
„ illius (S. Polycarpi) gemmis pretiosio-
„ ra, & omni auro puriora colligentes,
„ ubi decebat condidimus. Quo etiam in
„ loco nobis, si fieri poterit, convenien-
„ tibus, concedet Deus Natalem ejus Mar-
„ tyrii Diem cum hilaritate & gaudio ce-
„ lebrare, tum in memoriam eorum, qui
„ glorioso Certamine defuncti sunt, tum
„ ad posteros hujusmodi exemplo erudi-
„ endos, & confirmandos. „

S. Cyprianus Epist. 34. in Edit. Pame-
lii & Paluzii alias Lib. IV. Epist. 5. „ Sa-
„ crificia pro eis semper, ut meministis,
„ offerimus, quoties Martyrum passiones
„ & dies anniversaria Commemoratione
„ celebramus. Item Epist. 37. alias Lib. III.
„ Epist. 6.: Dies eorum, quibus exce-
„ dunt, annotate, ut Commemorationes

„ eorum

„ eorum inter memorias Martyrum cele-
„ brare poſſimus. „

RESOLUTIO III. In Honorem Sanctorum, 648
Eccleſiæ aut Altaria licite eriguntur, & Sacrificia offeruntur.

Ante probationem obſervandum, *Eccleſiæ* vocabulum hic non accipi pro *Congregatione* Fidelium, ſed pro *loco*, ubi congregari ſolent. Neque etiam Eccleſiæ Chriſtianorum adeo recentes ſunt, ac quidam exiſtimant; nam MEDUS & BINGHAMUS, uterque Anglus, teſtimoniis e I. II. & III. Sæculo adductis demonſtrant, ab ipſo Religionis Chriſtianæ Exordio loca quædam a Fidelibus deputata fuiſſe, ubi convenire, debitumque Deo Cultum congrue exhibere poſſent. Ita locum illum I. Cor. XI. 22. : *Num domos non hãbetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis?* non pro Congregatione, ſed pro loco accipiunt AUGUSTINUS, BASILIUS, CHRYSOSTOMUS, SEDULIUS, OECUMENIUS, & THEOPHILACTUS, a BINGHAMO allegati.

Variis autem Nominibus loca illa Deo di- 649
cata ab antiquis efferuntur. 1. Eccleſia vocatur *Dominicum*, a Græco Κυριακὸν. nam Κύριος Dominus eſt. Hinc ortum habet vocabulum Germanicum Kirch; dicitur autem *Dominicum*, quod ſit locus, ubi Deo, tanquam ſupremo Domino, Cultus debitus exhibetur. 2. A TERTULLIANO appella-

tur *Domus Columbæ*, ubi per Columbam vel intelligitur CHRISTUS, quem eo Symbolo exprimebant Veteres; vel Simplicitas Religionis noſtræ, ſimilis columbæ. 3. Dicitur *Domus Dei*, Domus divina, Domus Eccleſiæ, ut Teſtimoniis probat BINGHAMUS. 4. *Oratorium*, ſeu, Domus Precationis, quia eo ad orandum Chriſtiani conveniebant. 5. *Baſilicæ*, ſeu, Palatia Magni Regis. 6. Rarius primis Sæculis dicebantur *Templa*, quod nomen *Fanis*, & *Delubris* Idolorum magis erat proprium. Poſtquam autem debellata fuit Idololatria, paſſim etiam dicebantur *Templa*. 7. *Synodi*, *Conciliabula*, *Conventicula*, non pro *Cœtu* Hominum, ſed pro *loco*. 8. *Martyria*, *Memoriæ*, *Apoſtolea*, *Prophetea*; Eccleſiæ enim ſupra Sepulchrum alicujus Martyris exſtructæ, vel de ejus Nomine ad conſervandam Memoriam nuncupatæ, peculiaris Martyrii, Confeſſionis, vel Memoriæ Titulo appellabantur. Quodſi vero is, cujus Memoriæ ædificabatur Eccleſia, Propheta fuiſſet, vel Apoſtolus; *Apoſtolea*, & *Prophetea* dicebantur. 9. *Cœmeteria*, *Menſæ*, *Areæ*; Chriſtiani enim Perſecutionum Tempore in privatis fornicibus, vel apud Martyrum ſepulcra Orationis cauſa conveniebant, quæ Perſecutione finita in Eccleſias convertebantur. S. AUGUSTINUS frequenter habuit Sermones in Eccleſia, dicta, *Menſa Cypriani*, quæ erat locus, ubi CYPRIANUS Martyrio

fue-

fuerat affectus, & quasi Deo in Mensa, seu, Altari immolatus. 10. *Casæ*; forte ob simplicem earum structuram. 11. *Tropæa*, v. g. Petri, & Pauli Romæ, quæ erant sepulcra in loco Martyrii eorum exstructa, & postmodum in Ecclesias conversa, tanquam signa eorum Victoriæ. 12. Tituli; vel ob signum Crucis iis impositum, ut vult BARONIUS; vel quod in eorum Dedicatione nomen JESU CHRISTI iis quasi fuerit inscriptum, quemadmodum tunc moris erat, Nomina, seu, Titulos Possessorum Domibus imponere, vel ob Titulum Beneficii, Clerico inde concessi; aut denique quod essent *Asyla*, voce Tituli derivata a verbo *tutari*, *tutulus*. Denique dicebantur *Limina Martyrum*, *Domus Synaxeos*, *Tabernacula*, *Monasteria*, vulgo, Münster. His præmissis

PROB. I. Jam iis Temporibus, quibus nondum adulteratam Ecclesiæ Doctrinam fatentur Protestantes, Mos iste viguit. CYRILLUS Hierosolym. Catechesi XVI. N. 4. meminit *Ecclesiæ Apostolorum*, quæ eo in loco, id est, in Monte SION, ubi sanctum Spiritum acceperant, ab iisdem, aut Successoribus erecta fuisse, censetur. Concilium GANGRENSE Can. X., & CHALCEDONENSE Can. ult. *Basilicas* Martyrum probant; Christiani enim eo in loco, ubi Sanctus aliquis Martyrio fuerat affectus, aut ejus Reliquiæ positæ erant, Tumulum & 650

Ædes ſtruere ſolebant; dicitur propterea *Martyrium*, aut Memoria, ut patet ex N. præc. Id unum hic obſervandum, Eccleſias *ſoli* Deo dicari, cui etiam *uni* Sacrificia offeruntur, quamvis in Sanctorum Memoriam. Id ſuo jam tempore monuit S. AUGUSTINUS de Civit. Dei XXII. 10.

„ Nos, inquit, Martyribus noſtris non
„ Templa ſicut Diis, ſed Memorias ſicut
„ Hominibus mortuis, quorum apud De-
„ um vivunt Spiritus, fabricamus: nec
„ ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrifi-
„ cemus Martyribus; ſed uni Deo, &
„ Martyrum, & noſtro, Sacrificium im-
„ molamus: ad quod Sacrificium ſicut Ho-
„ mines Dei, qui Mundum in ejus Con-
„ feſſione vicerunt, ſuo Loco & Ordine
„ nominantur, non tamen a Sacerdote,
„ qui ſacrificat, invocantur; Deo quippe,
„ non ipſis, ſacrificat, quamvis in Memo-
„ ria ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos
„ eſt, non illorum. Ipſum vero Sacrifi-
„ cium Corpus eſt Chriſti, quod non of-
„ fertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi. „

Idem profitetur Concilium TRIDENTINUM Seſſ. XXII. Can. 3 „ Sanctis ab Eccleſia
„ Sacrificium non offerri, ſed Deo ſoli, qui
„ illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere
„ ſolet: offero tibi Sacrificium Petre, &
„ Paule, ſed Deo de illorum Victoriis gra-
„ tias agens, Patrocinia implorat, ut ipſi
„ pro nobis intercedere dignentur in cœ-

„ *lis*

„ lis, quorum Memoriam agimus in Ter-
„ ris. „

RESOLUTIO IV. Vota, ſi Nomen genera-651
lius ſumatur, licite Sanctis fiunt, & quidem ex perpetuo uſu.

PROB. Votum, in ſtricta ſignificatione, eſt *Promiſſio Deo facta.* Hic autem latius accipitur pro Promiſſione Sanctis facta. Eam certe Conſuetudinem ſancti Patres commendant, approbat Eccleſiæ Conſenſio, comprobant quotidiana a Deo per Sanctorum interceſſionem voventibus præſtita Beneficia. Ad antiquitatem vero comprobandam vulgata illa Regula S. AUGUSTINI ſervit: *Quod ubique & ab omnibus invenitur factum, nec tamen in Conciliis illud noſcitur inſtitutum, ad Apoſtolica Tempora referendum eſt.* Et ſane teſtatur EUSEBIUS Lib. XIII. de Præparat. Evang. Cap. VII.
„ Nos qui veræ pietatis milites, ut Dei
„ Amicos honorantes, ad Monumenta il-
„ lorum Martyrum accedimus, Votaque
„ illis facimus, tanquam Viris ſanctis,
„ quorum interceſſione ad Deum non pa-
„ rum juvari profitemur. „ THEODORETUS quoque Lib. VIII. ad Græcos ait: „ Pie,
„ fideliterque precatos ea maxime conſe-
„ qui, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ
„ Votorum rei perſolvunt: nam alii quidem oculorum, alii pedum, alii manum Simulacra ſuſpendunt, ex argento,
„ aurove confecta. „

652 Objic. Canone XX. Concilii Nannetensis II. ſtatutum fuit: „ Omnibus interdi„ catur, ut nullus votum faciat, aut can„ delam, vel aliquod munus pro ſanitate „ ſua rogaturus alibi deferat, niſi ad Ec„ cleſiam Domino Deo ſuo. „

Item Decreto Concilii Agathensis cap. V. prohibentur fideles, ne Vota cuipiam Creaturæ faciant, ſed tantum Deo.

Resp. Ingenti fallacia ab Adverſariis hi Canones adducuntur; agunt enim de Votis, Dæmonibus factis. En integrum Canonem! „ Summo decernere debent ſtu„ dio Epiſcopi, & eorum Miniſtri, ut „ arbores dæmonibus conſecratæ, quas „ vulgus colit, & in tanta Veneratione „ habet, ut nec ramum, vel ſurculum in„ de audeat amputare, radicitus excidan„ tur, atque comburantur. Lapides quo„ que, quos in ruinoſis & ſilveſtribus dæ„ monum ludificationibus decepti veneran„ tur, ubi & vota vovent, & deferunt, „ funditus effodiantur &c. - - & omnibus „ annuntietur, quantum ſcelus ſit Idolo„ latria, & quod qui hæc veneratur, & „ colit, quaſi Deum ſuum negat, & Chri„ ſtianitati abrenuntiat, & talem pœniten„ tiam inde debet ſuſcipere, quaſi Idola „ adoraſſet, omnibusque interdicatur, ut „ nullus Votum faciat. „ Eadem eſt mens Synodi Agathensis: aut loquitur utraque de Votis, *rigoroſe* ſpectatis, quæ ſoli Deo nuncupari poſſe, jam ſupra dixi.

§. III.

§. III.

De Sanctorum Intercessione.

NOtum est ex Superioribus, in eo nobis-653
cum sentire hodiernos Heterodoxos, uti & olim VIGILANTIUS senserat, sanctos, probosque Homines, quamdiu in terris agunt, Deum pro Fratribus suis orare posse. Ita certe Judæi SAMUELIS Intercessionem efflagitant: lib. I. Reg. VII. 8.: *Ne cesses*, inquiunt, *pro nobis clamore ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Ita ad impetrandam Veniam vult Deus amicos JOBI ad ejus preces confugere. Job. cap. ult. 8.: *Ite ad servum meum Job, & offerte Holocaustum pro vobis, Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Ita PAULUS Romanorum se Orationibus commendavit. Rom. XV. 30: *Obsecro vos, Fratres, per D. N. J. Christum, & per Charitatem S. Spiritus, ut adjuvetis me in Orationibus vestris pro me ad Deum.* Item ad Thessal. V. 25.: *Fratres orate pro nobis.* Jacobi V. 16.: *orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio Justi assidua.* At ubi Sancti mortalem semel Vitam exuerunt, eos nullam amplius Vivorum curam habere, aut habere posse, contendunt. Illi vero, qui Sanctorum, etiam in altera vita, pro Morta-

libus Interceſſionem largiuntur, eos pro univerſa Eccleſia in genere, non vero pro aliquibus in particulari, intercedere putant.

654 His erroribus TRIDENTINUM Concilium ſuam, & Eccleſiæ mentem circa Doctrinam de Sanctorum Interceſſione, & Invocatione oppoſuit Seſſ. 25., quæ ut integra legatur, veliementer opto. „ Mandat S. „ Synodus omnibus Epiſcopis, & ceteris „ docendi munus curamque ſuſtinentibus - - „ ut Fideles diligenter inſtruant, docentes „ eos, Sanctos unacum Chriſto regnan- „ tes Orationes ſuas pro hominibus Deo „ offerre; bonum atque utile eſſe ſuppli- „ citer eos invocare, & ob beneficia im- „ petranda a Deo per Filium ejus J. „ Chr. D. Noſtrum, qui ſolus noſter „ Redemptor & Salvator eſt, ad eorum „ Orationes, opem, auxiliumque con- „ fugere: illos vero, qui negant San- „ ctos, æterna felicitate in Cœlo fruen- „ tes, invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, „ vel illos pro hominibus non orare, vel „ eorum, ut pro nobis etiam ſingulis „ orent, invocationem eſſe Idololatriam, „ vel pugnare cum Verbo Dei, adverſa- „ rique honori unius Mediatoris Dei, & „ Hominum JEſu Chriſti; vel ſtultum eſſe, „ in Cœlo regnantibus voce vel mente ſup- „ plicare, impie ſentire. „ Ad mentem Concilii ſtatuitur

655 RESOLUTIO. Beati Angeli, ſanctique Cœ-

lites

lites non ſolum pro Eccleſia militante in genere, ſed & pro pluribus illius Membris in ſpecie, apud Deum intercedunt, & orant.

PROB I. Ex S. Scriptura. Deus Jerem. XV. 1. minitatur, ſe etiam Precibus MOYSIS & SAMUELIS, pro Populo ingrato fundendis, non fore flectendum. *Dixit Dominus ad me, ſi ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Ex quo manifeſte colligitur, Moyſen & Samuelem pro Judæis orare conſueviſſe. Sed utique Sancti noſtri non minorem Curam habebunt Eccleſiæ, quam illi Synagogæ; præſertim cum iſti Claritatem Dei videant, & cum Chriſto regnent, illis tunc adhuc in Tenebris, & Umbra Mortis ſedentibus. Item Lib. II. Machabæor. XV. 12. ſeq. Vidit Judas *Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos - - - manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum.* In eodem Viſu vidit JEREMIAM, & vers. 14. audivit ONIAM reſpondentem dixiſſe: *Hic eſt fratrum Amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.* Itaque JEREMIAS non ſolum pro Synagoga generatim, ſed & ſpecialiter pro Civitate JERUSALEM, Deum deprecatus eſt. Etſi vero Machabæorum libros pro Canonicis minime habeant Hederodoxi (quorum Authentiam ex Prolegomenis Theologiæ ſuppono) negare tamen nequeunt, eos apud

Judæos Helleniſtas jam ante CHRISTUM natum maximi æſtimatos fuiſſe: & certe, hiſtorica ſaltem fide teſtantur, Judæos communiter de Sanctorum Interceſſione perſuaſos fuiſſe. Utique ſaltem GROTIO fidem habebunt, in cit. locum Machabæorum ita ſcribenti: „ Erat hæc Judæorum, „ ſi non omnium, certe plerorumque opi„ nio, animos exutos Corporibus, non „ omnem perdere eorum, quos hic reli„ quere memoriam, Curamque; quin & „ preces eos ad Deum fundere pro popu„ lo, & iis quos Caros habuere.

656 Probatur II. aliis S. Scripturæ Teſtimoniis. Zachariæ cap. I. 12. Angelus ſpeciatim pro JEROSOLYMA Deum deprecatus his verbis: *Domine Exercituum, usquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Judæ, quibus iratus es? iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Archangelus RAPHAEL Tobiæ dixit: *Quando orabas cum lachrymis ..... ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. XII. 12. apud Davidem Pſalm. XC.: *Deus Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis &c.* Item Matth. XVIII. CHRISTUS ad Diſcipulos: *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis; Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei &c.*: quem locum de Interceſſione Angelorum explicat S. HILARIUS Comment. in hoc Matth. Caput. An autem non eadem eſt Sanctorum erga Fra-

Fratres ſuos Solicitudo & Charitas, quæ Angelorum? Dein viventes pro ſe invicem charitate excitati deprecantur: quidni & Sancti mortalitate exempti? *Charitas* certe, juxta Apoſt. I. ad Corinth. III. 18.: *nunquam excidit.* S. PETRUS epiſt. II. cap. I. 15.: *Dabo autem operam*, inquit, *& frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, ſeu, ut vertunt alii: dabo quoque operam, poſtquam egreſſus de hoc tabernaculo fuero, ut perpetuam memoriam teneatis eorum, de quibus vos commonefeci. Huc certe reſpexit S. CHRYSOSTOMUS, ſeu quiscunque ſit, Serm. de laudibus Apoſt. Principes Apoſtolorum alloquens: „ Absque intermiſſio-
„ ne pro nobis orate, repromiſſiones ve-
„ ſtras explete: ſubclamas enim Beate Pe-
„ tre, ſic dicens: ſtudebo poſt meum obi-
„ tum veſtri Teſtimonium facere. „

PROB. III. Ex Conciliis & Patribus. In 657
CHALCEDONENSI Concilio Act. XI. de ſancto FLAVIANO dicitur: *Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis orat.* ORIGENES, aut quiscunque demum Author homil. III. in Cant.: „ Omnes Sancti, qui
„ de hac vita deceſſerunt, habentes ad-
„ huc charitatem erga eos, qui in hoc
„ mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere
„ ſalutis eorum, & juvare eos precibus
„ ſuis, non erit inconveniens; ſcriptum
„ namque eſt in Machabæorum libris ita:

hic

„ *hic eſt Jeremias Propheta, qui ſemper orat*
„ *pro populo.*„

S. CYPRIANUS Epiſt. ad Cornelium. „ Me-
„ mores noſtri invicem ſimus, & ſi quis
„ iſthinc noſtrum prior divinæ dignatio-
„ nis celeritate præceſſerit, perſeveret apud
„ Deum noſtra dilectio: pro fratribus &
„ ſororibus noſtris apud miſericordiam Pa-
„ tris non ceſſet Oratio.„ Idem in libro
de Mortalitate. „ Illic copioſa nos turba
„ deſiderat, jam de ſua incolumitate ſecu-
„ ra, & adhuc de noſtra Salute ſolicita.
Idem in lib. de Habitu Virginum. „ Du-
„ rate fortiter, ſpiritualiter pergite, per-
„ venite feliciter. Tantum mementote tunc
„ noſtri, cum incipiet in vobis Virgini-
„ tas coronari.„

HIERONYMUS contra VIGILANTIUM. „ Di-
„ cis in libello tuo, quòd dum vivimus,
„ mutuo pro nobis orare poſſumus, poſt-
„ quam autem mortui fuerimus, nullius
„ ſit pro alio exaudienda Oratio.„ Cui re-
ponit „ Si Apoſtoli & Martyres adhuc
„ in Corpore conſtituti poſſunt orare pro
„ ceteris, quando pro ſe adhuc debent
„ eſſe ſoliciti, quanto magis poſt coronas,
„ & Triumphos?„

S. AUGUSTINUS in Pſalm. LXXXV. „ Do-
„ minus N. J. Ch. adhuc interpellat pro no-
„ bis: omnes Martyres, qui cum illo ſunt,
„ interpellant pro nobis.„

Sed

Sed infinitus forem, ſi omnia proferre 658
velim Patrum loca, quibus Dogma noſtrum comprobant, præcipue, cum a Sæculo IV. eam in Eccleſia Doctrinam inoleviſſe, ipſi Novatores largiantur. At prioribus tribus Sæculis aliam fuiſſe Fidelium perſuaſionem, volunt, eoquod nulla illorum Temporum Veſtigia exſtent, quæ Sanctorum Interceſſionem creditam ab iis fuiſſe, inſinuent. At vero ut taceam IRENÆUM, ORIGENEM, CYPRIANUM jam citatos; plurima ex prioribus Sæculis in Actis Martyrum etiam probatiſſimis, exſtant Argumenta, quæ Sanctorum mortalitate exutorum pro Vivis Interceſſionem comprobant. Ita in Actis Martyrii S. IGNATII Antiocheni S. Ignatius recens Martyrio affectus per Quietem apparet, *ſuper orans nobis.* Ita Acta Martyrum Scyllitanorum, qui ex Sententia RUINARTI Paſſi ſunt Anno Chriſt. 200, ſic concluduntur: „ Con„ ſummati ſunt Chriſti Martyres Menſe „ Julio, die ſeptimo decimo, & interce„ dunt pro nobis ad Dominum JEſum „ Chriſtum &c.„ Ad initium Sæculi Tertii teſtatur EUSEBIUS lib. VI. hiſt. Eccl. cap. V. Virginem ac Martyrem POTAMIÆNAM BASILIDI cuidam Pagano ſuam poſt Mortem Interceſſionem promiſiſſe: „ *Illa vero,* „ ait EUSEBIUS, Benignitatem hominis „ (Baſilidis) erga ſe libenter amplectens, „ bono animo eum eſſe juſſit: ſe namque „ poſt obitum Salutem ipſius a Domino

„ impe-

„ impetraturam &c. „ Nec defuit Promiſſio ; brevi enim ad Fidem converſus, & Martyrio coronatus fuit.

659 Hanc porro Eccleſiæ Catholicæ Traditionem probat Hugo Grotius, magni apud Proteſtantes Nominis Vir, niſi quod hoc in Capite eum *papizare* dicant. „ Mar-
„ tyrum Animæ, ait, cum Chriſto regnant.
„ Regnantibus debetur ſui generis Honor.
„ Rogare autem Deum, ut eorum Preces
„ pro Eccleſia exaudiat, quid habet Deo
„ contrarium ? credidere veteres magno
„ conſenſu, etiam Rerum magnarum, quæ
„ hic geruntur, Notitiam eos habere poſ-
„ ſe, aut Dei Dono, aut Angelorum Mi-
„ niſterio : quis eſt, qui id hactenus falſi
„ potuerit convincere, aut quid in eo
„ eſt Idololatriæ ? Judæi, quo tempore
„ ab Idololatria fuerunt alieniſſimi, credi-
„ derunt Isaacum, ſi Patri fuiſſet præ-
„ mortuus, Precatorem futurum fuiſſe pro
„ Patre apud Deum : crediderunt, ab Elia
„ pridem exempto rebus humanis miſſas
„ ad Regem litteras : crediderunt, Jere-
„ miam oraſſe pro Machabæis. Et tamen
„ ad hæc quoque Sanctorum Suffragia im-
„ ploranda nemo a Papa compellitur. „ Et alibi : „ Apud Martyrum Memorias ſi
„ vera fiunt Miracula, ut olim facta in-
„ numeris Teſtibus conſtat, Deo ſit Ho-
„ nor, quod pretioſum ſibi oſtendat San-
„ ctorum Sanguinem. „ Hæc Grotius *in*

appen-

appendice ad interpret. locorum. N. T. quæ de Antichriſto agunt,

PROB. Denique ex perpetua Eccleſiæ660 Praxi, & perſuaſione, ex Symbolo Apoſtolorum, quod vel ipſis Adverſariis in pretio eſt, probatur, communionem aliquam inter utramque Eccleſiam, quæ in terris militat, & in cœlis regnat, intercedere: quamvis una potius dicenda ſit Eccleſia, ſeu unius Corporis ſub uno Capite CHRISTO diverſa Membra. Nam juxta Apoſtolum Rom. XII. 5. *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Qui vero ſubſiſtet illa communio, cœleſtem inter & terreſtrem Jeruſalem, niſi hæc illi Precibus, illa huic jungatur Patrocinio? Non mea, quamquam alioquin mea, ſed Patrum eſt iſta ſententia, e quibus unum BERNARDUM audiſſe ſufficiat. Serm. V. in Feſto Omnium Sanctorum: „ Nos quoque ſi non ſumus „ ipſius Capitis membra, cujus & Sancti, „ unde eis tam ſolemnibus hodie votis, „ & tanto gratulamur affectu? ceterum „ qui dixit: *ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra!* hoc quoque „ nihilominus ait: *quodſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* „ Hæc igitur noſtra & eorum cohærentia „ eſt, ut nos congratulemur eis, ipſi compatiantur nobis, nos devota medidatione

„ regne-

„ regnemus in eis, ipsi in nobis, & pro „ nobis militent pia interventione &c. „

661 Quodsi ergo Sancti pro nobis apud Deum intercedant; quæritur, an *Mediatores*, & *Advocati* nostri dici queant? calumniantur enim Adversarii, nos CHRISTO *Mediatoris*, & *Advocati* prærogativæ, ipsi soli propriæ, derogare, dum alios ei *Mediatores* adjungimus. Hinc urgent illa loca Scripturæ. I. Timoth. II. 5.: *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus JEsus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus &c.* Et Joan. Epist. I. cap. II. 1.: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi.*

662 Sed in Authores suos hæc tela recidunt. An non & ipsi Viventium pro aliis Preces, Scriptura etiam jubente, admittunt? An non aliqui saltem eorum preces pro universa Ecclesia a Sanctis effundi fatentur? Si nulla fit Christo Injuria, quando Homines, forte Peccatores, CHRISTO Mediatori adjungunt; cur fiet injuria, dum Sanctos jamjam cum CHRISTO regnantes, pro aliis intercedere asserimus? Ut vero, quo sensu Sancti, *Mediatores* & *Advocati* nostri dici queant, etsi de Fide non sit, Sanctos ita appellandos esse, capiatur;

notan-

notandum, varias hanc vocem *Mediatoris* acceptiones admittere. 1. *Nuncius*, aut Interpres unius partis ad alteram. 2. Electus ad componenda diſſidia *Arbiter*. 3. *Interceſſor*, ſeu, Advocatus. 4. *Sponſor*, qui parti læſæ ſatisfaciat, hoc nomine ſignificari poteſt. Quatuor iſtæ ſignificationes in Chriſto adunatæ ſunt, non autem in Sanctis; non enim illo Senſu *Mediatores* dici poſſunt, quaſi *Arbitri* forent, qui Genus humanum conciliaverunt Patri: neque eo Titulo honorandi, quo Sponſorem ſignificat; cum certum ſit, unum CHRISTUM Deo Patri pro Peccatis noſtris condigne ſatisfacere potuiſſe. Quid vero prohibet, aliis duabus acceptionibus Sanctos, *Mediatores* dici? ita certe compellantur ſæpiſſime a Patribus. S. GREGORIUS Nazianz. Orat. in GREGORIUM Niſſ. *Martyres Dei Mediatores* appellat. ASTERIUS Orat. in SS. Martyres. VENANTIUS Fortunatus lib. IV. in Vita Martini: JOANNES Damaſcenus lib. IV. de Fide cap. XVI. PETRUS Damiani Serm. de SS. Apoſtol. THEOPHANES Homil. LXII. & BERNARDUS ſæpiſſime. Et certe Sancti revera Internuntii noſtri ſunt, qui Preces illis commendatas Deo porrigunt, quod ex lib. TOBIÆ & ex Apocalypſi VIII. 3. 4. conſtat. Advocatos vero, & Patronos eſſe, & Patres ſæpiſſime teſtantur, & aliunde patet.

Neque vero in Scriptura peregrinum eſt, Titulos CHRISTO attributos, aliis quoque non raro tribui. Sic etſi Chriſtus *conſtitutus ſit Judex vivorum & mortuorum* Act. X. ipſe tamen Apoſtolos, *Judices* eſſe voluit. Sic etſi CHRISTUS *Petra* & Fundamentum Eccleſiæ ſit, *Petrus* tamen, & Apoſtoli reliqui Fundamentum appellantur. Epheſ. II. 20. Apocal. XXI. 14. Sic etſi CHRISTUS ſit *Paſtor*, jubentur tamen & alii paſcere gregem Domini. Nonne & Moyſes *Mediator* in ſcripturis appellatur. Deutron. V. *Ego Sequeſter*, ait Moyſes, *& Medius fui inter Deum, & vos in tempore illo.* Et ad Galat. III. dicitur: *Legem ordinatam fuiſſe per Angelos in manu Mediatoris*, MOYSIS. Itaque Sanctos, *Mediatores*, quaſi ſecundarios, & a primo Mediatore, Chriſto dependentes, dicere poſſumus, quemadmodum Epiſcopos, Paſtores, ſub *Magno Paſtore*, & *Principe Paſtorum*, appellamus.

§. IV.

De Sanctorum Invocatione.

663 Non hic de Sanctis, piisque Hominibus, quamdiu in terris agunt, ſermo eſt, utpote quorum Opem, Precesque a nobis implorari poſſe, & fatentur Adverſarii, & ex N. 653. ſupra manifeſtum ſit. Neque de Nomine *Invocationis* litigamus;

id

id unum per eam vocem volumus, beatos cœlites a nobis implorari posse, ut sua nobis Intercessione, nuper stabilita, a Deo, Bonorum omnium Authore, Beneficia postulata impetrent, nostrasque Preces Deo offerant: id quod Heterodoxi præfracte negant, quibus sese omni tempore opposuit Ecclesia, maxime TRIDENTINA Synodus Sess. XXV. in Decreto de Invocat. Sancti, supra n. 654. relato, quod ut integre legatur, iterum, iterumque moneo. Cumque & impiam, & inutilem esse Sanctorum Invocationem Protestantes cum VIGILANTIO, aliisque præclaris Antecessoribus calumniarentur; *licitam*, *utilemque* eam esse, citata Synodus definit. Hinc permoti Theologi, quorum ingentem proferre Catalogum possem, uno quasi ore fatentur, nullo aut divino, aut Ecclesiæ Præcepto singulos Fideles adigi ad Sanctorum imploranda Suffragia: etsi Clerici ad Horas, ut vocant, Canonicas obligati, Preces suas ad Sanctos dirigere non raro teneantur, ut vel inspicienti patet. Itaque ad mentem Concilii TRIDENTINI statuitur

RESOLUTIO. Et pia & utilis est Sancto- 664
rum cum CHRISTO regnantium Invocatio.

PROB. I. Ex S. Scriptura. Genes. XLVIII. 16. JACOB Filiis suis benedicens ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedi-*

cat pueris iſtis, & invocetur ſuper iis Nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac. Et Job V. 1. ita Jobum alloquitur ELIPHAZ: *Voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* In quem locum Sanctus AUGUSTINUS Annotat. in lib. Job ait: *Invoca autem, ſi quis tibi reſpondeat*; „ Illis enim reſpondetur, qui mundi ſunt „ coram Deo. Etenim Stultum perimit „ Ira, Indignatio, qua quisque angitur, „ tanquam inique ſibi aliquid acciderit, „ dum non cogitat, usque adeo ſe im„ mundum eſſe coram Deo, ut invocan„ ti non Angeli reſpondere, aut ſe de„ monſtrare dignati ſunt. „ Iterum Job. XIX. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos Amici mei, quia Manus Domini tetigit me.* In quæ verba AUGUSTINUS citato lib. Annot. „ Angelos, ait, videtur „ poſtulare, ut pro eo deprecentur, aut „ certe Sanctos, ut pro pœnitente orent. „ Gen. XIX. 21. LOTH rogat Angelum, ne ſubvertat urbem Segor: cujus etiam Precibus deferens Angelus reponit: *ſuſcepi Preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es.* Quodſi vero licita, & utilis eſt Angelorum Invocatio, quod citata, aliaque plura Scripturæ loca manifeſte comprobant; quidni & Sanctorum reliquorum, cum eosdem, ſicut Angelos, pro nobis intercedere præcedenti quæſtione ſtabilitum fuerit, quæ Scripturæ & PP. Teſtimonia

ſtimonia ibi allegata, huc quoque apprime faciunt.

665 PROB. II. Conciliorum, Patrumque Authoritate. In EPHESINA Synodo S. CYRILLUS B. JOANNEM invocat oratione, Die illi ſacro habita. In CHALCEDONENSI Act. XI. Omnes Epiſcopi exclamaverunt: *Flavianus poſt mortem vivit*; *Martyr pro nobis oret.* In Concilio NICÆNO II. Act. VI. „ Cum timore omnia agamus, „ poſtulantes Interceſſiones incontaminatæ „ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, „ omniumque Sanctorum &c. „ Idem dogma probatur ex Liturgiis antiquiſſimis, ubi Sanctorum Invocationem omni tempore apud Fideles in uſu fuiſſe, manifeſte deprehenditur.

666 Ex Patribus audiatur I. ORIGENES Homil. I. in Ezechiel. „ Veni Angele, „ ait, ſuſcipe ſermonem converſum ab „ errore priſtino. - - - Et ſuſcipiens eum „ quaſi Medicus bonus confove, atque in- „ ſtitue. „

S. BASILIUS Hom. XX. de 40. Martyribus. „ Quantum laborares, ut vel „ unum reperires, qui pro te Dominum „ rogaret? Ecce quadraginta concordem „ affundentes orationem. Ubi duo vel „ tres congregati ſunt in Nomine Domi- „ ni, ibi in medio ipſorum eſt. Ubi ergo „ go quadraginta ſunt; quis de Dei Auxi-

„ lio dubitabit ? qui afflígitur ad 40.
„ confugit ; qui lætatur , ad ipſos accur-
„ rit ; ille aut malorum exitum inveniat :
„ *hic in ſecundis conſervetur*. „ AMBROSIUS lib. de Viduis. „ Obſecrandi ſunt Ange-
„ li pro nobis , qui nobis ad præſidium
„ dati ſunt. Martyres obſecrandi , quo-
„ rum videmus nobis quodam Corporis
„ pignore patrocinium vindicare. Poſ-
„ ſunt pro peccatis rogare noſtris. . . .
„ Non erubeſcamus eos interceſſores no-
„ ſtræ infirmitatis adhibere , qui & ipſi in-
„ firmitatem corporis noſtri , dum vive-
„ rent , cognoſcebant. „

THEODORETUS in fine hiſtor. SS. Patrum. „ Ego autem , inquit , hanc nar-
„ rationem concludens rogo , & quæſo ,
„ ut per horum interceſſionem divinum
„ conſequar auxilium. „ S. CYRILLUS Jeroſolymitanus Catecheſi V. Myſtagogica hæc habet : „ Rogamus te omnes , &
„ hoc tibi Sacrificium offerimus , ut me-
„ minerimus eorum , qui docuerunt. Pri-
„ mum Patriarcharum , Prophetarum , A-
„ poſtolorum , Martyrum , ut Deus illo-
„ rum precibus & interceſſionibus preces
„ noſtras ſuſcipiat. „

667 His authoritatibus reponunt Heterodoxi, IV. Sæculi Patres a priorum temporum Doctrina receſſiſſe , adeoque in hac controverſia nullius eſſe Momenti.

At

At vero hæc Reſponſio pondus non minuit. Cur enim Patres poſteriorum Sæculorum minoris æſtimemus illis trium priorum, qui pari Pietate, & Scientia floruerunt, & ſui temporis Doctrinam, non tanquam novam, ſed hæreditariam, & ubique gentium receptam, ſuis Scriptis Poſteritati conſignarunt. Adhæc ſupererant Sæculo IV. aliqui ex his ſanctiſſimis Epiſcopis, qui NICÆNO primo Concilio ſubſcripſerant; qui certe ſeſe oppoſuiſſent novo Dogmati, aut Abuſui, adeo gloriæ Chriſti, ut Heterodoxi volunt, contrario. Sed tantum abeſt iſtam doctrinam, utpote ab illis ipſis traditam, impugnatam fuiſſe, ut potius contra VIGILANTIUM recepti Dogmatis Impugnatorem mox omnes fere illius Temporis Patres exſurrexerint, calamosque contra Novatorem acuerint. Fatemur equidem, non multa ſuppetere tribus Sæculis Patrum Teſtimonia; eoquod pauca eorum ad nos pervenerint Opera, illique magis intenti fuerint, Fidelibus ad Mores, & Martyrium Tyrannis horrendum ſævientibus, formandis, quam libris conſcribendis: ſed nec nulla ſuppetunt. IRENÆUS enim, CYPRIANUS, ORIGENES, aliaque momenta ſane non levia N. 657. ſeq. N. 665. ſeq. adducta, Catholici Dogmatis Antiquitatem firmiſſime comprobant. Adhæc GREGORIUS Nazianz. Orat. 18. narrat, quod S. JUSTINA Virgo, cuius Pudicitiam CYPRIANUS Ma-

gus diabolicis Artibus tentaverat, *Virginem* MARIAM *ſupplex obſecraverit, ut periclitanti Virgini ſuppetias ferret* : quod Sæc. III. nondum adulti Morem ſatis manifeſtat. Unde denuo vulgatum AUGUSTINI Argumentum redit: *Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus obſervatum eſt, ad Apoſtolicam ſane traditionem referendum eſt*; ut adeo inſaniſſimæ Vecordiæ ſit, qui univerſam Eccleſiam, perpetua Spiritus S. aſſiſtentia infallibilem effectam, in re magni Momenti tot Sæculis erraſſe, & in Errore adhuc perſiſtere, aſſerere non erubeſcit. At amplius clareſcet Catholici Dogmatis Robur, ubi Adverſantium Obſtacula fuerint remota.

668 OBJIC. I. Solum Deum invocare poſſe, in quem ſolum credi poteſt, Apoſtolus ad Rom. X. 14. docet his verbis : *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* In Sanctos vero credi non poteſt : ergo neque invocari poſſunt, ad mentem Scripturæ & Patres loquuntur. AMBROSIUS Oratione funebri in THEODOSIUM Imp. *Tu ſolus Domine, es invocandus, tu rogandus, ut eum,* Theodoſium, *in filiis repræſentes.* TERTULLIANUS cap. XXX. Apologetici. *Hæc ab alio orare non poſſum, quam a quo ſcio me conſecuturum, quoniam ipſe eſt qui ſolus præſtat.* ORIGENES lib. VIII. contra CELSUM. *Quippe ſolus eſt orandus ſupremus Deus.*

RESP.

RESP. I. Retorq. in Adverſarios, qui Sanctos *viventes* invocari poſſe, admittunt.

II. S. PAULUS in eo loco loquitur de neceſſitate Evangelii, *quod omnis*, & nemo alius, *qui invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit. Quomodo autem invocabunt*, infert, *in quem non crediderunt. Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur.*

III. Solus Deus invocandus eſt, tanquam ſupremus Bonorum omnium Author. *Conc.* Ita ut Sancti tanquam Interceſſores, quorum Patrocinio poſtulata a Deo Bona facilius nos impetrare confidimus, invocari nequeant. *Nego.* Vox illa *Invocatio*, non eſt adeo primo Senſui propria, ut non & Homines invocari poſſint, Senſu ſcilicet latiore, & jam explicato; JACOB enim filiis ſuis benedicens ait: *Invocetur ſuper iis nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac*: Geneſ. XLVIII. Adhæc ſi Invocatio in Senſu Scripturæ, ut Adverſarii contendunt, ſemper ſit *oratio ad Deum*; admittere debebunt, Animalia quoque Deum orare poſſe. Nam Pſalm. CXLVI. dicitur: *Qui dat Jumentis eſcam ipſorum, & Pullis Corvorum* INVOCANTIBUS *eum.*

IV. In Sanctos credi non poteſt, tanquam Authores, & largitores Bonorum, *conc.* Tanquam Interceſſores, & Patronos. *Neg.*

Neg. De posteriore hac Fide forte loquitur PAULUS ad Philemon. Vers. 5. *Gratias ago Deo meo . . . audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos.*

Citati vero supra, aliique Patres, id unum volunt, aut in verum Deum, non in Idola, sperandum esse: aut fidendum Deo, non Hominibus. Quin, adhibita Scripturæ locis explicatio, Patrum quoque sententiis applicari potest.

669 OBJIC. II. Christus a Discipulis rogatus: *Doce nos orare*, docuit eos Deum orandum esse: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster*. Math. XVI. Ergo Sancti invocari non debent.

RESP. I. Ergo nec viventium pro nobis Preces efflagitare possumus?

II. In oratione Dominica non docuit Christus, *quis*, sed *quid*, & *quomodo* orandum sit.

670 OBJIC. III. Inutilis est Sanctorum Invocatio, cum Deus ipse paratissimus sit, eas nobis largiri Gratias, & Beneficia, quibus indigemus; ait enim Luc. XI. *Petite, & accipietis.* Et Joan. XVI. *Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.* Item S. CHRYSOSTOMUS Homil. de profectu Evangel. „ Non opus tibi Patronis „ apud Deum; neque enim tam facile „ Deus annuit, cum alii pro nobis orant,

„ ut

„ ut cum ipſimet oramus, etiam plurimis
„ pleniſſimi malis. „

Resp. Hæc probant, Sanctorum Invocationem non eſſe neceſſariam, poſſeque illos non invocari: non vero probant, invocari non poſſe. Deus equidem promptus eſt, uniuscujusque preces, ſi ſatis diſpoſitus fuerit, exaudire: ſed quotusquisque eſt, qui tali Diſpoſitione, & Perfectione ſuas Preces fundat? Promtior ergo multo erit Sanctorum pro nobis Interceſſionibus deferre; utpote quos magis diligit, quique perfectiori Vinculo Charitatis Deo adhærentes ipſique longe gratiſſimi, facilius nobis poſtulata impetrant. Numquid enim Deus ipſe Amicos Jobi, ad Jobum, ut pro illis oraret, remiſit? Job. cap. ult. Nonne Regem Abimelech ejusque familiam Abrahæ Precibus ſanari voluit? Gen. XX. An non quæſivit Deus Virum inter Judæos, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra ſe pro terra, ne diſſiparet terram? Ezech. XXII. 30.

S. Chrysostomus vero intelligendus eſt, aut de Patronis viventibus; ait enim ibi, *non eſt opus multo diſcurſu, ut blandiare aliis*: aut eorum perſtringit Negligentiam, qui cum ipſi non orent, alios pro ſe orare volunt. Quæ omnia, quam a Doctrina noſtra aliena ſint, nemo non videt.

Objic.

671 OBJIC. IV. Sancti non audiunt Preces noſtras, ergo inutilis eſt eorum Invocatio. Antecedens *prob.* ex S. Scriptura, quæ ſolum Deum ſcrutari corda & renes affirmat: de mortuis vero Hominibus ait, eos nihil eorum cognoſcere, quæ hic fiunt a Viventibus: Job. XIV. 21. *Sive Nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget.* Et Sapiens Eccleſiaſtes cap. IX. 5. *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros; mortui vero nihil noverunt amplius.* Iſai. LXIII. *Tu es enim Pater noſter; Abraham neſcivit nos, & Iſraël non novit nos.* Et IV. Reg. XXII. 20. Deus JOSIÆ Regi minatur: *Propterea colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia, quæ introducturus ſum in locum iſtum.* Itaque Sancti ignorant eas, quæ ſpecialiter ad eos diriguntur Preces.

RESP. Etiamſi darem, Sanctos non cognoſcere Preces ſpecialiter ad ſe directas, de quo nihil adhuc Eccleſia definivit; non ſequitur tamen illatio Proteſtantium: ergo Invocatio Sanctorum eſt inutilis: dicimus enim, Sanctos in genere ſcire, ſe a Mortalibus invocari: Norunt illi adhuc ex Vita præterita, Fideles in Eccleſia eorum Opem implorare conſueviſſe.

Ita S. AUGUSTINUS libro de Cura pro Mortuis: Quæſtioni huic, *quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos certum eſt per eos invocari.* Reſpondet id fieri *Martyribus generaliter orantibus pro indigentia ſuppli-*

ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur. Nec ubi ſint, nec quid agant, ſcimus. Sed & inſuper negamus, Sanctos neſcire preces noſtras, & textibus oppoſitis opponimus alios, tum N. 655. ſeq. citatos, tum mox proferendos. Nam II. Paralip. XXI. 12. Ad Regem JORAM *allatæ ſunt litteræ de Elia Propheta*, jam tum ſublato. Novit ergo ELIAS, curamque habuit Regis JORAM.

Joan. VIII. 25. *Abraham exultavit, ut videret diem Chriſti: vidit, & gaviſus eſt.* Novit ergo ABRAHAM Deo revelante Adventum CHRISTI. Luc. XVI. Idem Abraham Epulonem alloquitur: *Fili recordare, quia recepiſti Bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Luc. XVI. *Gaudium erit in cælo ſuper uno Peccatore pœnitentiam agente.* Apoc. VI. 9. Martyres ſciunt, carnifices ſuos adhuc vivere, ideo a Deo Sanguinis ſui ultionem poſcunt. Itaque Angeli, Sanctique ſciunt quædam ſpecialia de Viventibus.

Ad oppoſita loca S. Scripturæ RESP. 672 ad I. Solum Deum noſſe *omnia* Secreta cordium *omnium*, & quidem vi ſibi propria, & immenſa: Sanctos vero *non nulla aliquorum* hominum, quæ ſpecialiter eos attingunt, non propriis Viribus, ſed ſingulari Dei Beneficio, cognoſcere aſſerimus.

RESP.

673 Resp. ad II. Jobi locum ita S. Gregorius M. lib. XII. Moral. cap. XIV. interpretatur, quod eorum Animæ, qui Deum non vident, nesciant Statum viventium, aut saltem ignorent res quasdam externas eorum, & minime pertinentes, uti est Nobilitas Filiorum &c. *Quod tamen*, ait, *de Animabus Sanctis sentiendum est, quia intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorant* &c.

674 Resp. ad III. Ecclesiastes loquitur aut in Persona & Sensu Impiorum: aut ita intelligendus est, ut viventes noverint se morituros, & hujus Moniti occasione excitari debeant ad Opera bona facienda; eoquod post Mortem non sit locus ad vacandum bonis Operibus. Ita Hieronymus, & Jansenius.

675 Resp. ad IV. Illud Isaiæ sic capiendum, quod Abraham & Jacob Judæos non agnoscant pro Filiis, qui Operibus suis erant contrarii Exemplis Patrum Ita Christus ad Reprobos: *Nescio vos*: id est, non agnosco pro Electis.

676 Resp. ad V. Josiam Regem Deus malis eripuit, ut non videret, id est, *experiretur* illa; nam sæpe *Visus*, & *Gustus* in Scriptura pro Experimento sumitur: *Gu-*

Guſtate & videte, quam ſuavis eſt Dominus: id eſt, experimentum facite &c.

Inſtant Adverſarii, & quærunt: Qua ergo ratione Sanctis innoteſcant preces noſtræ? 677

Reſpondeo. „ Quamquam iſta quæſtio „ Vires Intelligentiæ meæ vincit, ut cum AUGUSTINO lib. de Cura pro mortuis loquar, „ quemadmodum opitulentur Mar„ tyres iis, quos per eos certum eſt ad„ juvari. „ Contentique eſſe poſſemus omni Eccleſia conſentiente demonſtraſſe, pium, utiliſſimumque eſſe, Sanctorum implorare Patrocinium: etſi circa ipſum *Modum*, quo Preces noſtræ iis innoteſcunt, nihil hucusque Eccleſia definierit; attamen a Theologis varii proponuntur Modi, queis probabile fit, Sanctis noſtras innoteſcere Preces.

Et I. Quidem Platonici, ac hujus Sectæ 678 Patres nonnulli exiſtimabant, Animos corpore ſolutos, quibus tanquam vinculis materialibus ſpiritus ligatus, & impeditus erat, Res noſtras quaſi vi quadam naturali cognoſcere: quemadmodum Angeli cogitationes ſuas mutuo intelligunt.

II. AUGUSTINUS cit. lib. de Cura pro 679 mortuis, cap. XV. admodum probabile facit, Angelorum Miniſterio, qui *cum ſint adminiſtratorii Spiritus in Miniſterium miſſi pro-*

propter eos, qui *hæreditatem capiunt ſalutis.* Hebr. I. 14. Et res noſtras haud ignorant; aut eorum qui hinc ad Superos pergunt, Relatione Sanctis innoteſcere Preces, Neceſſitates, & Orationes noſtras.

680 III. Idem AUGUSTINUS. cit. lib. putat, Deum quoque non nunquam ſpeciali Revelatione Sanctis manifeſtare, „ quæ hic „ aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, „ & quos neceſſarium eſt ea noſſe, non „ ſolum præterita, vel præſentia, verum „ etiam futura: Sicut non omnes homines, ſed Prophetæ dum hic viverent, „ cognoſcebant nec ipſi omnia, ſed quæ „ illis eſſe revelanda, Dei providentia judicabat. „

681 IV. S. GREGORIUS Magnus ſup. cit. lib. XII. cap. 14. & Theologi paſſim docent, Sanctos in Eſſentia divina, ſeu, in *verbo*, tanquam in Speculo quodam lucidiſſimo, ea quæ ad ſe pertinent intueri, & divina Decreta legere, de quo vid. harum Prælect. Tom. II. pag. 64. & Tom. III. pag. 148. num. 191.

§. V.

§. V.

De Cultu S. Cruci exhibendo.

POstquam de Cultu, Interceſſione, & 682
Invocatione Chriſti, ac Sanctorum tractavi, de iis etiam breviter dicam, quæ utut inanima ſint, & ſenſus expertia, in Veneratione tamen apud Chriſtianos exiſtunt, minore quidem ea, quæ CHRISTO, Sanctis que defertur. Huc refero S. Crucem, Sanctorum Reliquias, & eorum Imagines, quorum ubi pium, licitumque Uſum ac debitam Venerationem contra Proteſtantes evicero, demum cum Orthodoxis Theologis diſputabo de genere Cultus rebus hisce inanimis exhibito, abſolutusne ille ſit, an *relativus*?

Quod ſanctam Crucem attinet, illa aut 683
pro ipſo Paſſionis Inſtrumento, in quo Chriſtus Morte ſua Mundum redemit, accipitur: aut pro aliis Imaginibus, ad veræ Crucis figuram pictis, ſculptis, aut quomodolibet expreſſis: aut pro Signo Crucis, Manuum agitatione exprimi ſolito, quamque Crucem *transeuntem* appellare licet.

De vera Chriſti Domini Cruce primum Inventionis illius Hiſtoria ſtabilienda, tum an Veneratione digna ſit, pertractandum. De Imaginibus Crucis inquiram, an ex-

primere eas, & colere liceat ? de Signo Crucis tranſeunte antiquum illius Uſum, Pietatem, Utilitatemque indagabo. Antequam iſta omnia diſtinctis Concluſionibus reſolvantur, præmittendus Catalogus Hæreticorum, qui hac in parte errarunt.

684 Prætereo GENTILES, JUDÆOS, MAHOMETANOS, quibus ex PAULI effato Crux CHRISTI *Scandalum* fuit, atque *Stultitia*; eos ſolum commemoro, qui cum Chriſtianos, ſeu, Crucifixi Sectatores, ſe profiterentur, contra Crucem tamen varie inſurrexerunt.

Et I. quidem teſte ſancto AUGUSTINO lib. VI. contra Fauſtum, veteres MANICHÆI Signum Crucis tranſiens tamquam pudendum aliquid ſpectabant.

685 II. PAULICIANI, ita appellati teſte ZONARA *ex Paulo & Joanne* (Filii hi erant Manichææ cujusdam mulieris, CALLINICIS nomine) *non Authoribus quidem perverſæ opinionis, ſed Sectatoribus, & Studioſis ſupra modum, & Præconibus*, non adorandum eſſe lignum, Execrationibus deditum Inſtrumentum, calumniabantur.

686 III. VALENTIS tempore BOGOMILI, qui ex CEDRENO etiam MASSALIANI, EUCHITÆ, & ENTHUSIASTÆ audiunt, eandem hæreſin docuiſſe dicuntur. Inimicis Crucis Chriſti accenſent nonnulli ICONOCLASTAS: at falluntur; ii enim Cruces ligno aut ære formatas, honorantes, reliquas ſolum ſa-

cras

cras Imagines frangendas docuere. Hæc in Oriente.

IV. In Occidente, maximo in Crucem odio debachatus est CLAUDIUS Taurinensis, Patria Hispanus, FELICIS Urgelitani Discipulus, LUDOVICO pio charus, *a quo ob Doctrinam Prædicationis Evangelicæ, quæ illi inesse videbatur*, sunt verba JONÆ Aurelian. Taurinensi Ecclesiæ præpositus fuit; hic enim non solum reliquas Imagines sacras pro More ceterorum Iconoclastarum, sed & Cruces confregit, & evertit. 687

V. Veterum MANICHÆORUM Errorem restaurarunt recentiores MANICHÆI in Gallia, Signum Crucis repudiantes, ut narrat Historia Aquitania. 688

VI. PETROBRUISIANI, eorumque Socii eundem errorem prosecuti sunt, quos BERNARDUS, Everwinus, & venerabilis ille PETRUS Cluniacensis confutarunt. 689

VII. CATHARI (si tamen diversi sint a PETROBRUISIANIS, & HENRICIANIS) se se inimicos Crucis CHRISTI declararunt, quam *Characterem Bestiæ* appellare consueverunt. 690

VIII. Damnatos præcedentium Hæreticorum Errores innovarunt WALDENSES, WICLEFITÆ, LUTHERANI & CALVINIANI; quamvis, ut verum fatear, Lutherani Signum sanctæ Crucis e Templis & Domi- 691

bus ſuis non eliminaverint, quod factum a Calvinianis.

692 RESOLUTIO I. Crux vera, in qua CHRISTUS pependit, ab HELENA revera inventa fuit.

Adeo manifeſta exſtant hujus Hiſtoriæ Teſtimonia, ut mirari ſubeat, qua Fronte Centuriatores MAGDEBURGICI, DALLÆUS, & SALMASIUS Calvinianus, eam nedum in dubium vocare, ſed & fabuloſam, ob unius EUSEBII ſilentium aſſerere non erubuerint.

I. Enim CYRILLUS Jeroſolymitanus, coævus, qui hujus Inventionis Teſtis oculatus eſſe poterat, ea de re ita loquitur Epiſtola ad CONSTANTIUM Imperat. „ *Tem-*
„ *pore Dilectiſſimi*, beatæque memoriæ
„ Patris tui Conſtantini, ſalutare Crucis
„ Lignum Hieroſolymis inventum eſt: divi-
„ na Gratia ei, qui Pietatem recte quæ-
„ rebat, etiam occultorum ſanctorum lo-
„ corum Inventionem annuente. „

693 II. S. AMBROSIUS Orat. de Obitu THEODOSII Magni Imperatoris. „ Helena feſtina-
„ vit Jeroſolymam, & ſcrutata eſt locum
„ Dominicæ Paſſionis . . . aperit Humum
„ . . . tria Patibula confuſa reperit . . .
„ Hæret ut Mulier; ſed certam Imaginem
„ ſanctus Spiritus inſpirat . . . Quærit er-
„ go medium Lignum . . . redit ad Evan-
„ gelii Lectionem, invenit, quia in me-

„ dio

„ dio Patibulo prælatus Titulus erat. Je-
„ sus Nazarenus Rex Judæorum. Hinc
„ collecta est Series Veritatis, Titulo Crux
„ patuit salutaris. „

Testantur eandem Historiæ Veritatem 694
Rufinus lib. I. hist. cap. VIII., Paulinus Nolanus epist. XI ad Severum Sulpitium. Idem Sulpitius hist. sacræ lib. II., Theodoretus hist. lib. I. cap. XVIII., Socrates lib. I. cap. XIII., Sozomenus lib. II. cap. I., Chrysostomus hom. LXXXV. & infiniti alii, apud Gretserum; quorum omnium Fidem, accedente insuper Ecclesiæ Authoritate negare, protervæ Insaniæ est, præsertim cum Ecclesia in Honorem inventæ Crucis jam olim Festivitatem instituerit, hodieque quot annis celebret.

Obijc. Eusebius Cæsariensis, qui lib. III. 695
de Vita Constantini M. Helenæ gesta refert, de inventæ Crucis Historia altum silet.

Resp. Ergo ob Silentium unius Eusebii, cujus Authoritatem, ubi lubet, elevant Protestantes, tot integerrimæ Fidei, & Pietatis Viri, Mendacii, aut levissimi Animi arguendi sint? Hoc plane ab omni ratione alienum. Sed si tanta sit illis Eusebii Authoritas; legant, obsecro, quæ ille habet lib. III. de Vita Constantini cap. XXX., ubi Constantini ad Macarium Je-

roſolym. Epiſcopum litteras adducit: „ Vi-
„ ctor Conſtantinus, Maximus, Augu-
„ ſtus Macario. Tanta eſt Servatoris no-
„ ſtri gratia, ut nulla Sermonis Copia ad
„ præſentis Miraculi Narrationem ſufficere
„ videatur. Nam ſacratiſſimæ illius Paſſio-
„ nis Monumentum, ſub terra jam pri-
„ dem occultatum tot annorum ſpatio de-
„ lituiſſe, quoad communi omnium hoſte
„ ſublato, Famulis ejus in libertatem vin-
„ dicatis affulgeret, omnem revera admi-
„ rationem ſuperat. &c.„ Clarius loqui-
tur Commentar. in Pſalm. LXXXVII. N.
13. a MONTEFALCONIO edito. Clariſſime in
Chronico, a S. HIERONYMO Latinitate do-
nato, ubi hæc leguntur: „ Helena Con-
„ ſtantini Mater, divinis monita Viſioni-
„ bus, beatiſſimum Crucis Signum, in
„ quo mundi ſalus pependit, apud Jero-
„ ſolymam reperit.„

Sed quidquid ſit de EUSEBIO; potuit il-
le facile rem eo tempore notiſſimam omit-
tere, tanquam notatu ſuperfluam, aut Li-
brariorum incuria, præcipue ad finem
properantium negligi: aut, ſi EUSEBIUS
omnino nihil iſtius hiſtoriæ meminit; Ar-
gumentum *pure negativum* eſt, quo poſi-
tivum, & validiſſimum Argumentum no-
ſtrum infirmari non poteſt. Plura dabunt
GRETSERUS, & alii.

gno ſemper Chriſtianis in Pretio, & Veneratione fuit.

Etſi ex tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis expreſſa non exſtent hujusce Veneprationis Teſtimonia, eoquod temporum illorum Monumenta Pleraque interierint, & Crux ipſa a tempore ADRIANI altum defoſſa & abſcondita jacuerit; Conjecturæ tamen fortiſſimæ, & alia Argumenta non deficiunt.

Et *Primo* quidem, cum Chriſtiani Sanctorum Martyrum Reliquias, ut Cathedram S. JACOBI, tanta Veneratione complexi fuerint, quod ſequenti quæſtione comprobabitur: Quis credat, minori eos affectu fuiſſe proſecutos SS. Crucem, CHRISTI Sanguine cruentatam, & Redemptionis noſtræ præcipuum Inſtrumentum, in quo certe Gloriam ſuam poſuit PAULUS Apoſtolus, quando ait: *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce D. N. J. Chriſti &c.* Ad hæc, cum Imagines, ad veræ Crucis Figuram efformatæ, & Crux ipſa, Manuum agitatione expreſſa, primis Chriſtianis magno in Honore fuerint, ut ſequentibus ſtabilietur; quis dubitet, maxima Veneratione eos Dominicam Crucem ipſam proſecutos fuiſſe. Noverant id Gentiles; qui propterea loca ſancta, Idolis profanare ſtuduerunt, ne a Chriſtianis frequentarentur, quod S. HIERONYMUS teſtatur, epiſt. ad Paulinum. „ Ab Adriani tempore usque „ ad Imperium Conſtantini per annos cir-

„ citer 180. in loco Resurrectionis Simu-
„ lacrum Jovis : in Crucis Rupe Statua
„ ex Marmore Veneris a Gentibus posita
„ colebatur, existimantibus persecutionis
„ Authoribus, quod tollerent nobis fidem
„ Resurrectionis, & Crucis, si loca san-
„ cta per Idola polluissent. „

697 Quantus vero Cultus recens inventæ Cruci delatus fuerit, testatur S. Cyrillus Catechesi IV., ubi narrat, Christianos ex omnibus Mundi Partibus ad honorandam Christi Crucem Jerosolymam confluxisse, & cum erogatis in singulos hujus pretiosi Ligni Partibus plenus esset orbis terrarum, Lignum tamen ipsum insigni Miraculo integrum perstitisse. S. Ambrosius supra N. 693. citatus ait de Helena : „ Invenit ti-
„ tulum, Regem adoravit, non lignum
„ utique, quia hic gentilis est error . . .
„ Sed adoravit illum, qui pependit in
„ ligno, scriptus in titulo „ & ibidem „
„ Crucem in capite Regum levavit, ut
„ Crux Christi in Regibus adoraretur. „
Paulinus pariter supra citatus refert, diem Crucis honori constitutam. Hieronymus Paulam laudat, Epist. XXVII. ad Eustochium, *quod prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasset.* Theodoretus de curandis Græcorum affectibus orat. VI. Religionem nostram deprædicat, *quod Græci, Romani, Barbari, Crucifixum Dominum pronuntiarent, Crucisque signum hono-*

honore prosequerentur. Citatus PAULINUS, & alii referunt, ter in anno crucem publice expositam fuisse omni Populo solenniter adorandam. Quanta vero Religione, & Desiderio veræ Crucis Particulas expeterent Christiani, testis est GREGORIUS Niss. in vita MARINÆ Sororis, cit. PAULINUS, & alii &c., quæ omnia fusius deducit GRETSERUS.

OBJIC. I. Si Crucem venerandam esse ve-698
lint Pontificii ob Contactum Salvatoris; eadem veneratione dignari debebunt, Os Proditoris, & Asinum, cui Salvator insedit.

RESP. Perfidas Judæ fauces, & Asinum libenter Adversariis osculanda permittam. Nos vero disparem rationem damus, quod inanimata, seu Sensus, aut Rationis expertia, honorari possint ob eam, quam ad alienam Excellentiam dicunt, Relationem: Illa vero, quæ Sensu aut Ratione prædita sunt, non-nisi propter insitam sibi dignitatem honorentur; cum ergo nec Ori Proditoris, nec Asinæ propria insit Excellentia, nullo eos Honore dignamur. In Codice manuscripto nostri Monasterii Sæculo XII. circiter exarato, de Ecclesiasticis Officiis ad istam Quæstionem: Quare non adoretur Asina, sive cetera talia, quæ Dominus tetigit, ut Crux: Respondetur:
„ Ideo, quia non leguntur Miracula &
„ Sanitates ex his fieri, neque per Asi-

„ nam aliqua redimi, neque Diaboli Ar-
„ tes, neque Portas Inferni per illam dif-
„ ſipari, neque Animas Juſtorum ductas
„ in Paradiſum, ſicut ex Virtute S. Crucis. „

699 Objic. II. Crux potius execranda eſt, utpote quæ Christo doloroſa, & admodum probroſa exſtitit.

Resp. Execramur Crucifixores, qui iſtos Christo Dolores cauſarunt: Crux vero ipſa Christo Tropl.æum fuit, & ingens cauſa Gloriæ: Nam propter mortem Crucis Deus *exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen.*

700 Resolutio III. Imagines ad veræ Crucis formam elaboratæ, omni tempore Chriſtianis in Uſu, & Veneratione fuerunt.

Prob. I. Prudentius de SS. Martyribus Caliguritanis Hermeterio, & Cheledonio ita canit:

Cæſaris Vexilla linquunt,
Erigunt ſignum Crucis,
Proque ventoſis Dæmonum,
Quæ gerebant Palliis,
Præferunt inſigne lignum,
Quod Draconem ſubdidit.

Et Martyrologium Romanum 12. Martii de S. Porchario, & 500. Monachis Inſulæ Lerinenſis: *Vexillum S. Crucis, quod in agmine Dux bonus præferre conſueverat, defi-*

defixa cuſpide ponens, inſtaurat animos dictis.

II. Teſtatur BOLDETUS, Primos Chriſtia- 701
nos Crucis Signa Veſtibus, Imaginibus, quin & Fronti impreſſa habuiſſe, variaque allegat Monumenta. Lib. I. Animadv. in Cœmeteria. cap. XV.

III. Primos Chriſtianos in Annulis & 702
Clypeis Cruces inſculptas habuiſſe, teſtatur EUSEBIUS lib. VI. Demonſt. Evang. cap. XXV. HEINECCIUS, & ipſe Heterodoxus, de veteribus Sigillis part. I. cap. VIII. CASALIUS de vet. ſac. Chriſtian. Ritibus pag. 30.

IV. In Sacris quoque Ritibus adhibita 703
fuiſſe Crucis Signa, ſequentia comprobant. Acta S. GREGORII Magnæ Armeniæ Epiſcopi apud SURIUM ad diem XXX. Septemb. & EUTHYMIUM. „ Martyr igitur „ Gregorius Crucem hic (in Templo) „ quoque ſtatuit, & jubet multitudinem, „ quæ illis aſſidue verſabatur, & eo ventitabat, prompto & alacri animi ſtudio „ Deo cultum offerre per adorationem „ Crucis.„ Conſtitutiones Apoſtolicæ, in quibus Veſtigium Crucis reperiri negat DALLÆUS, ita habent III. 17. „ Baptiſmus „ igitur datur in mortem Filii Dei: Aqua „ adhibetur pro Sepultura, Oleum pro „ Spiritu S. Signum Crucis pro Cruce.„

V. Diu ante CONSTANTINI tempora Mar- 704
tyr um

tyrum Sepulturis, Tumulisque inſcriptas fuiſſe Cruces, ARINGUS, & BOLDETUS infinitis propemodum Exemplis demonſtrant, quorum aliqua adducit TROMBELLUS de Cruce Sect. III. cap. II. §. 15. &c.

705 VI. Acta SS. Theodoti & 7. Virginum, quæ rigidiſſimis Criticis probata ſunt, apud noſtrum RUINARTUM in Actis ſinceris Martyrum, hæc tradunt pag. m. 344. n. 17.
„ Rurſus ergo perterrefacti, Crucis Si-
„ gnum ſuæ quisque impreſſit fronti, &
„ mox apparuit eis Crux illuſtris, quæ
„ videbàtur ex parte Orientali radium igni-
„ tum emittere, . . & genibus flexis ado-
„ raverunt verſus locum, unde Crux ap-
„ parebat „

706 VII. ASTERIUS Orat. de S. EUPHEMIA.
„ Virgo Euphemia iterum carcerem petens
„ in pulla Veſte ſola ſedet, manusque ad
„ Cœlum extendens Deum malorum de-
„ pulſorem alloquitur. Fundente autem
„ hac Oratione apparet ſuper caput illius
„ Signum, quod *Chriſtianorum Conſuetudi-*
„ *ne* adoratur, & paſſim inſcribitur. „
Iſte Sæculi IV. Scriptor jam de Conſuetudine teſtatur. Ergo jam ante IV. Sæculum Crux Chriſtianis in Uſu & Veneratione exſtitit.
Quantum vero IV. Sæculo reddita Eccleſiæ per CONSTANTINUM Pace, Uſus & Veneratio Imaginum Crucis propagatus fuerit,

rit, ſupervacaneum arbitror demonſtrare; cum Heterodoxi id minime negare queant. Ita certe Exemplo ipſius CONSTANTINI, Cruces paſſim honorifice erigentis, ejus Veneratio invaluit; ut ipſis etiam Iconoclaſtis, qui ſummo tamen in alias Imagines furore debachabantur, Imagines Crucis in æſtimatione fuerint.

VIII. Ad antiquitatem Cultus, S. Cru-707
ci exhibiti, demonſtrandam, Joannem Damaſcenum inſuper adducere lubet, qui ad Apoſtolica Tempora illum refert. Lib. IV. de Fide cap. XVII. „ Eſt autem hæc tra-
„ ditio (de Cultu Imaginibus adhibito lo-
„ quitur) ex illis, quæ in Scripturis mi-
„ nime expreſſæ ſunt, ut ea, qua ad Ori-
„ entem verſi adoramus, nec non illa,
„ qua Crucem veneramur. „ Hæc, ni fallor, & alia innumera, quæ proferre poſſem Antiquitatis Monumenta, ſatis probant, S. Crucis Imagines omni Tempore, etiam in prima Eccleſia, Fidelibus in Uſu ac Veneratione fuiſſe. Quodſi vero Eccleſiam propterea perpetui erroris accuſare quis velit; is inſanus fuerit, & divinæ oblitus Promiſſionis, qua Eccleſiam *Columnam Veritatis*, & continua S. Spiritus Aſſiſtentia munitam eſſe, conſtat.

RESOLUTIO IV. Signum Crucis, Manuum 708
agitatione exprimi ſolitum, Uſus eſt antiquiſſimi, pii, & utiliſſimi.

PROB.

PROB. I. TERTULLIANUS, Apoſtolicis Temporibus proximus, eum uſum ſuo tempore univerſalem, & frequentiſſimum fuiſſe teſtatur, *De Corona militis*. cap. III. „ Ad „ omnem Progreſſum, atque Promotum, „ ad omnem Aditum, & Exitum, ad Ve„ ſtitum & Calciatum, ad Lavacra, ad „ Menſas, ad Lumina, ad Cubilia, ad Se„ dilia, quæcunque nos Converſatio ex„ ercet, Frontem *Crucis Signaculo teri„ mus*. „ Cujus frequentiæ Cauſam in Tra„ ditionem rejicit, & pergit. „ Harum & „ aliarum ejusmodi Diſciplinarum, ſi Le„ gem expoſtulas Scripturarum, nullam in„ venies; Traditio tibi prætendetur Au„ ctrix, Conſuetudo confirmatrix, & Fi„ des obſervatrix. „

S. BASILIUS de Spiritu S. cap. XXVII. „ Ex aſſervatis in Eccleſia Dogmatibus, „ & Prædicationibus, alia quidem habe„ mus e Doctrina ſcripto tradita, alia ve„ ro nobis in Myſterio tradita recipimus „ ex Traditione Apoſtolorum: quorum „ utraque vim eandem habent ad Pieta„ tem. Verbi gratia, ut id, quod pri„ mum eſt & vetuſtiſſimum, primo loco „ commemorem, ut Signo Crucis eos, „ qui Spem collocant in CHRISTO ſigne„ mus &c. „

S. CYPRIANUS epiſt. LVIII. Thibaritanos ad Martyrium cohortans, ait: *Muniatur Frons, ut Signum Dei incolume ſervetur*. Item de unit. Eccleſ. *Ubi ſignantur, qui*

qui Dominum promerentur. „ ORIGENES in cap. IX. Ezechiel. verſ. 4.; Tertius vero „ quidam ex eorum numero, qui Chriſto „ Nomen dederunt, ajebat, vetera Ele- „ menta ſic litteram *Tau* exhibere, ut Fi- „ guram Crucis referat, eſſe Vaticinium „ illius Signi, quod apud Chriſtianos in „ Fronte effingitur, quodque Fideles om- „ nes faciunt, quidquid operis aggredian- „ tur, ac maxime vel precum, vel ſacra- „ rum Lectionum initio. „ Taceo LACTAN- TIUM lib. IV. Inſtit. cap. XXVI., taceo Acta Martyrum primorum Sæculorum apud RUINART, quæ uſum iſtum & antiquiſſi- mum, & frequentiſſimum eſſe, manifeſte comprobant.

Utilitatem vero illius, ac pietatem fre- 709 quentibus Deus manifeſtavit miraculis. Te- ſtatur namque BASILIUS Seleucienſis S. THECLAM, PAULI Apoſtoli diſcipulam, pa- ratos ſibi Ignes Signo Crucis extinxiſſe. GREGORIUS Niſſenus in Vita S. GREGORII Thaumaturgi refert, quemdam ejus Diſci- pulum Vi ſanctæ Crucis Dœmonem e Bal- neis expuliſſe. S. ATHANASIUS in Vita ſancti ANTONII refert, Eundem ſanctum ANTONIUM Dæmones ſæpius Crucis ſigno fugaſſe, quod idem de HILARIONE teſtatur HIERONYMUS in ejus Vita.

S. EPIPHANIUS Hæreſi 13. narrat, mu- lierem quamdam Chriſtianam hujus Signi Virtute ab importuna laſcivi cujusdam Ju-

venis

venis Petulantia se liberasse. Ipse etiam Julianus Apostata, ut refert Gregorius Nazianz. Orat. III. cum inter magicas Operationes, Dæmonum sibi apparentium conspectu fuisset consternatus, ad nota Christianorum Arma se contulit, & a Dæmonibus se liberavit.

710 Quærentibus, cur toties Crucis Signo sese munierint veteres, & nos cum illis?

Respondetur: 1. Ut Christi Passionem in Memoriam revocemus: 2. Ut Fiduciam omnem in Christo collocare nos testemur. 3. Quia contra Dœmones & Mala omnia Vim eidem inesse, tot Miraculis docti fuimus. 4. Ut monstremus nos non erubescere Crucem, nec aliud cum Paulo nos scire arbitremur, nisi Jesum, & hunc Crucifixum.

§. VI.

De Cultu SS. Reliquiarum.

711 DE hostibus SS. Reliquiarum non est, quod hic pluribus dicam; illi enim, quos supra N. 628. seq. Sanctorum Cultus inimicos recensui, Reliquiarum pariter, & multo magis, Venerationi adversari, nemini dubium esse potest, quibus omnibus Tridentinæ Synodi Decretum oppono sess. XXV. Ubi docet: „ Sanctorum

„ Mar-

„ Martyrum, & aliorum cum Chriſto vi-
„ ventium ſancta Corpora, quæ viva mem-
„ bra fuerunt Chriſti, & Templum Spi-
„ ritus ſancti, ab ipſo ad æternam Vitam
„ ſuſcitanda, & glorificanda, a Fidelibus
„ veneranda eſſe, per quæ multa Benefi-
„ cia a Deo Hominibus præſtantur: ita
„ affirmantes Sanctorum Reliquiis Vene-
„ rationem atque Honorem non deberi;
„ vel eas, aliaque ſacra Monumenta a
„ Fidelibus inutiliter honorari, atque ea-
„ rum Opis impetrandæ Cauſa Sancto-
„ rum memorias fruſtra frequentari, om-
„ nino damnandos; prout jam pridem dam-
„ navit, & nunc etiam damnat Eccleſia. „
Huic Decreto conformis ponitur

RESOLUTIO. Cultus, qui SS. Reliquiis de- 712
fertur, antiquiſſimus, pius & utilis eſt.

PROB. I. Ex S. Scriptura, in qua Deus Sanctorum Corpora, Veſtes, Umbram, Miraculis honoravit, & vel inde eorum Cultum ſibi acceptum eſſe oſtendit. Sic namque Exod. XIII. 19. *Tulit Moyſes oſſa Joſeph ſecum*, quæ ut ait Eccleſiaſticus, *viſitata ſunt, & poſt Mortem prophetarunt.* Eccleſ. XLIX. 18.

Deuteron. XXXIV. 6. &c., Deus ipſe, ſaltem per Angelum, ſepelivit Moyſis Corpus, de quo diſputans altercatus fuiſſe dicitur MICHAEL Archangelus. Judæ verſu 9., quæ Altercatio JANSENIO Iprenſi, in hunc locum Judæ, in eo poſita fuiſſe videtur,

quod cuperet Diabolus Corpus Moysis non occultari, ſed propalari, ut divinis afficeretur honoribus ab Iſraelitis, ad Idololatriam proniſſimis.

IV. Regum II. 8. & 14. Pallio Eliæ diviſæ ſunt Aquæ Jordanis. ergo Reliquiis Sanctorum Vis aliqua ineſſe videtur. Item IV. Regum XIII. 21.: *Cadaver, cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, revixit homo.* Hinc dicitur Eccli. XLVIII. 14., *& mortuum prophĕtavit corpus ejus.*

Matth. IX. 20. &c.: *Mulier, quæ Sanguinis fluxum patiebatur . . . tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti . . . & ſalva facta eſt;* Vid. & Matth. XIV. 36.

Act. V. 15., Tantæ Virtutis reputabatur vel umbra Apoſtolorum, *ut in plateas ejicerent infirmos - - ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Act. XIX. 11. &c. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita etiam ſuper languidos deferrentur a Corpore ejus ſudaria & Semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus Nequam egrediebantur. &c.*

713 Prob. II. Perpetua Eccleſiæ Praxi. Jam primo Sæculo Cathedra ſancti Jacobi Apoſtoli a Fidelibus ſummo Honore ſervata eſt, ut teſtatur Eusebius ſupra n. 634. citatus

Secun-

Secundo Sæculo ex Actis ſancti IGNATII Martyris, ab ipſius Diſcipulis conſcriptis, conſtat, Diſcipulos relictas ex beſtiarum devoratione Reliquias ſolicite collegiſſe. Ita loquuntur Acta apud RUINART: „ Solа enim aſperiora ſanctorum Oſſium re„ licta ſunt, quæ in Antiochiam repor„ tata ſunt, & in capſa repoſita, ſicut „ Theſaurus inappretiabilis, ab ea, quæ „ in Martyris Gratia ſanctæ Eccleſiæ re„ licta. „ Sed & ipſe IGNATIUS in Epiſtola ad Romanos, cum Fidelium ſolicitudinem in colligendis, & venerandis Martyrum Reliquiis perſpectam haberet, hæc ſcribit: „ Feris potius blandimini, ut mi„ hi Sepulchrum fiant, nihilque derelin„ quant; ne poſtquam obdormiero, gra„ vis alicui fiam: „ ut nempe nulli Fratrum gravis fieret ob ſuarum Reliquiarum Collectionem, quod notat Vossius apud COTELERIUM Patrum Apoſtol. Vol. II. pag. 27.

Eodem ſecundo Sæculo Eccleſia SMYRNENSIS apud EUSEBIUM teſtatur, ſe ſancti POLYCARPI Reliquias ſumma Veneratione proſequi. Videatur N. 635. & 647.

Tertio Sæculo, cum S. CYPRIANUS ſub714 Ictu eſſet, ne quid ejus ſanguinis in terram efflueret, quod Chriſtiani pro ſua Pietate colligere non poſſent, „ Linteamina „ & Manuaria ante eum mittebantur. Poſt „ mortem vero ejus Corpus in proximo „ poſitum eſt cum Cereis & Scolacibus,

„ cum Voto & Triumpho magno.„ Ita referunt Acta proconsularia, & Acta Martyrum a RUINARTO nostro edita, ubi plurima Cultus, Reliquiis adhibiti, exstant Argumenta. Ex quarto, & posterioribus Sæculis Testimonia adducere, supervacaneum censeo; fatentur enim Heterodoxi, ab isto tempore invaluisse Reliquiarum Venerationem, qui propterea quarti Sæculi Patres *Reliquiarios*, & *Cinerarios*, appellant, ab antecessore suo VIGILANTIO edocti.

715 Profero nonnulla Patrum Testimonia, quæ simul Rationem Dogmatis nostri reddunt.

CYRILLUS Jerosolymitan. Cateches. 18. n. 16. nov. edit. „ Ut autem non animæ so-
„ lum Justorum honorarentur, sed cre-
„ derentur etiam in Justorum Corporibus
„ jacere vim penitus insitam, projectus in
„ Monumentum ELISÆUS mortuus, mor-
„ tuum Prophetæ Corpus attingens vi-
„ tam concepit. Mortuum Prophetæ Cor-
„ pus, id quod animæ videbatur opus es-
„ se, perfecit, quodque mortuum jace-
„ bat, mortuo vitam dedit, & quod vi-
„ tam dabat, ipsum in mortuis similiter,
„ ut ante remansit, qua de causa? Ut ne
„ si resurrexisset Elisæus, Animæ ejus so-
„ li id factum imputaretur, & ut osten-
„ deretur, absente etiam anima inesse vim
„ quamdam & Potestatem Corpori Sancto-

„ rum

„ rum propter Animam juſtam, quæ tot
„ annos inhabitaverit, ejusque uſa ſit Mi-
„ niſterio. Neque Fidem ei rei, quaſi non
„ ita ſit, inepte detrahamus. Si enim ſu-
„ daria, & ſemicinctia, quæ exterius ad-
„ hærent, ægrotantium Corporibus appli-
„ cata Infirmos erigebant, quanto magis
„ ipſum Prophetæ Corpus mortuum ex-
„ citavit? „

S. GREGORIUS Nazianzen. Orat. III. in JULIANUM Apoſtatam ita invehitur: „ *Tu-*
„ *ne illos* reveritus non es, quibus præ-
„ clari Honores ac Feſta conſtituta ſunt,
„ a quibus Dæmones expelluntur, & mor-
„ bi curantur, quorum Corpora tantun-
„ dem poſſunt, ac ſanctæ eorum Animæ,
„ ſive tangantur, ſive honorentur? hæc
„ *non colis, ſed contemnis? &c.* „

S. HIERONYMUS epiſt. ad Riparium: „ Si
„ non ſunt honorandæ Reliquiæ Marty-
„ rum; quomodo legimus? *Pretioſa in*
„ *Conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.*
„ Si oſſa Mortuorum polluunt contingen-
„ tes; quomodo Eliſæus mortuus mor-
„ tuum ſuſcitavit, & dedit Vitam Cor-
„ pus, quod juxta VIGILANTIUM jacebat
„ immundum &c. „ Et in opere contra VI-
GILANTIUM ita eum exagitat. „ Ergo Sa-
„ crilegus fuit Imperator Conſtantinus, qui
„ ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Ti-
„ mothei tranſtulit Coſtantinopolin, apud
„ quos Dæmones rugiunt? . . . Sacrilegus
„ & nunc dicendus eſt Auguſtus Arca-

„ dius, qui ossa beata Samuelis longo post
„ tempore de Judæa transtulit in Thraci-
„ am ? Omnes Episcopi, non solum Sa-
„ crilegi, sed & fatui judicandi sunt, qui
„ rem vilissimam & cineres dissolutos in
„ ferico, & vase aureo portaverunt ? . . .
„ O portentum, in ultimas terras depor-
„ tandum ! „ Innumera alia, quæ pro-
ferre possem Patrum loca, prætereo, quod facile apud alios legi possint.

716 Cum vero citati, aliique Patres, sæpe asserant, Reliquiis Sanctorum Homines, aut Loca sanctificari, vim quamdam eis inesse ad patranda Miracula &c., id ita intelligendum esse videtur ; non quod aut ipsæ Reliquiæ in se sanctæ sint, ea Sanctitate, quæ Animam rationalem Deo gratam efficit, aut eandem suo contactu Hominibus, Locisque conferre possint: sed quod Habitaculum fuerint Animæ sanctæ, Organum Spiritus sancti, Instrumenta Sanctitatis, Meritorum, & Gloriæ. Quoniam igitur sanctarum Reliquiarum intuitu heroici illorum Virtutum Actus, Fides & Constantia Martyrum, Pœnitentia Confessorum, Castitas Virginum &c. nobis ad memoriam revocantur, & ad eorum imitanda Vestigia, ad pares exercendos Virtutum Actus, Sanctorum Exemplo incitemur ; hinc est, quod eorum Reliquiis nos sanctificari, dicere possimus. Quæ autem a SS. Patribus Vis iisdem inesse dicitur fu-

gandi

gandi Dæmones, patrandi Miracula; non utique propria illis eſt inſita quædam Virtus: cum nec Animæ ſanctæ eadem competat, ſed ſoli Deo: ſed quemadmodum per Virgam Moysis, & Pallium Eliæ Deus patravit Miracula, ad oſtendendam ſuam Potentiam, & alios exequendos Fines; ita ad Præſentiam aut Contactum SS. Reliquiarum, non raro fugat Dæmones, Miracula patrat, Fidelium Vota exaudit &c., Intuitu ſcilicet Meritorum alicujus Sancti, quem hac ratione etiam in Terris glorificare, & Fideles ad Devotionem, Fidem, ac Imitationem eorum excitare intendit. Sicut itaque Honor, quem Reliquiis impendimus, in Sanctos fertur, ita Beneficia non per Reliquias, ſed per Sanctorum Merita & Interceſſionem a Deo impetramus.

Non poſſum non elegantem, & huic Ar- 717
gumento accommodum ſancti Ambrosii locum e ſerm. XIII. exſcribere: „ Quod ſi „ dicas mihi, quid honoras in Carne jam „ reſoluta, atque conſumpta, de qua nul- „ la jam cura Deo eſt? Et ubi eſt illud, „ Chariſſimi, quod ipſa Veritas loquitur „ per Prophetam: *Pretioſa in Conſpectu* „ *Domini mors Sanctorum ejus.* Et iterum: „ *Mihi autem valde honorificandi ſunt amici* „ *tui Deus.* Honorare debemus Servos „ Dei; quanto magis amicos Dei, de quibus „ alio in loco dicitur: *Dominus cuſtodit*

„ *omnia ossa eorum, unum ex his non conte-*
„ *retur.* Honoro ergo in Carne Martyris
„ exceptas pro Christi Nomine cicatrices;
„ honoro viventis memoriam perennitate
„ Virtutis; honoro per Confessionem Do-
„ mini sacratos cineres; honoro in cine-
„ ribus Semina æternitatis; honoro Cor-
„ pus, quod mihi Dominum Deum ostен-
„ dit diligere, quod me propter Domi-
„ num mortem docuit non timere. Cur
„ autem non honorent Corpus illud Fide-
„ les, quod reverentur & Dæmones? quod
„ & afflixerunt in supplicio, sed glorificant
„ in Sepulchro. Honoro itaque Corpus,
„ quod Christus honoravit in gladio, quod
„ cum Christo regnabit in Cælo.„ Quæ verba Cultum Reliquiis exhibendum esse, plane evincunt.

§. VII.

De Cultu SS. Imaginibus exhibendo.

718 *Imago*, definiente S. Joanne Damascено Orat. 1. adversus Imaginum Impugnatores, *est similitudo, sic Exemplar exprimens, ut ab eo tamen aliqua re differat; neque enim Imago in omnibus Exemplari similis est.* Tria enim ad Imaginem requiruntur: Res quæ repræsentatur: 2. Res quæ repræsentat: 3. Similitudo, seu, convenientia inter Rem præ-

præſentatam & præſentantem. Omiſſis aliis Diviſionibus, triplicis generis ſunt Imagines: I. *Sacræ*, ob Exemplar ſacrum, quod referunt. II. *Indifferentes*, quæ Rem nec probam, nec malam repræſentant: ut Imago Hominis, Floris &c. III. *Profanæ*, quæ Rem profanam, ſeu, irreligioſam exhibent: ut Imagines falſorum Numinum, quæ aliquid exhibent, quod in Exemplari non eſt; falſum ſiquidem eſt, Venerem eſſe Deam &c. Poſterioris Generis Imagines paſſim in Scriptura ſacra, & Eccleſiaſticis Scriptoribus vocantur *Idola*, *Simulacra*, & fere ſemper *Idoli*, aut *Simulacri* Nomine falſa Numina veniunt.

Priusquam ipſam de SS. Imaginibus Tra- 719
ctationem aggrediar, ICONOCLASTARUM Hæreſin præmittere juvat. Ut JUDÆOS, SAMARITANOS, SARACENOS, aliosque præteream, qui ex Legis ſuæ præſcripto Imagines abhorrebant; Iconomachorum inter Chriſtianos præcipuus videtur Anteſignanus XENAJAS, Natione Perſa, Secta Manichæus, conditione Servus, & a PETRO GNAPHEO Eutychianorum Theopaſchitarum Duce, Hieropolitanus Epiſcopus ordinatus, qui primus circa an. 485. Imagines Dei & Sanctorum abjecit, de quo THARASIUS Act. I. Concilii VII.

Inſana autem in Imagines Rabie præ omnibus aliis fæviit LEO ISAURUS, qui edito, anno 730. publico Edicto omnes Imagines aboleri

voluit. Cujus se impietati in Oriente præcipue opposuere GERMANUS Patriarcha Constantinopolitanus, & S. JOANNES Damascenus: in Occidente GREGORIUS II. in Romana Synodo, & GREGORIUS III.

720 CONSTANTINUS COPRONYMUS, LEONIS Hauri in Imperio, & Impietate Successor, convocato Constantinopoli anno 754. Conciliabulo 338. Episcoporum, Imaginum usum denuo abrogari jussit, & vatinianum hoc Odium una cum Regno in Filium LEONEM transmisit: quo tamen vita functo CONSTANTINUS pius Solium adeptus, in id cum IRENE Matre sua incubuit, ut Sanctorum Imaginum Cultum instauraret; quare & anno 787. Concilium generale convocari curavit, quod Constantinopoli inchoatum, & Nicææ demum perfectum, sacrarum Imaginum usum restituit, Cultumque definiit.

721 Imperante CAROLO Magno, CLAUDIUS Taurinensis in Occidentem Iconoclastarum furorem transtulit, quin & superavit; cum etiam Cruces &c., quibus illi in Oriente pepercerant, confringeret. Sed deo eo supra N. 687.

722 Damnatam Iconomachorum Hæresin resuscitarunt ii omnes, qui ipsis Prototypis Cultum negarunt, quos recensui supra N. 630. præcipue Sæculo XII., BOGOMILI, WALDENSES, ALBIGENSES, PETROBRUISIANI.,

XIV. Sæculo HIERONYMUS de Praga. XVI., LUTHERANI, & CALVINIANI, qui acerrime in SS. Imagines debachati sunt.

Priusquam Catholicæ Ecclesiæ Doctrina 723
explicetur, & roboretur, solerter secernenda sunt ea, quæ Dogmatis, & quæ Disciplinæ sunt. Quod ad Dogma pertinet, ita statuit TRIDENTINA Synodus sess. XXV. de sacris Imaginibus: „ Doceantur „ Fideles, Imagines Christi, Deiparæ Vir- „ ginis, & aliorum Sanctorum, in Tem- „ plis præsertim habendas & retinendas, „ eisque debitum Honorem & Veneratio- „ nem impertiendam; non quod credatur „ inesse aliqua in iis Divinitas, vel Vir- „ tus, propter quam sint colendæ, vel „ quod fiducia sit in Imaginibus figenda, „ velut olim fiebat a Gentibus, quæ in „ Idolis spem suam collocabant; sed quo- „ niam Honos, qui eis exhibetur, refer- „ tur ad Prototypa, quæ illæ repræsen- „ tant, ita ut per Imagines, quas oscula- „ mur, & coram quibus procumbimus „ & caput aperimus, Christum adoremus, „ & Sanctos, quorum illæ similitudinem „ gerunt, veneremur: id quod Concilio- „ rum, præsertim vero secundæ Nicænæ „ Synodi Decretis contra Imaginum Im- „ pugnatores est sancitum. „

Ad Disciplinam econtra pertinet 1. Ima- 724
ginum

ginum expreſſio, & *Uſus*, qui citra ullum Fidei & Dogmatis Præjudicium, pro Temporum exigentia non adhiberi, aut omnino interdici poteſt, etſi de ſe licitus ſit. 2. Imaginum *genus*; ſine abſurdo enim Diſcrimen aliquod ſtatui poteſt inter Imagines, & Statuas; ita ut illæ nonnunquam approbari, hæ vero removeri queant; aut ut exprimere quidem liceat Imagines Christi, & Sanctorum, non autem Dei, Trinitatis, aut Angelorum, de quibus aliquando dubitatum fuit. 3. Venerationis *modus*, & *Signa externa*; hinc ille pro diverſis Temporum & Regionum Moribus adeo diverſus fuit, eſtque hodie, & variis Nominibus, nunc *Adorationis*, nunc *Venerationis*, &c. exprimitur. Itaque ad Fidem nullatenus pertinet, quis Honor Imaginibus debeatur; *abſolutus* ille ſit, an *relativus*? utpote de quo nihil hactenus definitum fuit, & inter Theologos adhuc diſceptatur. His præmiſſis ſequitur

725 Resolutio I. Imagines Chriſti, & Sanctorum, in Eccleſia recte collocantur.

Prob. Pars I. Nullo enim Jure in novo Teſtamento (de Veteri dicam in Objectionibus) Imaginum Uſus in privatis Dominibus prohibetur: ergo neque in Eccleſiis. Antecedens facile ab Adverſariis admittitur, eoquod ſint inſtar Libri, qui ſacras Hiſtorias deſcribit, ad Memoriam revocat,

cat, & muta quadam Voce ad ſequelam Virtutum nos incitat, aut a Vitiis abſterret. Jam vero idem eſt Finis, eadem Utilitas Imaginum in Eccleſiis: ergo recte illic collocantur. GREGORII Magni eſt hæc Ratio; cum enim ineunte Sæculo VII. SERENUS, Maſſilenſium Epiſcopus, Imagines in ſuis Eccleſiis confregiſſet, equod rudi & indoctæ Plebi Occaſio Idololatriæ eſſent, ita eum corripit epiſt. III. lib. VII. „ Præ-
„ terea indico, dudum ad me perveniſſe,
„ quod Fraternitas veſtra quosdam Imagi-
„ num Adoratores aſpiciens, easdem Ec-
„ cleſiæ Imagines confregit, atque proje-
„ cit. Et quidem Zelum vos, ne quid ma-
„ nu factum adorari poſſit, habuiſſe, lau-
„ davimus; ſed frangere easdem Imagines
„ non debuiſſe, judicavimus; idcirco enim
„ Pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi qui
„ litteras neſciunt, ſaltem in Parietibus vi-
„ dendo legant, quæ legere in Codicibus
„ non valent &c.

PROB. II. Eccleſiæ conſuetudine: ubi fa- 726
teri quidem cogimur, prioribus Sæculis non adeo frequentem Imaginum in Templis uſum fuiſſe; non tamen fuiſſe nullum, patet ex TERTULLIANO lib. de Pudicitia cap. VII. & X., ubi memorat, CHRISTI, Paſtoris Habitu Ovem ad Ovile reducentis, Figuram ſacris Calicibus inſculptam fuiſſe. EUSEBIUS lib. VII. hiſt. cap XVIII. narrat, Mulierem illam, quæ ſanguinis fluxu a CHRI-

STO

sto curata fuerat, Paneade, unde oriunda erat, æream Satuam erexisse in Honorem Christi, quam deinde a Christianis in Ecclesiam introductam fuisse, testantur Philostorgius Arianus lib. IX. cap. III., Sozomenus lib. IV. cap. XX.

Idem Eusebius lib. III. de vita Constantini refert, in Templis a Constantino erectis multam fuisse Imaginum ex Auro & Argento copiam. Gregorius Niss. Orat. de sancto Theodoro: Asterius serm. de sancta Euphemia: Paulinus epist. XII., qui omnes Sæculo IV. vixerunt, testantur de Usu Imaginum in Templis. A IV. vero Sæculo, & subsequentibus frequentes fuisse in Ecclesiis Imagines, ex Gregorio M. cit. aliisque Patrum Testimoniis, tum ex ipsa Iconomachorum Rabie, manifeste patet.

727 Objic. I. Concilium Eliberitanum, quod aliqui ad Finem Sæculi III. referunt, can. 36. ita statuit, „ Placuit Picturas in Ec„ clesia esse non debere; ne quod coli„ tur, & adoratur, in Parietibus depinga„ tur. „

Resp. Jam supra observatum est, Imaginum *Usum*, Rem Disciplinæ esse, adeoque eundem pro variis temporum circumstantiis prohiberi posse. Si enim Tempore Diocletiani, aut non multo post, hoc celebratum sit Concilium; volebant Patres, Imagines in Ecclesia esse non debere, ne

in-

ingruente Perſecutione Infidelibus deſpectui eſſent; ideo loquuntur de Imaginibus, in Pariete depictis, quæ tempore Perſecutionis amoveri non poſſent; non vero de aliis Tabulis, aut Statuis, quæ facile occultari, & Gentium deriſui ſubmoveri poſſent. Aut ne forte aliquibus, recens ex Infidelitate converſis, Occaſio Idololatriæ eſſent. Admodum enim circumſpecti erant ELIBERITANI Patres, ut etiam Fœminas in Cœmeterio pervigilare prohiberent, ob Periculum Scandali. Emanuel SCHELSTRATUS exiſtimat, *publicarum* Imaginum Uſum, non item *privatarum*, ob *Diſciplinam Arcani* interdictum fuiſſe. Plures aliæ apud TROMBELLUM Reſponſiones inveniuntur.

OBJIC. II. EPIPHANIUS Salaminæ in Cy- 728
pro Epiſcopus, epiſt. ad JOANNEM Jeroſolymit. narrat, ſe Velum, in Foribus Eccleſiæ pendens, & habens Imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujusdam (non enim memini, ait, cujus Imago fuerit) ſcidiſſe:
„ Cum ergo, pergit, hoc vidiſſem, in Ec-
„ cleſia Chriſti contra Authoritatem Scri-
„ pturarum Hominis pendere Imaginem;
„ ſcidi illud, & magis dedi conſilium Cu-
„ ſtodibus ejusdem loci, ut Pauperem mor-
„ tuum eo involverent. „

Idem EPIPHANIUS epiſt. ad Theodoſium, hæc habet, quæ referuntur in Concil. VII. Act. VI. „ In hoc memoriam ha-
„ bete, Filii dilecti, ne inducatis Imagi-

„ nes

„ nes in Ecclesias, neque in Cœmeteria „ Sanctorum, sed per memoriam habete „ Deum in Cordibus vestris. Sed neque „ in Domum communem; non enim ex„ pedit Christiano per oculos, & vagatio„ nem mentis efferri. „

Resp. Aliqui etsi Epistolam Epiphanii genuinam fateantur, hunc tamen locum suppositititium esse volunt; eoquod Iconoclastæ in Conciliabulo suo, ubi alia Epiphanii loca in suam Sententiam detorquent, hujus tamen non meminerint. 2. Ob diversitatem Styli & alia. Clarissimus Petavius arbitratur, eo tempore, quo Epiphanius Ecclesiæ suæ præerat, hanc in eadem viguisse Disciplinam, ut Imagines in Ecclesia non haberentur.

Vasquez respondet, in Velo Imaginem depictam fuisse cujusdam Hominis profani, qui nondum pro Sancto agnitus fuerit, hancque Responsionem suam multis probat. Alii aliter. Utcunque fuerit, Res Disciplinæ est, quæ variari potest. Quodsi Epiphanius sacris Imaginibus adversatus fuerit; non poterit ille universæ Ecclesiæ Præjudicium inferre, quod eleganter observat Damascenus Orat. I. de Imaginibus. „ Quod a paucis, & raro fit, Vim Legis „ in Ecclesia non habet; nec unius Sen„ tentia tanti Roboris fuerit, ut universæ „ Ecclesiæ, quæ ab extremo Terræ ad aliud „ extremum diffusa est, traditionem pos„ set evertere.

Ad

Ad alterum textum Resp. Eum & Heterodoxis adversari; utpote qui prohibet Imaginum usum, etiam in *Domibus privatis*. Patres Nicæni Concilii II. hanc Epistolam ad Theodosium, multis Argumentis suppositiam esse declarant, & Pseudo-Epiphanio opponunt Patrum Coævorum Doctrinam. Denique, quod jam sæpe monitum, de Usu Imaginum sermo est, adeoque de Disciplina, quæ mutari potest.

Resolutio II. Sacræ Imagines licite, 729
& sine Idololatria coluntur.

Prob. I. Ex S. Scriptura, ubi res inanimæ, & præcipue Arca, in honore habita fuisse, Viros Bethsamitas ob curiosum ejus Inspectum, & Oziam ob levem Contactum, punitos fuisse, refertur, Josue VII. 6. I. Reg. VI. 19. II. Reg. VI. 7. Quin & Psalm. XCVIII. dicitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: quo nomine Arca intelligitur juxta Paralip. lib. I. cap. XXVIII. 2. Atqui eadem est Ratio, de Imaginibus, quæ de Rebus aliis inanimis: quodsi ergo citra Idololatriæ Labem, Judæi Arcam, & alia venerabantur; quanto id magis Christianis licebit, quibus nulla lege Imaginum usus & Veneratio interdicta est?

Prob. II. Ex Conciliis. Trullanum Can. 739
LXXXII. Imagines appellat *venerabiles*. Concilia Romana sub Gregorio II. & III. Et Stephano IV. Concilium Nicænum II. seu Generale VII. Contra Iconoma-

chos hoc Dogma definierunt. Patres Nicæni II. Concilii ita ajunt: „ Sequentes „ divinitus inſpiratum Sanctorum Patrum no- „ ſtrorum Magiſterium, & Catholicæ Tra- „ ditionem Eccleſiæ (nam Spiritus S. „ hanc eſſe novimus, qui nimirum in „ ipſa inhabitat) definimus in omni cer- „ titudine & diligentia, ſicut Figuram „ pretioſæ ac vivificæ Crucis, ita vene- „ rabiles ac ſanctas Imagines proponen- „ das, tamque de caloribus ac teſſelis, „ quam quæ ex alia materia, congruen- „ ter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris „ Vaſis, & Veſtibus, & in Parietibus, „ ac Tabulis, Domibus & Viis: tam vi- „ delicet Imaginem Domini Dei, & Sal- „ vatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam in- „ temeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Dei „ Genitricis, honorabilium Angelorum, „ & omnium Sanctorum, ſimul & alio- „ rum Virorum. Quanto enim frequen- „ tius per imaginalem Formationem vi- „ dentur, tanto qui eas contemplantur, „ alacrius eriguntur ad Primitivorum ea- „ rum Memoriam, & Deſiderium, & ad „ Oſculum, & ad honorariam ſui *Ado-* „ *rationem* tribuendam, non tamen ad *ve-* „ *ram latriam*, quæ ſecundum Fidem eſt, „ quæque ſolam Naturam divinam decet, „ impertiendam: ita ut iſtis, ſicut Figuræ „ pretioſæ, & vivificæ Crucis, & ſanctis „ Evangeliis, & reliquis ſacris Monimen- „ tis Incenſum & Luminum oblatio ad

„ ho-

„ horum Honorem conficiendum exhi-
„ beatur, quemadmodum & antiquæ piæ
„ consuetudinis erat. Imaginis enim Ho-
„ nor ad Primitivum transit, & qui ado-
„ rat Imaginem, adorat in ea depicti sub-
„ sistentiam. Sic enim robur obtinet
„ sanctorum Patrum nostrorum Dogma,
„ id est, Traditio sanctæ Catholicæ Ec-
„ clesiæ, quæ a Finibus usque ad Fines
„ *Terræ suscepit Evangelium.* „

Concilium generale VIII. seu CONSTANTINOPOLIT. IV. Imaginum Cultum confirmat Act. X. Tridentinum supra N. 723. allegatum.

PROB. III. Ex Consuetudine & Traditione Ecclesiæ, quam SS. Patres nobis consignarunt.

S. BASILIUS Epistola ad Julianum transgressorem: „ Suscipio vero & sanctos
„ Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui
„ ad Deum Deprecationem faciunt . . .
„ pro quo & Figuras Imaginum eorum
„ honoro, & adoro, & veneror specia-
„ liter; hoc enim traditum est a SS. A-
„ postolis; nec est prohibendum: & ideo
„ in omnibus Ecclesiis nostris eorum de-
„ signamus Historiam. „ 731

S. CHRYSOSTOMUS in Liturgia sua præscribit, *ut Sacerdos ad Imaginem Christi Caput inclinet.*

S. ATHANASIUS lib. quæst. & respons. ad Antiochen. cap. XXXVIII. „ Absit,
„ ait, ut quemadmodum Græci faciunt,

„ nos Chriſtiani tanquam Deos, Imagi-
„ nes adoremus. Affectionis duntaxat,
„ & Charitatis noſtræ ſtudium erga Fi-
„ guram Perſonæ per Imaginem expreſſæ
„ declaramus. Itaque lignum ſæpe, quod
„ jam erat Imago, ſi Figura deleta ſit,
„ tanquam inutile comburimus. Quemad-
„ modum igitur Jacob, cum eſſet a vita
„ diſceſſurus, Faſtigium Virgæ Joſeph
„ adoravit, non Virgam ipſam honorans,
„ ſed eum, qui Virgam tenebat; ita nos
„ Chriſtiani non alia ratione Imagines co-
„ limus, niſi, quemadmodum etiam cum
„ Filios noſtros, & Patres oſculamur,
„ Animi noſtri Deſiderium indicamus &c.
„ Sicut & Judæus olim Legis Tabulas,
„ & duo Cherubim aurea, & ſculptilia
„ quondam adorabat, non Lapidis, Auri-
„ ve Naturam colens, ſed Dominum, qui
„ ea ut fierent; præceperat. „ Plurimos
alios Patrum Textus profert NICÆNA II.
Synodus Act. V. & VI. Sed pro Anti-
quitate Dogmatis confirmanda ſufficiat
THEODORUS *Studita*, qui apud SIRMON-
DUM Tom. V. N. 69. ita in LEONEM in-
vehitur: „ Nec locus ullus eſt, non Re-
„ gio, non Domus, in qua divinæ Ima-
„ gines affixæ non ſint: quippe omnibus
„ veneranda res eſt, cui Temporis lapſus
„ & Authoritas Honorem conciliarunt.
„ Annis igitur octingentis, & eo amplius
„ promulgatam, & AB OMNIBUS receptam,
„ atque confirmatam Imaginum Venera-
„ tionem

„ tionem, jamque unacum Christianismo
„ auctam, & propagatam (uno siquidem,
„ parique Gressu· incesserunt Christianis-
„ mus & Imaginum efformatio) tu nunc
„ Temporis momento, solaque pro Ani-
„ mi tui Libidine tollendam e medio cen-
„ suisti, & cum Dedecore explodenda, quæ
„ laudem, honoremque merebantur. „

PROB. IV. Ratione I. Illud Deo displi-732
cere non potest, in cujus Gratiam plurima patravit Miracula; atqui, ut legere est in VII. Synodo Act. V. & VI. plurima patravit Deus Miracula, Beneficia illis conferendo, qui venerabantur Imagines, severe castigando eos, qui illas contemserunt.

II. Si, quos diligimus ob egregias Do-733
tes, accepta Beneficia, Dignitates eximias, honoramus, si, inquam, eo ipso etiam eorum Imagines æstimamus, studiose servamus, nec ab Osculis quandoque, aut Lachrymis nobis temperamus, uti non raro contingit, ubi Filius dilectissimorum Parentum Effigiem, aut alius Dilectæ suæ Iconem contemplatur: si coram Imperatoris Imagine Caput aperire, aut alia Honoris Obsequia præstare solemus, sicque Cultu *civili*, & *politico* ipsa Prototypa in Effigie veneremur; quid ergo Inconvenientiæ, aut Idololatriæ in eo est, si Sanctorum Imaginibus *Sacrum* aliquem Cultum, & *Religiosum* deferamus, id est, Sanctos in eorum Imaginibus religiose

veneremur ? Id vero unum per Cultum Imaginum volumus.

III. Omnis Honor, quem Imaginibus impendimus, in ipsos repræsentatos redundat : sicut Injuria illata Statuæ Cæsaris, lædit Majestatem Cæsaris. Cum itaque Sanctis Honorem sacrum deberi, supra ostenderim ; consequens est, Cultum Imaginibus sacris præstitum, Sanctis exhiberi : econtra contemni Sanctos ab iis, qui eorum vilipendunt, aut confringunt Imagines.

734 Objic. I. Ex S. Scriptura. Ubi omnis Imaginum Usus, & Cultus interdicitur, tum Levitici XXVI. 1. Cum Deuteron. IV. 15. Item Exod. XX. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem ... non adorabis ea, neque coles.*

Resp. Etsi admittere cum multis Doctoribus possim, hisce Scripturæ, aliisque locis omnem Hebræis fuisse interdictum Imaginum Usum & Cultum ; lex illa tantum *positiva* fuit, & Hebræis, utpote ad Idololatriam proniſſimis, peculiaris, cui Deus ipse quandoque derogavit, uti Num. XXI. 8. ubi Serpentem æneum fieri præcepit. Item Exod. XXV. 18. ubi duo Cherubim ex utraque parte Oraculi ordinavit. III. Reg. VI. 23. Salomon alios duos Cherubim fecit. Item Versu 29. denuo cap. VII. 25. 36. cap. X. 20. variorum Sculptilium, & Statuarum fit Mentio. Audiatur Tertullianus de Idololatria cap. V. *Qui lege vetuit, Similitudi-*

nem

nem fieri; extraordinario Præcepto Serpentis Similitudinem indixit. TROMBELLUS cum aliis negat, omnem Imagimum Usum fuisse Judæis vetitum, sed falsorum Numinum tantum, aut earum Rerum, quæ ad Idololatriam eos facile perducere potuissent: aut certe prohibitum ipsis fuit, ne ullum *Latriæ* Cultum Imagini impenderent.

OBJIC. II. EZECHIAS zelo Dei accensus, „ *dissipavit Excelsa, & contrivit Sta-*
„ *tuas, & succidit Lucos, confregitque Ser-*
„ *pentem æneum, quem fecerat Moyses: si-*
„ *quidem usque ad illud tempus filii Israël*
„ *adolebant ei incensum.* IV. Reg. XVIII. 4. Atqui Serpens ille, fuit Figura & Imago CHRISTI in Cruce exaltandi. Ergo Imaginibus, etiam CHRISTI, nullus potest impendi Cultus, nec Thus adoleri: quod tamen faciunt Pontificii.

RESP. JUDÆI Serpenti æneo sacrificabant, adeoque Cultum *Latriæ* eidem im- 735
pendebant. *Incensi* enim nomine, quod Judæi extra Sacrificia non adhibebant, Sacrificium intelligitur. IV. Reg. XVII. 11. *Adolebant ibi Incensum super Aras, in morem Gentium.* Item cap. XXIII. 5. ejusdem libri, & alibi. Forte Serpentem illum omnino pro Idolo habebant; cum fiat mentio Statuarum, & Lucorum &c. Quam longe vero Cultus, nostris Imaginibus exhibitus, ab hac Impietate distet, clare innuit TRIDENTINA Synodus N. 723. cit. utpote qui Incensum non in solo Sacrifi-

cio adhibemus, sed etiam Clero & Populo, & Defunctis non raro adolemus.

736 OBJIC. III. Ex SS. Patribus S. IRENÆUS contra Hæreses I. 25. N. 6. CARPOCRATIANOS, & Gnosticos, Erroris arguit, quod depictam haberent Imaginem CHRISTI, eamque Sertis coronarent.

RESP. Carpocratiani & Gnostici superstitiosa Gentilium Sacrificia Imagini CHRISTI obtulerunt, eamque inter Simulacra Philosophorum paganorum collocarunt, ut testatur idem IRENÆUS loc. cit. & EPIPHANIUS Hæresi XXVII. hinc merito ab utroque carpuntur.

737 OBJIC. IV. S. AUGUSTINUS de Moribus Eccles. cap. 30. sic scribit: „ Nolite Se„ ctari Turbas inperitorum, qui vel in „ ipsa Religione superstitiosi sunt: . . . „ Novi multos esse Sepulcrorum & Pictu„ rarum Adoratores. „ Ergo AUGUSTINUS superstitiosum reputat Imaginum Cultum.

RESP. Augustinus aut de iis loquitur, qui moderatum Imaginibus Cultum deferebant, Gentium more existimantes, quamdam iis inesse Divinitatem; hinc Sacrificia, aut aliquid iis simile, offerebant. Aut eos perstringit, qui non Sanctorum Martyrum Tumulos & Imagines, sed ad Sepulcra quælibet, & Charorum Imagines, atque adeo profanas, Festa & Convivia celebrant, quem profanis Hominibus delatum Cultum, Christianæ Religionis Moribus repugnantem, AUGUSTI-

NUS

NUS redarguit. Quodsi, ut volunt Protestantes, de Sanctorum Imaginibus ibi sermo sit; contingere facile potuit, ut Abusus quidam in earum Veneratione apud imperitam Plebem irreperet: quem non AUGUSTINUS solum merito damnat, sed omni Tempore Ecclesia, præcipue in TRIDENTINA Synodo Sess. XXV. proscripsit, & eliminandum præcepit: *Omnis porro Superstitio in Sanctorum Invocatione, Reliquiarum Veneratione, & Imaginum sacro Usu tollatur* &c. Et jam olim GREGORIUS Magnus SERENUM Massilienssium Episcopum, Imagines ob immoderatum earundem Cultum confringentem, ita redarguit: „ Tua ergo Fraternitas, & illas „ servare, & ab earum Adoratu Popu„ lum prohibere debuit, quatenus & lit„ terarum nescii haberent, unde scientiam „ historice colligerent, & Populus in Pi„ cturæ Adoratione minime peccaret. „ Videatur integer GREGORII locus supra N. 725. adductus, cujus hic Epiphonema est.

OBJIC. V. Hic ipse GREGORII locus vehementer nobis obstare videtur. Namque S. GREGORIUS cum SERENO convenit, eumque laudavit, quod Imaginum Adorationem prohibuerit: in eo autem illum perstringit, quod earum nequidem Usum im Templis permitteret, cum ibi *solum ad instruendam Plebem* collocarentur. Ita enim ait GREGORIUS in alia Epistola, quæ est IX. libri IX. ad eundem SERE-738

NUM: „ Aliud eſt enim Picturam adorare, „ aliud per Picturæ Hiſtoriam, quid ſit „ adorandum, addiſcere. Nam quod le- „ gentibus Scriptura, hoc Idiotis præſtat „ Pictura cernentibus. . . . Frangi ergo „ non debuit, quod non ad adorandum „ in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas SOLUM- „ MODO Mentes fuit neſcientium colloca- „ tum. „ Ergo Imagines in Eccleſiis to- lerandæ ſunt, non ut colantur; *ſed ſolum- modo*, ut inſtruant rudem Populum.

RESP. GREGORIUS reprobat Adoratio- nem *ſtricte* acceptam, ſeu, *latreuticam*, Imaginibus exhibitam, quæ ad ipſas Ima- gines terminaretur, absque Relatione ad Prototypa; loquitur enim de ea adoratio- ne, quæ primo Decalogi Præcepto ad- verſatur. „ Oſtendendum, ait Epiſt. mox „ citata; quia omne manufactum adorare „ non licet; quoniam ſcriptum eſt: *Do- „ minum Deum tuum adorabis, & illi ſoli „ ſervies.* „ Quod vero GREGORIUS Cul- tum *Latriæ* minorem, ſeu, *Duliam*, quæ coram Imaginibus unice ad earum Proto- typa refertur, non reprobet, patet ex eo; quod in eadem epiſtola externos De- votionis Actus, uti eſt Proſtratio, Genu- flexio &c. admittat: „ Sed hoc, ait, ſo- „ licite Fraternitas tua admoneat, ut ex „ Viſione rei geſtæ Ardorem Compunctio- „ nis percipiant, & in Adoratione ſolius „ omnipotentis ſanctæ Trinitatis humili- „ ter proſternantur. „ In hoc vero con-

ſiſtit

sistit Cultus Imaginibus deferendus, uti innuit Tridentina Synodus N. 723. cit. eumque alibi GREGORIUS expresse approbat. lib. VII. Epist. LIV. „ Scio quidem, „ ait ibi, quod Imaginem Salvatoris no- „ stri non ideo petis, ut quasi Deum co- „ las, sed ob recordationem Filii Dei in „ ejus Amore recalescas, cujus te Ima- „ ginem videre desideras. Et nos qui- „ dem non quasi ante Divinitatem ante „ illam prosternimur, sed illum adoramus, „ quem per Imaginem aut natum, aut „ passum, aut in Throno sedentem re- „ cordamur. Et dum nobis ipsa Scriptu- „ ra ad memoriam Filium Dei reducit, „ animum nostrum aut de Resurrectione „ lætificat, aut de Passione demulcet. „ Quæ verba mentem GREGORII satis explicant, Cultumque unice ad Prototypa referri, satis demonstrant. Vid. idem GREGORIUS lib. VII. Epist. II. & V.

OBJIC. VI. Ecclesia Francica sub Carolo Magno, & LUDOVICO Pio, etsi Iconoclastas damnaret in CLAUDIO Turinensi, & Imaginum Usum in Ecclesiis admitteret; Cultum tamen earum omnem proscripsit, & Synodum NICÆNAM reformavit. Namque 739

1. Ipse Carolus Magnus editis Libris, quæ ab ipso *Carolini* dicuntur, omnem omnino Cultum, seu *absolutus* is sit, seu *relativus*, sacris Imaginibus negat. lib. II. cap. XXI. hæc profert: „ Solum Deum cole-

„ re,

„ re, ipſum adorare, ipſum glorificare
„ debere, totius divinæ Scripturæ tuba
„ terribilis inſonat. . . . Imagines vero
„ omni ſui Cultura, & Adoratione ſeclu-
„ ſa, utrum in Baſilicis propter Memo-
„ riam rerum geſtarum & ornamentum
„ ſint, an etiam non ſint, nullum fidei
„ Catholicæ afferre poterunt Detrimen-
„ tum. „ Item lib. III. cap. XVI. „ Di-
„ cant igitur, quibus hoc tam peculiare
„ eſt dicere, quia Imaginis honor in pri-
„ mam Formam tranſit; Dicant, ſi hoc
„ legerint, aut quibus valeant Teſtimoniis
„ approbare. „ Alibi negat, Sanctorum Imagines cum ſacris vaſis, Evangeliorum libris, cum Cruce, aut Reliquiis comparari poſſe: & totus in eo eſt, ut omnem Imaginum Cultum auferat.

740 2. Patres fere 300. Ex Hiſpania, Italia, Gallia, & Germania, FRANCOFURTI ad Mœnum An. 794. Congregati Can. 2. rejiciunt NICÆNÆ II. Synodi de colendis Imaginibus Decretum: „ Allata eſt in
„ medium (ita habent acta Concilii
„ FRANCOFURTENSIS) quæſtio de
„ nova Græcorum Synodo, quam de
„ adorandis Imaginibus Conſtantinopoli
„ fecerunt, in qua ſcriptum habebatur,
„ ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut
„ Deificæ Trinitati Servitium, aut Ado-
„ rationem non impenderent, anathema
„ judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Pa-
„ tres noſtri omnimodis adorationem &

„ Ser-

„ Servitium renuentes contempſerunt, at-
„ que conſentientes condemnaverunt. „

3. Gallicani Epiſcopi jubente Ludovico 741
Pio Pariſiis an. 825. congregati occaſione Diſſidii, quod circa Adorationem Imaginum in Oriente verſari, MICHAELIS & THEOPHILI Græcorum Imperatorum Legati nuntiaverant, Epiſtolam ſcripſerunt ad EUGENIUM, qua NICÆNUM II. Concilium ob definitam Adorationem Imaginum erraſſe declarant, *& eos omnes Erroris arguunt, qui Signum S. Crucis in Teſtimonium aſſumunt, ut eis ita licitum ſit adórare Imagines, ſicut lignum Sanctæ Crucis*: eumque hortantur, ut retento Imaginum uſu, Cultum earum interdicat.

4. JONAS Aurelianenſis, qui cum JERE- 742
MIA Senonenſi ut præfatam Epiſtolam EUGENIO traderet, a Patribus Pariſienſibus deſtinatus fuerat, etſi CLAUDIUM Taurinenſem, Imagines Crucis & Sanctorum auferentem, edito libro infectatus fuerit, ibidem tamen non niſi Imaginum *Uſum* defendit, *Cultum* vero reprobat, Græcosque & Italos redarguit, quod *debitum honorem divinitati, impenderent egeno & infirmo Simulacro.*

5. Tempore LUDOVICI Pii ABOGARDUS 743
Lugdunenſis Archiepiſcopus libro de *Picturis* & *Imaginibus*, variis in locis docet, nullum deberi Imaginibus Cultum, easque *ob Amorem potius & Recordationem, quam ob Religionis Honorem, aut aliquam*

Vene-

Venerationem more gentilium ab antiquis expressas fuisse. Item: *Nullus antiquorum Catholicorum unquam eas colendas, vel adorandas fore existimavit.* Ista, aliaque illius Ævi Scriptorum in Francia Testimonia, aperte, ut volunt Protestantes nonnulli, demonstrant, illius Regni Ecclesias a Græcorum, Italorumque superstitione abhorruisse, eamque damnasse.

744 His omnibus unica Responsio adhiberi potest, & fere eadem, quæ supra N. 738. objectis Gregorii locis adhibita fuit, idque tanto facilius, quod ipsimet illius temporis Galli se in hujus quæstionis Tractatione Magnum Gregorium ducem fuisse secutos asserant. Siquidem Author Librorum *Carolinorum*, Patres *Francofordienses & Parisienses*, aliique illius Ævi Errore Facti decepti, putabant, a Nicæna II. Synodo *Latreuticam* Imaginibus Adorationem decretam fuisse, quam proinde merito damnarunt, ipsamque Nicænam Synodum, ob manifestum, ut videbatur, Errorem, tanquam *Pseudosynodum* rejecerunt. Sed ut ordine singulis breviter satisfaciam:

745 Resp. ad 1. Quidquid sit de Authore, & Authoritate *Librorum Carolinorum*, de quibus alii latissime disputant, manifeste apparet, hujus Operis Authorem persuasum fuisse, Græcos *eandem* Sanctorum Imaginibus deferre adorationem & Cultum, qui vivificæ Trinitati debetur, aut

eum

eum Cultum *absolutum*, quem Sanctis deberi, nec ipse diffitetur; Præterquam enim, quod ex cit. Testimonio, aliisque plurimis constet, satis aperte se declarat lib. IV. cap. XVII. „ Quis ergo, inquit, unquam sani Capitis talem absurditatem „ vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut „ in tanto honore habeatur Picturarum „ varietas, quanto sancta vivificatrix & „ omnium operatrix Trinitas? & tale exhibeatur Servitium Picturæ, quale exhibetur Domino totius Creaturæ? „ Quod vero Author Carolinorum Librorum videatur omnem etiam *relativum* Cultum Imaginibus adimere; ex eo est, quod Patres Nicæni contra Iconomachos agentes, qui Imaginibus Crucis Cultum non negabant, Argumento *quasi ad hominem* usi, eandem reliquis Imaginibus Adorationem, *relativam* scilicet, deberi definierint: cumque Imagini Crucis Adoratio *Latriæ*, quæ tota ad Christum refertur, exhibeatur; concludebat Author, Adorationem Latriæ *relativam* Imaginibus Sanctorum a Nicænis Patribus adjudicatam fuisse. At vero mentem Patrum minime fuit assecutus; illi enim hoc unum volebant, quod, sicut Imagini Crucis nullus *absolutus Latriæ Cultus* exhibendus, sed Christus in ea Imagine adorandus est: ita Sancti in eorum Imaginibus, Cultu ipsis conveniente, hoc est, *Duliæ relativo*, prosequendi sint. Denique dum Ca-

rolini

rolini operis Author ægre fert, Sanctorum Imagines cum Cruce, Evangeliorum Libris, ſacris Vaſis, & Reliquiis, comparari, aut oſculis, Thymiamate, & genuflexione honorari; ita intelligendus eſt; quod non velit eadem externa Cultus Signa eisdem exhiberi, quæ Imagini Crucis, Reliquiis &c. jam tum in Gallia impendi conſueverant: quæ res cum meræ *Diſciplinæ* ſit, dicta vero exteriora Signa Sanctorum Imaginibus impendendi Uſus nondum eo Tempore in Gallia invaluerit; in ipſo *Dogmate* contrarium eſſe Authorem, minime ſequitur.

746 Resp. ad 2. Francofordienses Patres eodem *Errore Facti*, decepti, credideraut, Latreuticam Adorationem a Nicænis Patribus Sanctorum Imaginibus tributam fuiſſe. Depravata ſiquidem Nicæni Concilii Interpretatione ab Imperito quodam facta utebantur, qui Verba Constantini, Conſtantiæ Epiſcopi Seſſ. III. relata, male reddidit, uti ex eorum collatione manifeſtum fit. Sententiam enim ſuam ita expreſſerat citatus Epiſcopus: „ His conſentio, & „ concors efficiar: ſuſcipiens & amplectens „ honorabiliter ſanctas & venerabiles Ima„ gines: atque adorationem, quæ per *la„ triam*, id eſt, Deo debitam Servitutem „ efficitur, *ſoli* ſuperſubſtantiali, & *vivifi„ cæ Trinitati impendo.* „ Quæ Verba imperitus Interpres ita tranſtulit: *ſuſcipio & amplector honorabiliter ſanctas venerabiles Ima-*

Imagines, secundum Servitium adorationis, quod substantiali & vivificæ Trinitati, emitto.

Ex his facilis est Responsio ad 3. 4. &747
5tum; nam & PARISIENSES Patres, & alii coævi Scriptores, eadem imperita Versione usi, & præcedentium Vestigiis insistentes, in eodem Errore versati sunt. Verbo: Franciæ Orientalis, & Occidentalis Episcopi, duo docebant. 1. Contra CLAUDIUM Taurinensem, Imagines Sanctorum ob Amorem & Recordationem in Ecclesiis recte collocari, Magnum GREGORIUM Ducem professi. 2. Contra Græcos & *Italos*, quos falso crediderant, divinos Imaginibus honores impendere, omnem Cultum & *Adorationem* (quo nomine sola *Latria* ab ipsis intelligebatur) negabant, in Dogmate concordes, in disciplina a Græcis, Italisque diversi.

Quodsi his omnibus insuperhabitis quis-748
piam contendat, eos in *Dogmate* quoque a nobis dissensisse;

RESP. Illos reliquis in Oriente Italicis, Hispanicis, aliisque in Occidente Ecclesiis, nullum posse Præjudicium inferre. Supereſt, ut in quo positus sit ille Cultus, relativus sit, an absolutus, cum Orthodoxis Theologis disceptemus. Sit itaque

§. VIII.

An Cultus hactenus assertus, sit absolutus, aut relativus?

749 Hactenus dictum est de Cultu Sanctis exhibendo, contra Protestantes. Superest scholastica Controversia, an Cultus iste *absolutus*, aut *relativus* sit? Non autem de Imaginibus tantum, sed de vera Cruce Domini, & Sanctorum Reliquiis hic Sermo est, quo nempe Cultu illæ afficiendæ sint: an, dum eas honoramus, osculamur, coram eis procumbimus, aliisque externis Signis nostram Devotionem, & Subjectionem testamur, an, inquam, Mentis nostræ Affectus aliqua ratione in ipsas Imagines, Reliquias &c. tendat, in iis terminetur, iisve inhæreat: an vero omnis Cultus, quem iis exhibemus, ita ad eorum Prototypa feratur, ut nullo modo in Imaginibus, Reliquiis &c. sistat, nec illa *ratione sui*, & *propter* se ullam Venerationem mereantur. Hac in Quæstione tres præcipue sunt Theologorum Sententiæ: 1. Aliqui enim cum BELLARMINO & ESTIO, etsi fateantur, Cultum in Sanctos, quorum Imagines, aut Reliquias veneramur, primario & potissimum tendere, ipsas tamen Imagines, Reliquias &c. Cultu aliquo utut minore, *absoluto* tamen, & qui in ipsis Imaginibus terminetur, honorandas esse, quod Exemplo declarant: etsi enim, ajunt, Proximus diligatur propter Deum,

Deum, tamen & ipſe Proximus *ratione ſui* Amore dignus eſt & quidem diſtincto ab eo, quo Deum proſequimur: ita Imagines &c. etſi propter Sanctos honorentur, tamen & ipſæ diſtinctæ Venerationis objectum ſunt. 2. Alii cum ALENSI, BONAVENTURA &c. docent, Imagines, Reliquias &c. eodem Cultu honorari, quo Sancti honorantur, quoties cum ſuis Prototypis conjunctæ, ſeu, tanquam unum aliquod concipiuntur: coli autem Cultu diſtincto a Prototypis, quoties ſine Prototypis, & quaſi ſolitariæ apprehenduntur, quod Exemplo declarant; ſicuti enim Veſtes, quæ Regem circumdant, una cum Rege & pari Cultu honoramus; ita Imagines cum Prototypis apprehenſæ, eodem Cultu proſequendæ ſunt: & ſicut Legatus Regis, quatenus Regem repræſentat, non ſolum Honore regio, ſed & alio inſuper ſibi proprio honoratur; ita Imagines, Reliquiæ &c. unacum Prototypis conceptæ, non ſolum eo Cultu, qui Sanctis debetur, ſed & alio a priore diſtincto, ratione ſui, afficiendæ ſunt. 3. Tandem alii cum THOMASSINO, & plerisque modernis Theologis, volunt, Imagines, Reliquias &c. ſive cum, ſive ſine Prototypis conſideratas, non poſſe Cultu aliquo *diſtincto* & *abſoluto* coli, ſed omnem Cultum, qui eis defertur, referri ad Sanctos. Sit itaque

RESOLUTIO I. Vera Crux, Reliquiæ, &c. Imagines Sanctorum, ſive cum, ſive ſine Prototypis apprehenſæ, coli non poſſunt

Cultu aliquo *abſoluto*, & diverſo ab eo, qui Prototypis ipſis defertur.

PROB. Solida Ratione. Cultus *abſolutus*, eſt teſtificatio ſubmiſſionis noſtræ ob Excellentiam, quam in ſubjecto aliquo agnoſcimus: Atqui talis Teſtificatio Creaturæ irrationali, quales ſunt Crux, Reliquiæ, Imagines, exhiberi non poteſt; nulla enim propria Excellentia gaudent: & homo Creaturæ irrationali ſe ſubmittere non poteſt, qui ſupra eam a Deo conſtitutus eſt Dominus: *ergo* &c. Firmatur hæc Ratio Authoritate PETRI Cluniacenſis, dicti *Venerabilis*, lib. I. Epiſt. II. „ Irrationali Creaturæ honorem vel modicum exhibere, & „ Authoritas prohibet, & Ratio diſſuadet. „ Cum tamen vel Sanctorum Pignoribus, vel „ Locis ſacris, vel Veſtibus, vel Vaſis, ſeu „ quibuslibet talibus rebus honor defertur, „ non quia ſunt inſenſibilia, pulchra, ſuavia, pretioſa, vel quolibet modo corporaliter hominibus accomoda, fieri credi„ tur, ſed quia Deo, vel Sanctis ejus perpetuo cum eo victuris, in his honor congruus exhibetur. „

Item authoritate & Ratione D. THOMÆ III. Parte. q. XXV. art. 3. ⊙ „ Sic ergo „ dicendum, quod Imagini Chriſti, in quantum eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum, nulla reverentia exhibetur. „ Et 1. 2. Q. CIII. art. 4. ad 3. Et denuo Part. III. q. XXV. art. 1. ⊙.

RESO-

RESOLUTIO II. Cultus, qui Dominicæ Cruci, Reliquiis, & Imaginibus defertur, totus *Relativus* eſt, ſeu, unice ad Prototypa refertur. 751

Hæc Sententia SS. PP. & Conciliis multo eſt conformior, a Scandalo Puſillorum, & Adverſantium Improperiis remotior, adeoque contra ipſos facilius propugnatur.

PROB. I. De vera Cruce Domini, ejusque Cultu, ſolum *relativo* ita loquitur NICOLAUS I. P. in Reſponſ. ad Conſult. Bulgar. Reſp. VII. „ Igitur Crucem Domini, Paſſionem „ ejus venerantes oſculamini, & pro ejus „ amore, ſi neceſſitas exigit, eadem cogita- „ tione armamini. Et poſt pauca, eadem de „ Reliquiis &c. addit: „ De Reliquiis „ vero Sanctorum eadem dicimus, quorum „ corpora, Templa & Vaſa fuere ſuntque „ Dei, quibus ad omnia bona opera, tanquam „ organis ſanctus uſus eſt, quando voluit, „ ſpiritus. „ Eundem relativum Cultum Dominicæ Cruci adſtruunt S. AMBROSIUS, & HIERONYMUS ſupra N. 697. citati. S. PETRUS Damiani Serm. 2. de Exaltat. S. Crucis: „ Cum vero Crucem nos fatemur adorare, „ vel colere, illi tantum Figuræ Dominici „ Corporis, quæ in Cruce facta eſt, hanc no- „ ſcimur Reverentiam exhibere. In Signo „ nempe Victoriæ. Victorem colimus, & ado- „ rando Crucem, ipſum qui crucifixus eſt, „ adoramus. „ Appoſite quoque PHOTIUS Epiſt. ad MICHAELEM Bulgariæ Principem: „ Singula igitur iſta, hoc eſt, Chriſti Imagi-

„ nem, & ipſammet Crucem, & Figuram
„ Crucis, pari modo Reverentia, & Adora-
„ tione conſecrantes, non tamen ita Cultum
„ circumſcribimus, & ad eadem terminamus,
„ ſed & ad illum referimus, & in illo ſacra-
„ te ſtatuimus, qui per & propter humani
„ generis Amorem abundantiſſimum & in-
„ explicabilem incarnatus fuit, & ſponte ſua,
„ & voluntate maledictam illam Mortem
„ noſtra cauſa ſubiit. „

Quodſi ergo, ut oſtendi, veteres ipſi Dominicæ Cruci nullum *abſolutum*, ſed mere *relativum* Cultum attribuunt: Nonne potiori Jure omnis Cultus Reliquiis & Imaginibus Sanctorum, qui ad ipſas terminetur, negandus eſt?

752 Imaginibus & Reliquiis Cultum nonniſi *Relativum* aperte adſtruunt D. GREGORIUS M. n. 738. ad finem: ATHANASIUS. N. 731. citati: NICÆNA ſecunda Synodus. N. 730. in fine & Tridentina N. 723. D. THOMAS, & PETRUS *Venerabilis*, hac ipſa quæſtione citati: quibus, omiſſis innumeris aliis, addo THEODORUM *Studitam*, egregium Imaginum defenſorem, qui lib. II. Epiſt. 161. ſcribit: *Imago autem Chriſti adoranda ſit Adoratione relativa*. Item Epiſt. 167. ejusdem libri: „ Qui
„ ergo adorat Imaginem cujuscunque, ſive
„ ſit Chriſti, ſive Deiparæ, ſive Sancti, ſive
„ ſimpliciter Regis, ſive Principis, ſive infe-
„ rioris Hominis: in hac adorat illum, cujus
„ eſt ipſa Imago; & ita adorans non errat,
„ ſed orthodoxe firmatus, eos, qui Veritati

alter-

„ alterutram in partem obſiſtunt, merito re-
„ pellit. „ Et alibi ſæpius. Eodem Tono
loquitur THEODORUS Hieroſolym. Patri-
archa Act. III. Concilii NICÆNI II. „ Scien-
„ dum ſecundum Baſilium Magnum, quod
„ Imaginis honor ad Principale tranſit....
„ oportet eas adorare propter principalia. „
TARASIUS Conſtantinopol. Act. IV. ejusdem
Concilii: „ Ipſa rerum Natura docet, quia
„ Imaginis honor ad Principale refertur, ſi-
„ militer autem & Inhonorantia. „ Plenum
ejusmodi Teſtimoniis eſt NICÆNUM II. Con-
cilium. EPIRHANIUS Diaconus, in præfato
Concilio ſæpiſſime diſputans, inter alia hæc
effatur de Imaginum Cultu Actione VI.
„ Non profecto aſpicientes ad id, quod vi-
„ detur, ſed ad ea, quæ in ipſo ſignantur. „
Et eadem Act. VI. „ Qui in ſpiritu & ve-
„ ritate Deo ſerviunt, & Imaginales Picturas
„ in NB. *Relationem* & commemorationem
„ NB. *tantum* habent, & has amplectuntur,
„ atque ſalutant.

Reſpondent Adverſarii, *Diſt.* Citatos Patres 753
& Scriptores Cultum relativum tantum ad-
ſtruere, dum negant materiam, velut colores,
aut Lignum adorari, *Conc.* Imaginibus Cul-
tum aliquem deferri non poſſe, non quatenus
materia, ſed *quatenus* imagines ſunt, quoad
eſſe ſcilicet *repræſentativum*. *Negant.*

Contra eſt. Allegati Authores omnem om-
nino ab Imaginibus Cultum removent: quid
ergo ſupererit Imagini quoad *eſſe repræſenta-
tivum*? Tota enim illa Præſtantia, quæ eſt in

esse representativo, nihil est aliud quam Præstantia Artificis, quam admirari quidem, colere tamen *religiose* non possumus. Et certe THEODORUS *Studita* non uno in loco tradit: *non Imaginem Christi*, sed *in Imagine*, *ante Imaginem*, & *per Imaginem* Christum coli. Quin vetustus & doctus Author, qui vitam S. STEPHANI Junioris conscripsit, non aliam Imaginibus Sanctorum Prærogativam tribuit, quam quod eos ad memoriam nobis revocent colendos, quos repræsentant. Ita enim loquitur inter Analecta Græcorum Patrum Tom. I. pag. 446. „ Porta porro, inquit, Imago di-
„ citur, quæ mentem nostram, secundum
„ Imaginem Dei creatam, ad interiorem Pro-
„ totypi Similitudinem aperit. Ut enim quæ-
„ dam Januæ Claves & Sigilla præferentes
„ per Sigillorum securitatem exterioribus in-
„ teriora significant; sic Imago Lineamenta
„ quasi Sigilla, & speciem externam quasi
„ Claves exhibens rebus ex materia compo-
„ sitis illas indicant, quæ sola mente intelli-
„ guntur: nec enim materiam colimus, cum
„ eam adoramus. Absit! verum per res,
„ quæ sensus movent, ipsas Causas mente
„ attingimus, quo etiam modo nos gerimus
„ circa Crucem sacrosanctam, Sanctorum-
„ que Reliquias, & quidquid in Ecclesia
„ adoratur. „

754 Præter fundamentalem Rationem supra n. 750. adductam, huc faciunt insuper illæ comparationes, quibus in Cultu Imaginum explicando utuntur Patres; comparant enim eas

passim

passim cum Vestibus Regiis, tunica JOSEPHI polymita a JACOBO osculis affecta. Virga JOSEPHI a JACOBO adorata, cum Imaginibus Imperialibus a populo honoratis &c. Atqui his rebus certum est *non nisi relativum* Cultum exhibitum fuisse: *ergo* &c. Audiatur præ aliis LEONTIUS Nicopolis Episcopus Act. IV. Concil. NICÆNI II. adductus, „ Jacob acceptam a filiis suis Tunicam variam „ & sanguinolentam Joseph, deosculatus „ est cum lachrymis, & propriis oculis hanc „ composuit, & non vestimentum amans vel „ honorans hoc fecit; sed per id æstimans „ Joseph osculari, & in manibus eum habere. „ Ita & Christiani universi Imaginem Chri- „ sti, vel Apostolorum, aut Martyrum tenen- „ tes, aut salutantes carne, Anima ipsum „ Christum æstimamus vel Martyrum ejus „ Habitum retinere. „ Et HADRIANUS I. R. P. Epistola ad Imperatores, quæ lecta est Act. II. cit. Concilii. „ Nam idem ipse Ja- „ cob proprio demum Arbitrio summitatem „ Virgæ filii sui Joseph deosculatus est, filii „ dilectione hoc agens, sicut B. Paulus in E- „ pist. ad Hebræos XI. 21. testatur: non „ Virgæ, sed tenenti eam Honoris ac dile- „ ctionis exhibuit Affectum. Sic & nos pro „ amore, & dilectione, quam apud Dominum „ & Sanctos ejus habemus, honorabiles eo- „ rum Effigies Imaginibus depingentes, non „ Tabulis & coloribus honorem exhibemus, „ sed illis pro quorum honore consistunt. „

Quodsi ergo omnis Cultus ad Prototypa fertur ; nihil Imagini residuum erit.

755 Objic. I. Sacræ Cruci debetur Cultus proprius, & distinctus ab eo, qui Christo crucifixo defertur. Nam S. Joannes Damascenus de Fide lib. IV. cap. XII. ita scribit : „ Figuram quoque pretiosæ, ac vivificæ „ Crucis adoramus, quamvis ex alia materia „ constructa sit : non quo materiam colamus, sed *Figuram*, velut qua Christus de„ signatur .... Quocirca Crucis Signum „ adorandum nobis est ; ubi enim Signum „ fuerit, ibi quoque & ipse erit. Ceterum „ materia, ex qua constat Figura Crucis, de„ structa Figura, adoranda non est. „

Resp. Damascenus, quando ait, *figuram Crucis coli, qua Christus designatur*, vult, Crucem Signum esse, significans Christum, qui in Cruce adoratur. Ait enim : *Signum Crucis adorandum est ; ubi enim Signum fuerit, ibi quoque & ipse erit* : non obscure innuens, ad significatum referri eum, qui Signo defertur, Cultum.

756 Objic. II. S. Bonaventura in III. Dist. IX. Q. IV. ⊙. expresse Cultum S. Cruci distinctum adstruit.

Resp. S. Bonaventuram fateor contrarium docuisse : sed eidem oppono Patres, & Scriptores supra allegatos.

757 Objic. III. S. Thomas Aquinas, in III. Dist. IX. Quæst. I. art. 2. quæst. IV. & ne possit dici mutasse sententiam suam in summa, hæc habet III. part. quæst. XXV. art. 4. ⊙.

„ Si

„ Si ergo loquamur de ipſa Cruce, in qua „ Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt „ a nobis veneranda. Uno ſcilicet modo, „ in quantum repræſentat nobis Figuram „ Chriſti extenſi in ea; alio modo ex con- „ tactu ad membra Chriſti, & ex hoc, quod „ ejus Sanguine eſt perfuſa. „ Ergo ob Contactum alius, ſed minor Cultus debetur Cruci, quam crucifixo.

Resp. S. Thomas illa, quæ in Libros Sententiarum commentatus eſt, frequenter in ſumma retractavit, cui, utpote Operi poſteriori, potius ſtandum eſt. In Textu autem ex ſumma objecto S. Cruci non adſtruit Cultum diſtinctum, ut volunt Adverſarii, ſed unum eundemque, qui Chriſto debetur; ait enim: „ Creaturæ inſenſibili non debetur „ honor & Reverentia, niſi ratione rationa- „ lis naturæ. Et hoc dupliciter: uno mo- „ do, in quantum repræſentat rationalem „ naturam: alio modo in quantum ei quo- „ cunque modo conjungitur. Primo modo „ conſueverunt homines venerari Regis Ima- „ ginem; ſecundo modo ejus veſtimentum.„ Dein pergit, ut in objectione, & addit: „ Unde utroque modo adoratur eadem ado- „ ratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione „ Latriæ. Et propter hoc etiam Crucem al- „ loquimur, & deprecamur quaſi ipſum Cru- „ cifixum. Si vero loquamur de effigie Cru- „ cis Chriſti in quacunque alia materia, pu- „ ta Lapidis, vel ligni, argenti, vel auri, ſic „ veneramur Crucem tantum ut Imaginem

„ Chri-

„ Chriſti, quam veneramur adoratione La-
„ triæ, ut dictum eſt art. præc. „ Ex quo ſic infero: Crux ob Contactum ad Membra & Sanguinem CHRISTI, comparatur a D. THOMA cum Veſtibus regiis: at vero Veſtibus regiis non defertur Cultus *diſtinctus*, ſed Rex veſtibus indutus honoratur: ergo neque Cruci ob Contactum debetur Cultus diſtinctus; ſed Chriſtus in Cruce adoratur.

758 OBJIC. IV. Eccleſia in feſto S. Crucis canit: *Tuam Crucem adoramus Domine.* Item: *O Crux - - - ſalva præſentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* Item in hymno Paſſionis: *O Crux ave ſpes unica, hoc Paſſionis tempore: auge piis juſtitiam, reisque Dona veniam.* Denuo in Paraſceve: *Ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus.* His Verbis Eccleſia certe Cultum aliquem ipſi Cruci, præcipue, dum Paſſionis tempore Imago crucifixi velata eſt, deferre videtur; non utique Cultum *Latriæ*, quem Creaturæ exhibere nefas foret: ergo alium, *Hyperduliæ* ſcilicet.

RESP. Cum TRIDENTINUM Concilium n. 723. cit. expreſſe aſſerat; nullam ineſſe Imaginibus Divinitatem, vel Virtutem, nec Fiduciam in iis eſſe figendam, non poteſt Eccleſia Crucem *invocare*, Spemque Salutis unicam appellare: ſed citata Verba ad Chriſtum in Cruce paſſum dirigit. Adeoque, ut ait, VASQUEZ, per Figuram *Metonymiæ*, *Crucis* vocabulo, CHRISTUS ſignificatur, quod Veteribus non adeo peregrinum fuit. Ita enim

fre-

frequenter legitur in comminationibus Diplomatum adversus futuros Invasores piarum Fundationum: *Dei, & Sanctæ Crucis, & B. Mariæ incurrat judicium.*

OBJIC. V. Sacris Reliquiis Cultum aliquem 759
non mere relativum attribuit S. CYRILLUS N. 715. citatus, utpote, qui eisdem Reliquiis virtutem aliquam patrandi Miracula inhærere arbitratur. Et certe Reliquiæ olim fuere Habitaculum Spiritus S. Destinatæ sunt ad Beatitudinem Corporis glorificandi: cur ergo *Animæ* solum Sanctorum, & non etiam *Corpora* honoranda, quæ Sanctitatis fuere Instrumenta, & a Deo ipso Miraculorum Gratia, quæ per ea patrat, honorantur? Et ita non CYRILLUS solum, sed & AMBROSIUS N. 717. adductus, sentire videntur.

RESP. Præter ea, quæ supra n. 716. observavi, insuper notandum est, Reliquias Sancti, mortalem adhuc vitam ducentis; vel post Resurrectionem carnis corpore jam glorificato in cœlo regnantis: adeoque in hoc Statu intentionali, quo Reliquiæ unum totum cum Sancto constituunt, eodem cum Sancto *Cultu absoluto* honorantur: si vero extra Statum hunc intentionalem, atque adeo se solæ sumantur Reliquiæ; nullus certe debebitur eis Cultus *absolutus*: sed cum Sanctos nobis ad memoriam revocent, nosque in ipsis Reliquiis apprehendamus eosdem; *relativus*.

Ad hæc: sicut corpora non sine Anima Sanctitate potita sunt, nec sine ea glorificabuntur:

buntur; ita neque ſine Anima honoranda ſunt: Sanctitas vero illis nulla ineſt, nec infuit unquam.

S. CYRILLUS hoc ſolum vult, quod ſicut Deus Sanctorum Anima velut Inſtrumento utatur ad patranda Miracula; ita eodem modo non raro eorum Corporibus uti ſoleat. vid. n. 716.

S. AMBROSIUS objecto loco, Reliquias, Cicatrices, Cineres Sanctorum, non *materialiter* ſpectat, ſed ubique ad Sanctos refert, & quaſi Sanctum ſibi ob oculos ponit; honorat enim vulnera, quæ Martyr in Corpore ſuo, CHRISTI gratia ſanctificato, propter Chriſtum accepit, cujus Anima jam beatitudine fruitur, & Corpus quondam propria glorificatione fruetur. Adeoque AMBROSIUS, ut mox dictum, Reliquias in Statu quodam intentionali Sancto conjunctas, intuetur, & non immerito veneratur.

760 OBJIC. VI. Imagines ſe habent ut Regis Legatus: atqui Regis Legato præter eum honorem, quo propter Regem cujus Perſonam repræſentat, afficitur, aliquo inſuper ſibi proprio, qui ob propriam Excellentiam ad ſe terminatur, honoratur: ergo & Imagines præter Cultum *relativum*, aliquo ſibi proprio afficiendæ ſunt.

RESP. Imagines non bene cum Legato Regis comparantur, & diſpar ratio in eo eſt; quod Legatus, tanquam Creatura rationalis, ob Virtutem propriam, & Poteſtatem ſeu Caracterem a Rege conceſſum, debitum ſibi hono-

honorem merito exigat : econtra vero Imaginibus, tanquam rebus inanimis, quibus, fatentibus TRIDENTINIS Patribus, nulla virtus ineſt, nullus quoque debetur proprius Cultus.

OBJIC. VII. Concilium TRIDENTINUM ex- 761
preſſe aſſerit, Imagines in Templis habendas eſſe, & retinendas, NB. eisque *debitum* honorem & venerationem impertiendam : ſed ſi Cultus ille mere *relativus* eſt ; tunc nulla defertur Imaginibus Veneratio, ſed ſolum Sanctis, per eas repræſentatis.

RESP. Tridentinum vult, Imagines venerandas eſſe, Veneratione externa, Oſculis nimirum, detectione Capitis &c. quæ licet exterius ad Imagines terminetur, internus tamen Affectus, ſeu, noſtra ſubmiſſio, in qua Cultus proprie conſiſtit, non in Imagine ſiſtit, ſed ad earum Prototypa refertur, uti Concilium ſtatim ſe ipſum explicat his Verbis :

„ Ut per Imagines, quas oſculamur, & coram
„ quibus caput aperimus, & procumbimus,
„ Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum
„ illæ Similitudinem gerunt, veneremur. „

Ex his omnibus infertur, Cultum relativum 762
pro diverſa Prototyporum Excellentia diverſum eſſe ; adeo, ut ſi Prototypum ſit objectum *Latriæ*, Cultus Latriæ relativus ei debeatur, ſi Prototypum ſit Objectum Cultus *Hyperduliæ*, aut *Duliæ* ; Cultus relativus proportionatus ejus Reliquiis & Imaginibus deferatur, relativa nimirum Hyperdulia & Dulia. Ita S. THOMAS III. Part. q. XXV. Art. 3. ⊙. „ Relinquitur ergo, quod exhibeatur

„ ei

„ ei Reverentia ſolum, in quantum eſt Ima-
„ go ; & ſic ſequitur, quod eadem Reveren-
„ tia exhibetur Imagini Chriſti, & ipſi Chri-
„ ſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adora-
„ tione Latriæ, conſequens eſt, quod ejus
„ Imago ſit adoratione Latriæ adoranda. „

763 Ejusmodi autem Propoſitiones coram Populo caute proponendæ ſunt, ne rudis Plebs, non bene diſcernere valens Cultum *abſolutum* a relativo, falſis Ideis imbuatur, & nimium Cultum Imaginibus deferat. Quare juxta TRIDENTINÆ Synodi Decretum Seſſ. XXV. cujus attentam Lectionem iterato commendo: „ Omnis ſuperſtitio in Sanctorum in-
„ vocatione, Reliquiarum Veneratione, &
„ Imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis
„ quæſtus eliminetur, omnis denique laſcivia
„ vitetur, ita ut procaci venuſtate Imagines
„ non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum
„ celebratione, ac Reliquiarum viſitatione
„ homines ad commeſſationes, atque ebrieta-
„ tes non abutantur, quaſi feſti Dies in hono-
„ rem Sanctorum per luxum ac laſciviam
„ agantur. Poſtremo tanta circa hæc Dili-
„ gentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut
„ nihil inordinatum aut præpoſtere aut tu-
„ multuarie accomodatum, nihil profanum,
„ nihilque inhoneſtum appareat ; cum Do-
„ mum Dei deceat Sanctitudo &c. „

I. O. G. D.

TOMI V.

Errata Corrigenda

Pag.	*Lin.*		
18.	10.	Magis - -	Non magis
31.	ult.	Dona - -	Bona
55.	2.	ut - -	&
56.	3.	Judæis - -	Judæi
76.	9.	atque - -	atqui
77.	17.	profuit - -	proficit
79.	6.	olymp. 194. 1.	- - - -
82.	5.	dereliquit -	non dereliquit
85.	26. & 28.	edictum	editum
88.	24.	aucta - -	ducta
101.	15.	ſupernaturali -	Spirituali
113.	15.	Actibus - -	Artibus
114.	6.	Judæos - -	Indos usque
167.	13.	adeo - -	ideo
174.	10.	aliorum - -	duorum
175.	penult.	illum -	illud
184.	17.	reſtituat - -	reſtituet
193.	2.	paſſibilem -	poſſibilem
199.	14.	peperit - -	pepererit
210.	9.	potuit - -	non potuit
215.	9.	generali IV. -	generali VI.
214.	16.	Pharnites - -	Pharanites
241.	1.	eſt - -	intereſt
245.	7.	communicatio-nibus	commonitionibus
267.	4.	prodierat - -	prædixerat
268.	9.	ulterius - -	alterius
276.	16.	exiſtet - -	exſiſtit
323.	penult.	non potuit	non potuit non
362.	1.	Sponſoris & Vadis	*adde* Munus obierit
-	10.	Sarciniano -	Sarcinio
374.	17.	fuit infuſa	- infuſa , perfectior fuit illa Adami ,

Errata Corrigenda

Pag. Lin.

376.	penult.	exiſtentiam	exiſtentium
380.	19.	Deus - -	Deum
382.	4.	Naturæ - -	Natura
-	23.	contigit - -	contingit
388.	21.	qualis v. g. Bonum eſt Deus	quale v. g. eſt Bonum, ut Deus ,
395.	10.	eliciendum -	eligendum
421.	antepenult.	firmat	firmant

Reliqua prudens Lector benevole excuſabit , emendabit.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ... Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 5

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1768

Dogm. 895-5
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399412-5
VD18 8021228